

[illegible] 5s

At the end an advertisement [illegible] pages by the editor Dr. Percy [illegible] portrait of [illegible]. Four [illegible] to each of which [illegible] are [illegible]. Drury 10s — Heron [illegible] 5s.

[illegible]

GULIELMI

BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM AUGUSTI REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ, &c.

DE STATU *LIBRI TRES.*

EDITIO SECUNDA
LONGE EMENDATIOR.

LONDINI.
1787.

PRÆFATIO.

TRES, qui hoc volumine continentur, libri à BELLENDENO conſcripti, vel inter rariſſimos jam olim numerati ſunt. Quòd autem effecimus, ut excitati è tenebris Bibliothecarum, publici juris nec-opinatò fierent, magíſque, quàm anteà, parabiles, fore pro comperto habemus ob noſtram hancce σπȣδὴν, ut gratiam cum eruditis omnibus haud mediocrem ineamus.

De ſcriptore ipſo, déque ordine, quo hæc opuſcula in lucem ediderit, paucula rejecimus ad calcem hujuſce Præfationis; quæ tamen veremur ut iis ſatisfaciant, qui intelligentiam ponant in legendi quodam faſtidio. Sibi intereà, velimus, ſic perſuaderi ſinant, ſylvam ſatis amplam errorum, qui in editionem priorem irrepſiſſent, è noſtræ et textu et margine ſublatam eſſe: locos ferè omnes, ad quos animum Bellendenus intendiſſet, diligenter à nobis inſpectos: in eo denique noſtram operam ſedulò navatam, ut editio hæc prodiret, tum accurata maximè, tum etiam ad nitoris laudem, quoad ejus fieri poſſet, inſtructa et compoſita.

Aliud eſſe opus à Bellendeno inchoatum affectúmque, cui titulus ſit "De tribus luminibus Romanorum," quotus eſt quiſque vir mediocriter doctus, qui fando non acceperit? illud etiam qui viderit, atque adeò viſum, ſua ut abderet in κειμήλια, avidiſſimè arripuerit, eſt certè reperiendus unus et alter ex iis, quibus libri ſint in deliciis rari ſuóque in genere exquiſiti. Operis quidem ejus in parte illa, quæ ad manus noſtras pervenit, de Cicerone agitur ſolo; ídque, non modò incorrupta Latini ſermonis integritate, verùm etiam ſingulis penè verbis, puris putis, ut aiunt, Ciceronianis. Talis autem vir tantúſque cùm

agmen duceret, magna esse debebat hominum expectatio de aliis duobus, quos Ciceroni, quasi ejus comites quosdam studiorum et socios famæ, Bellendenus adjungere instituisset. Verùm enimverò, illi quinam fuerint, diu multúmque à nobis quæsitum est, sed frustrà tamen. Tandem aliquando in viros quosdam incidimus rei litterariæ peritissimos, qui certiores nos facerent, voluisse nostrum, de Seneca et Plinio majore justum librum conficere. Colligimus autem ex operis ipsius ratione, fuisse eum, è Scriptoribus, quos sibi sive ad laudandum sive ad imitandum proposuisset, copiam verborum suos in usus comparaturum. Egregium hoc consilium, quò minùs ex sententia ejus cederet, in causa fuit mors Scriptoris; ipsi illa quidem haud immatura, doctis eadem boníśque omnibus nunquam non deflenda. Ut studiorum, ad quæ diu ille felicitérque incubuisset, fructus uberrimos nosmetipsi perciperemus, id sanè fortuna nobis invidit. Est autem cum Bellendeno actum præclarè, siquidem morte à Deo Opt. Max. donatus, non bello viderit ardentem Britanniam, non flagrantes invidia regni Proceres, non Ecclesiam funditùs eversam, non civium optimorum internecionem, non sceleratissimum Regis parricidium, non denique ægram et propè depositam eam civitatem, in qua, Henricum ille suum olim voluisset, regiis omnibus virtutibus instruere atque ornare.

Insedit profectò et penè inveteravit in animis eruditorum hæc opinio, Middletonum, cùm de Ciceronis vita opus scriberet, Bellendeni hisce è fontibus irrigâsse hortulos suos. Ferunt etiam illum de industria, quò furtum suum meliùs celaret, nomen Bellendeni silentio jam tum prætermisisse, cùm Scriptores, qui sibi aliquid adjumenti suppeditâssent, varios, suo quemque ordine, recensere profiteretur. His ego rumusculis, cùm in Middletono laudando solerem multus esse, inter audiendum subirascebar. Ita enim semper animum induxi, ut de tanto viro cautè et modestè pronunti-

nuntiandum esse statuerim. Prætereà, haud nescius eram, quàm acris esse soleat doctorum invidia, quàm sint avidæ et capaces auriculæ indoctorum, quàm firma ad memoriam rerum levissimarum, et in calumniis propagandis veteratoria sint vapparum et nebulonum ingenia. Famam quippè videram incendere etiam convicia non credentium, quoties certamen fieret inquinandi laudes eorum, qui artes infra se positas existimarentur prægravare. Causas igitur hujusce, quæ de Middletono incidisset, suspicionis, sæpenumerò sum et acerrimè perscrutatus; sempérque sensi aquam hærere etiam illis, inter quos odium nominis Middletoniani gliscceret vehementissimè. Ita profectò Caium suspicatum esse suspicabatur Titius. Ita se multis antè annis, aut legisse nescio quo libro, aut voces, ut fit, eruditorum subausculltando excepisse Sempronius credebat. Bellendeni verò librum qui vidissent, perpaucos reperi: qui eum contulisset cum Middletoni opere, (Wartonum si excipias) planè neminem. Hac autem à me collatione diligentissime facta, res illicò omnis ad liquidum perducta est.

Litteræ fuerunt Middletono, non vulgares hæ et quotidianæ, sed uberrimæ et maximè exquisitæ. Fuit judicium subtile limatúmque. Teretes et religiosæ fuerunt aures. Stylus est ejus ita purus ac suavis, ita salebris sine ullis profluens quiddam et canorum habet, numeros ut videatur complecti, quales in alio quopiam, præter Addisonum, frustrà quæsiveris. Animum fuisse ejusdem parùm candidum ac sincerum, id verò, fateor invitus, dolens, coactus.

Equidem de fide hominis in rebus sacris, fastidiosiùs et acerbiùs loqui nolim. Permolestè autem fero, potuisse illum, qui ingenii tam acris elegantísque esset, laudibus Bellendenum meritis ac debitis privare. Fidentissimè enim confirmamus, Middletonum non modò ex Bellendeni opere supellectilem sibi sublegisse satis lautam atque amplam, sed libri ipsius propè formam, qua res ferret, adumbrâsse. Cùm in

media Cantabrigiæ luce viveret, ſuíque operis inſtrumenta undique colligeret, ad manum habebat Bibliothecas Cantabrigienſes, libris eas quidem plurimis et exquiſitiſſimis refertas. Qui autem " Academicæ Bibliothecæ ordinandæ methodum quandam propoſuiſſet," [1] ei, penè dixerim, in propatulo erant ſcripta ferè omnia Bellendeni. Quin Bellendeni ad hoc ipſum opus (etſi obſcura ſunt omnia et occulta) reſpexiſſe illum in Præfatione ſua haud negaverim : in iis præſertim, quæ dixerit de " Hiſtoria temporum eorum, quam contexere eſſet cuivis integrum, qui Ciceronis Epiſtolas diligenter evolviſſet :" de tædio, quod in Cicerone bis térque legendo, ipſe, ſi Diis placet, ſolus devorâſſet : de cura, quam in condendo et componendo, quæ poſſet mox depromere, animo ad commentandum et corrigendum prorſùs obſtinato, impendiſſet : de verbis ipſiſſimis Ciceronis, quæ auctoritatem ſecum afferrent maximam, aptéque poſita in Orationis ſerie, plurimum haberent venuſtatis. Nimirùm, quod Middletonus paulò ambitioſiùs prædicat, ſeſe et velle facere et debere, illud ipſum eſt ſumma fide ſummáque arte à Bellendeno factum, jam inde ab ultimo principio operis, uſque ad paginam extremam.

[1] Opera Middleton : Tom. 4.

Exſtat Stephani Forcatuli " De raptu animorum" Dialogus feſtiviſſimus, in quo " alienæ inventionis prædones reprehendit." Scripſit etiam Thomaſius de Plagiis Litterariis librum, cui, ut Morhofio [2] viſum eſt, multa adjungenda ſunt. Horum utrumque librorum, prelo ſi quis denuò ſubjecerit, Middletono poterit inuri eadem infamia, quæ Salmaſio, quæ Lipſio, quæ Wouwerio, aliíſque Plagiariis ingenio et doctrina eximiis, haud immeritò inuſta eſt. At manes ejus, qui famæ Ciceronianæ cuſtodem ſe adjutorémque egregium præſtiterit, liceat mihi, verbis ex ipſo Cicerone [3] depromtis, extremùm alloqui. " Satis hæc multa" de Middletono : " ac ſine odio omnia, nihil ſine dolore."

[2] Morhof: Polyhiſtor : Lib. 1. Cap. 5.

[3] Philipp. 8. p. 521. Edit. Grut.

Quod ad tres hoſce libellos attinet, multis profectò nominibus dignos ilios judicavimus, qui in conſpectum hominum

num proferrentur: neque enim dubitandum eſt, quin ii ſe poſſint cordatiori cuique ſatis probare, non modò rerum ipſarum, quæ tractantur, gravitate; ſed argumentorum lucido ordine, et luminibus ſententiarum, et ſermonis varietate atque elegantia planè admirabili.

In primo, res multas et varias ab ultima antiquitate repetivit Bellendenus, ſitúque eas informi obrutas atque oppreſſas, in lucem protulit. Materiem illam de Perſarum et Ægyptiorum diſciplinis, rudem latiſſiméque ſparſam collegit undique, et quodammodò coagmentavit in unum, et acumine ſtyli diligenter limavit. Civitatum ortus et incrementa, quæ fuerit cuique peculiaris forma, quantùm aliæ ab aliis diſcrepârint, luculentiſſimè deſcripſit. Quas in hiſtoria mendax Græcia excogitaverat fabellas, diluit refellítque. Philoſophiæ, cùm delirantis redarguit commenta, tum ſanioris illius quæ Pietati famulabatur, placita enodavit. Quæ quidem omnia eò pertinebant, ut religionis revelatæ veritatem ſolidis gravibúſque argumentis Bellendenus confirmaret. Qui autem res haſce è ruderibus vetuſtatis eruit, is neutiquam antiquarii partes agit frigidè et jejunè: neque divertitur ad ſpinoſas illas et exiles quæſtiunculas, quibus in explicandis, eſt ubi Theologi malè feriati torquent ſe miſerrimè, atque operam fruſtrà conterunt. Stylus eſt Bellendeni per librum huncce, dilucidus in primis, neque exquiſitus nimis. Sententiæ hic illic occurrunt reconditæ, quibus adhibita, tanquam obruſſa [1], eſt ratio. Operis porrò totius ita ſunt aptæ inter ſe colligatæque partes, nihil ut ſit aſperum, vel hiulcum, vel diſſolutum; nihil in alienum irruerit locum; nihil non poſitum ſit ſuo.

[1] Cic: Brutus p. 150.

Oſtendit in ſecundo, aliis qui præeſſe velit, illum ipſum quàm potentem eſſe deceat ſui; quàm memorem ſervantémque rerum omnium quæ à legibus imperentur; quàm audientem dictis ſapientiſſimi cujuſque; corruptelarum ab illecebris quàm alienum; à blanditiis adulatorum quàm abhor-

abhorrentem; quàm dignitate ſua, tum in retinenda conſtantem, tum in augenda cautum et moderatum; quanta denique innocentia et in rebus omnibus temperantia, ut ab alienis videatur manus, oculos, mentémque ipſam abſtinere.

Senatoris quod ſit officium, quibus potiſſimùm innitatur fundamentis illa θρυλλυμένη populi ſalus, quàm ſacroſancta habenda ſint omnia, quæ fiant ex inſtitutis et more majorum, in tertio docet Bellendenus: et quidem ita docet, difficile ut ſit dictu, utrùm res verbis magis, an verba ſententiis illuſtrentur.

De tribus illis Luminibus Anglorum, quibus editio hæcce dicatur, religioni nobis non habendum eſt, perhonorificè et ſentire, et fari. Horum in uno virorum, inſigne utriúſque fortunæ exemplum [1] vidimus. Cujus enim dicentis ex ore Senatus quondam pendebat, illius jam oratio, etſi nivibus hybernis ſimillima ſit, ſibi tamen audientiam vix ullam facit. Indignitas rei hujuſce et atrocitas, quanta ſit, cùm conſidero, ſæpè illud animo recurſat, quod de Druſo eſt à Paterculo [2] ſcriptum pulcherrimè. "In iis ipſis quæ pro "Senatu moliebatur, Senatum habuit adverſarium. De-"nique ea fortuna Druſi fuit, ut malefacta" adverſariorum, "quàm ejus optimè ab ipſo cogitata, Senatus probaret "magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, ſperneret; "injurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo recipe-"ret; et hujus ſummæ gloriæ invideret, illorum modi-"cam ferret."

[1] Liv. lib. 28. cap. 42. Edit. Var.

[2] Lib. 2. cap. 13.

Architectum quendam verborum eſſe ſcio, qui à vulgo numeretur inter optimos oratores, propter expeditam ac profluentem quodammodò celeritatem, et [3] Commiſſiones meras. Fremant ejus fautores licet, dicam de Burkii eloquentia, quod ſentio. Hujus ſuavitate maximè hilaratæ eſſent doctrinarum omnium illæ inventrices Athenæ: hujus maximè admiratæ ubertatem & copiam; hujus in labris [4] *Suadam* ſeſſitantem maximè veneratæ.

[3] Suet. l. 4. cap. 53.

[4] Cic. Brut. pag. 140.

Fuerunt

Fuerunt inter Romanos, qui [1] ficcitatem et inopiam, dummodò eſſet polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponerent, orationémque amplam, copioſam, excelſam, magnificam planè contemnerent. Qui autem ſe credebant eruditas habere aures, intelligénſque judicium, illi ipſi et gradus, et diſſimilitudines, et varietatem Atticorum ignorabant. Marcum tamen Tullium [2] inceſſere audebant, ut tumidum, Aſianúmque, et redundantem. Noſtra etiam in ætate non deſunt, qui eandem de Burkio nobis inſuſurraverint inſulſam, et frigidam cantilenam. Sed meliùs de hoc nomine ſentiant, qui Atticos ſe volunt eſſe, eò quòd clariorem vim eloquentiæ ferre non poſſunt. Burkium ſi quis imitetur, eum credant et Atticè dicturum, et optimè. In litteris ipſi ſe ſciant plurimùm profeciſſe, quibus Burkius valdè placuerit.

[1] Brut. pag. 152. et de Opt. gen. Or. pag. 183.

[2] Quintil. 12. cap. 12.

In quo autem homine, cùm illa, quæ jucunda et grata, tum etiam illa, quæ mirabilia ſunt in virtute, elucent, ejus de moribus hoc ſolum dicere neceſſe habeo, ſemper innocentiam Burkii et integritatem ſingularem fuiſſe, vitæque rationem juſtiſſimè ab aliis repoſcere eum, qui reddere non reformidet ſuæ.

Meliore in omnia mente et ingenio, quàm fortuna, alter eſt uſus ; neque in omni ejus vita aliquid eſt ad laudem illuſtrius, quàm quòd fortuna non fractus eſt, ſummámque in rebus aſperis retinuit dignitatem.

Atqui veriſſimum eſt illud quod à Cicerone dicitur, [3] minimis ſæpè momentis, maximas inclinationes temporum fieri, cùm in omni caſu reipublicæ, tum in Bello, et maximè civili, quod opinione plerumque et fama gubernatur.

3 Phil. 5. pag. 514.

Habet Northius à natura plurimum acuminis, quod etiam arte limavit. Habet cum gravitate miſtos ſales, tum facetos, qui in narrando aliquid venuſtè verſantur, tum dicaces, quorum, in jaciendo mittendóque ridiculo, vis omnis perſpecta eſt. Memoriam etiam habet, quæ

comme-

commemoratione antiquitatis et exemplorum prolatione valet maximè. Per id ſcitum eſt quoque in orationibus ejus, quòd ineptias hominum et ſtultitias patientia perquam amabili devorandas eſſe ſtatuit, ita tamen ut triſtitiam quorundam, et acerbitatem, mirifica urbanitate ſæpè perſtringat.

Verbis utitur non illis quidem ornatis, ſed tamen non abjectis. Rem quamque videt acutè, diligentérque et enodatè explicat. Inter cæteras ejus laudes hæc certè non minima eſt, eum non ſolùm quod [1] opus ſit, dicere, ſed etiam quod non opus ſit, *non* dicere: omnibus in rebus [2] ſentire quid ſit ſatis: [3] malle deſinere ne tædium creet, quàm nimiùm loquendo deficere. Civilis autem ſcientiæ ratio ſic Northio ſuppetit, ut ei vix ullam deeſſe virtutem viri Pòlitici exiſtimem. His ad dicendum inſtrumentis, quæ vel ab ingenio vel ab induſtria profecta ſunt, ſummus accedit et propè ſingularis amor in Patriam, cujus morem diſciplinámque optimè intelligit, et defendit, quoties in diſceptationem veniunt, conſtantiſſimè.

[1] Cic. Orator. pag. 169.
[2] De Orator. l. 2. pag. 119.
[3] Quintil. lib. 12. cap. 11.

Animus hominis et mores, quales ſint, ſi quæris, [4] civis fuit jam tum, cùm haberet famæ ſuæ parem, ſumma in dignitate modeſtiſſimus. Amicitiarum eſt apprimè tenax: in offenſis idem exorabilis: in reconcilianda gratia fideliſſimus: potentia ſua ad impotentiam uſus nunquam: omnium denique vitiorum penè expers, niſi numeretur inter maxima, Bellum Americanum ſpe lentiùs geſſiſſe. Atqui bellum illud aliorum conſiliis anteà commotum et affectum, ægrè ipſum et gravatè ſuſcepiſſe ferunt, cùm ad arma uncta cruoribus nondum expiatis, ad arma eum ceſſantem, et Rex, et Senatus, et Populus certatim concitarent.

[4] Vel. Pater. lib. 2. cap. 29.

Documentum is quidem grave et luctuoſum dedit, quantulùm optimis viris beneficiorum memoria proſit: quantùm nocere iiſdem poſſit levis et falſa opinio ſceleris excogitati. Mentis verò in ſanctis receſſibus, habet quo ſe ex

maximis

maximis moleſtiarum molibus recreet ac reficiat. Quoties enim ſecum reputat, ſua ipſius quæ ſit innocentia, quoties contumelias, quibus laceratus eſt, inſignes et acerbas memoria repetit, quoties ad infidum reſpicit ingratúmque optimatium gregem, quos opibus quondam honoribúſque auxit atque amplificavit, toties ejus ex pectore Lycurgeæ illæ erumpent voces, *ποῖος τις ὑμῖν δοκῶ εἶναι πολίτης, ὅς τοσοῦτον χρόνον, τὰ δημόσια πράττων παρ' ὑμῖν, οὐδεὶς μᾶλλον ἀδίκως, ἢ λαμβάνων εἴλημμαι.* [1]

[1] Vid. Præf. Taylori ad Lycurg: et loc. laudat..

Animum habet tertius, cùm magnum et excelſum, tum etiam ſimplicem et apertum, eminétque unus inter omnes in omni ferè genere dicendi.

Sed quoniam oppreſſi ſumus opinionibus non ſolùm vulgi, verùm etiam hominum leviter eruditorum; noſtrum de ſtylo ejus judicium, quod tandem ſit, paulò fuſiùs jam, et accuratiùs explicabimus.

Multos vidi Oratores, [2] quos in verbis ægrè perpendendis coagmentandíſque, ſollicitudo infelix maceraret. Foxii autem animus varias in res continuas ita intenditur, ut eas tanquam proviſas aptiſſimæ voces haud invitè ſequantur. Omnia is quidem novit verba eſſe alicubi optima. Itaque, quæ cultiore [3] in parte viderentur ſordida et humilia, ea nonnunquam in Orationibus ejus ſuam quandam vim habent, et locum ſuum. At ſunt in promtu, ſi res poſcit, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut meliùs et pleniùs ſonantia. Exprimit quamque difficiliorem cogitationem quædam *ἄλογος τριβή*, [4] intérque exprimendum expolit atque amplificat. Vivunt omnia moventúrque. [5] Spiritu ipſo ejus qui dicit, excitantur auditores, nec imagine ſolùm et ambitu rerum, ſed rebus ipſis novis et veluti naſcentibus incenduntur. Plurimum igitur ſanguinis nervorúmque ejus in ſermone eſſe, nemo eſt qui inficias eat. Aiunt autem nonnulli paulò moroſiores abeſſe [6] illi, et quidem deeſſe planè atque omninò, ſtylum nitidum

[2] Quint: l. 12. c. 10.

[3] Quint: l. 10. c. 1.

[4] Lib. 10. 7.

[5] Cap. 1.

[6] Cic: Brut: p. 152.

et

et lætum, qui omnes undique floſculos carpat et delibet. Sed meminerint ii, velim, judicio illum potiùs refugiſſe haſce dicendi delicias et ineptias, quàm formidine ulla deſperâſſe. Etenim, quæ attentum quemque, dum audiuntur, et docilem reddunt validæ aptiſſimæque ſententiæ, illis ſanè ipſis, cùm leguntur, ſuavitas [1] ineſt, non dulcis et decocta, ſed, quæ à Cicerone meritò laudatur, ſolida et auſtera.

[1] De Or: l. 3. p. 129.

Habet Foxius hoc etiam verè admirabile: quòd ſalubritatem dictionis Anglicanæ et quaſi ſanitatem nunquam perdit, ut eos qui in calamiſtris adhibendis peregrinam quandam inſolentiam conſectantur, ſimplicitate prorſùs inaffectata, et tanquam orationis ſapore vernaculo obruat. Novit enim, qui non dicat quod intelligamus, eundem minùs poſſe quod admiremur, dicere. Novit etiam, quæ maximam utilitatem in ſe contineant, eadem in oratione habere plurimum vel dignitatis, vel ſæpè etiam venuſtatis.

Jam verò eloquentiæ fulmina [2] intelligit vibrari non poſſe, niſi numeris quibuſdam contorqueantur. Hac de cauſa verborum perpetuitate, et converſione nonnunquam utitur, ut ſeveros per illa ungues junctura effundat. Sæpè orationem carpit membris minutioribus, quæ tamen ipſa rythmo quodam ſuo vinciuntur. Facilè tamen in hac parte deprehendes negligentiam quandam haud ingratam, quæ hominem magis de judicii, certamine quàm de aucupio ullo delectationis laborantem indicet. Scilicet numeros illos minutos nunquam ita ſequitur, ut ſententias concidat delumbétque. Nunquam verba inſerciens inania et canora, quaſi rimas orationis explere ſtudet. Otioſis ornamentis nunquam onerat delaſſátque aures, quarum eſt ſuperbiſſimum judicium. Inde fit, ut neque diffluens ſit aliquid et ſolutum, neque infractum, aut amputatum, aut hians. In conficiendo autem verborum orbe non apertè omnia, nec eodem modo ſemper, ſed variè [3] diſſimulantérque concluduntur.

[2] Or: p. 169.

[3] Br: p. 151.

Cùm

Cùm rerum ipſarum uſum Foxius percalleat, regiones [1] vi- [1] De Or: l. 2.
detur nôſſe omnes, intra quas venari quod quæratur, et per- p. 111.
veſtigare oporteat. Qua de re agitur autem illud, quod
Juris-conſultorum formulis et argutiis Dialecticorum in-
cluditur, tum quò valeat, tum ubi ſitum ſit, prudentiſſimè
videt; ſempérque de eo amplè diſſerit copioſéque, aut diſ-
tinctè atque articulatim diſputat. Quæ divulſa et diſſi-
pata ſunt, ea omnia conglutinat, et ratione quadam conſtrin-
git. Si quid involutum pauló-ve inſolentius eſt, notitiam ejus
aperit, non exiliter et jejunè, aut ampullarum ope et ſeſqui-
pedalium verborum, ſed dilucidè, expeditè, et commune ad
judicium populareḿque intelligentiam accommodatiſſimè.

Si in exordiis auditores primò movet leviter, reliqua illis
jam inclinatis graviter incumbit acris et contorta Oratio.
Ipſæ porrò proluſiones, non ad ſpeciem illæ quidem com-
poſitæ, ut Samnitum, [2] qui haſtis ante pugnam vibratis nihil [2] De Or: l. 2.
in pugnando utebantur; ſed ejuſmodi ſunt, ut ei magno p. 110.
uſui eſſe poſſint, cùm ad victoriam acerrimè nitatur. Res
eum ſi qua premit vehementer, ita cedit, ut non modò
non abjecto, [3] ſed ne rejecto quidem ſcuto, fugiat; ſuó- [3] p. 119.
que in præſidio conſiſtens, loci eligendi cauſa εντροπαλι-
σάσθαι [4] videatur. Ad refellendos autem adverſarios [4] Hom: Il. 1.
tela confert omnia. Digitos modò comprimit, et acu- l. 546.
leis Dialectices, quæ tanquam contracta et adſtricta Elo-
quentia putanda eſt, pungit homines in diſputando perpug-
naces: modò dilatat manus, et Orationis illius, quæ amplior
magnificentiórque et ſplendidior eſt, omnes habenas effun-
dit. Ingenii autem magnitudo ejus omnis ferè elucet, cùm
antè occupat [5] quod opponi poſſe videat; cùm ſermones [5] Orat: p. 163.
hominum moréſque deſcribit; cùm exemplis utitur; cùm
denuntiat, quid adverſarii caveant; cùm fraudes civium ad
perniciem, et integritatem ad ſalutem vocat; cùm liberius
quid audet; cùm ſupplicat, optat, execratur.

Conci-

Conciliantur vel maximè auditorum animi dignitate hominis, rebus geſtis, vitæ denique exiſtimatione; quæ quidem omnia, licet in adverſario Foxii non meliora ſint, faciliùs tamen ornatiúſque finguntur, ut probus, ut benè moratus, ut bonus vir eſſe videatur. Sed quoquo modo ſe illud habet, Foxius eſt Orator verè civilis, vereque ſapiens. Non otioſis ſe diſputationibus, ſed Reipublicæ adminiſtrationi potiſſimùm dedidit. Cùm priùs, quod honeſtum ſit, in animo ſuo efficere conſtituit, omnibus, ad efficiendum quod propoſuerit, naturæ dotibus, omnibus inſtrumentis artis, et obnixè et decenter utitur. Hac de cauſa, quos audienti mihi motus adhibere voluit, illi ſemper in animo Oratoris impreſſi et inuſti eſſe videbantur.

Dicendi, ſicut reliquarum artium, fundamentum eſt ſa-
1 Or: p. 159. pientia.[1] Qui autem et à doctrina fuerit liberaliter inſtructus, et multo jam imbutus uſu, ejus ſolet animus illuc rapi,
2 De Or: l. 2. p. 111. ubi non aliqua ſecluſa Eloquentiæ aquula[2] tenetur, ſed unde univerſum flumen erumpit. Ad res igitur humiles et tenuiores, quæ vel explanatè vel ſubtiliter tractandæ ſunt, Foxii
3 Br: p. 153. ingenium nonnunquam ſummittitur. Decet[3] hoc neſcio quomodo illum. Arripit, quotieſcunque vult, medium illud dicendi genus. Gravitatis ad locos ſubitò convertitur, aſcendítque ad fortiora, et pervenit in ſummum.

Præceps et rapida ejus Oratio fit interdum, cùm, idcircò obſcura, quia peracuta eſt, tum, celeritate ipſa paululùm cœ-
4 Br: p. 151. cata.[4] Sed neque verbis aptiorem citò aliam dixeris, neque ſententiis crebriorem. Profectò maxima in rerum verborúmque varietate, unus inſidet tota in oratione quaſi color qui-
5 De Or: l. 3. p. 128. dam, et ſuccus ſuus. Habet ea tamen veluti umbram[5] aliquam et receſſum, quò magis ea quæ illuſtriora ſunt, eminere ſolent atque exſtare. Summa eſt etiam in Foxio, perinde ac Demoſthene, laus illa, quòd inter diverſas et in omnem par-
6 Or: p. 162. tem diffuſas diſputationes, verſat[6] ſæpè multis modis eandem

dem

dem et unam rem : quòd hæret in ea commoratúrque : quòd inculcat eam mentibus hominum atque infigit altiſſimè.

Monendi ſunt ii quorum de hac re ſermo imperitus nimis increbruit, illud ipſum, quod in Foxio reprehendunt, eſſe artis vel intimæ et ingenii haud mediocris. Sæpè ſunt illius ſententiæ, ſi per ſe ſpectantur, graves et exquiſitæ et ex abdito erutæ, ut videantur è Philoſophorum ſpatiis, potiùs quàm è Rhetorum officinis, profluxiſſe. Sæpè in propria ac definita diſputatione hominum ac temporum verſantur. Sæpè ad communem quæſtionem univerſi generis traducuntur. Quò autem capiant te magis magíſque, modò eas collocat in hoc lumine, modò in illo. Nimirùm ad ſenſus voluntatéſque diverſas diverſorum hominum inflectendas, orationis vim conſultò accommodat. Quamobrem variis illam novíſque inſignibus diſtinguit; variis et inexpectatis confirmat argumentis; varios trahit et repentinos in uſus, ut animos etiam non faventium, aut commotos, in quam velit partem, alliciat, aut concitatos ſecum rapiat.

Dixi eam eſſe Foxio ingenii facultatem, quæ ſemper cauſis, in quas inciderit, parem ſe oſtendat. Quoties autem illæ ſunt dignæ in quibus latiùs ſe fundat, luminoſas ad partes et quaſi actuoſas accedens, quicquid in dicendo poteſt, totum expromit. Quod quidem cùm facit, veluti amnis monte decurrens ſaxa devolvit, [1] et pontem indignatur, & ripas ſe coërcentes undique diruit, copia atque impetu verborum. Hanc utique dicendi vim et celeritatem in Pericle olim mirabatur Eupolis: ad hanc obſtupeſcunt auditores, qui Foxio acerbiſſimè conviciantur.[2]

[1] Quint: lib. 12. c. 10.

[2] Ibid.

Profectò indigniſſimam viri hujuſce ad fortunam cùm reſpicio, et præteritorum recordatio eſt acerba, et quidem acerbior expectatio reliquorum. Maximè is tamen laudandus eſt, qui in hoc communi civium integerrimorum et quaſi fatali malo conſoletur ſe, cùm conſcientia mentis optimæ,

tum

tum, sanioris illius, quod de se posteritas latura sit, judicii expectatione.

Nunc de iis dicendum [1] est, quæ mihi conspiratione quadam vulgi reclamari intelligo. Qui enim reliquis in hominibus mites sunt, et cupiditates, quas Natura juvenibus profudit, faciles et tolerabiles habere solent; in hac fuerunt causa pertristes quidam patrui, censores, magistri.

Hi sunt eorum assidui et quotidiani sermones. "Si qui voluptatibus ducuntur, et se vitiorum illecebris dediderunt, [2] missos faciant honores: ne attingant rempublicam."

Quid igitur agam? quippe magna responsi invidia subeunda est, neque mitigari possunt legentium aures. Veniam igitur petere non ausim—[3] Perfugiis non utar juventutis aut temporum. Fatebor sanè Foxium, cùm in lubricas adolescentiæ vias ingrederetur, stuperétque jam insolitis et insanis fulgoribus, tanto mentis robore non fuisse, ut ei æqualium studia, ludíque, et convivia displicuerint. Erupisse in eo fatebor, illum impetum ardorémque, qui, sive ad litteras humaniores, sive ad prudentiam civilem, sive ad luxuriam amorésque inclinaret, id unum ageret, [4] id toto pectore arriperet, id universum hauriret. Fatebor à vera illa et directa ratione non gradu illum aliquo, sed præcipiti cursu descivisse: ut patrimonium effuderit, ut fœnore trucidatus sit, et naturale quoddam stirpis bonum degeneraverit vitio ætatis. At hæ, deliciæ quæ vocantur, etsi ad eas hæserit, nunquam hunc occupatum impeditúmque tenuerunt diu. At facultate jam florens, et studiis eloquentiæ per intervalla flagrans, cum blandimentis hisce conjunxit plurimum dignitatis. At scelere semper caruit. At in [5] Luxum se præcipitavit eum, qui à Tacito dicitur eruditus, itémque à Cicerone habetur homine ingenuo et libero [6] dignior. At revocavit se identidem ad curam reipublicæ. At [7] Petronii instar, vigentem se ostendit, et negotiis parem; effecítque, perinde ac [8] Mutianus, ut, in

[1] Quint: l. 12. c. 1.
[2] Orat: pro Sext. pag. 439.
[3] Or: pro Cæl. par. 5.
[4] Dial: de Or: par. 28.
[5] Tacit: Annal. 16. cap. 18.
[6] Orat: in L. Pis. par. 11.
[7] Tacit. Annal. 16. cap. 18.
[8] —Hist. 1. cap. 10.

in quo nimiæ eſſent, cum vacaret, voluptates, in eo, quoties expediret, magnæ elucerent virtutes. At vixit, hodiéque idem vivit, amicis carus. At dulciſſimus illis ſemper occurrit, eò quòd æqualitas et pares honorum gradus, et ſtudiorum quaſi finitima vicinitas, tantùm abſunt ab invidiæ obtrectatione, ut non modò non exulcerare eorum gratiam, ſed conciliare videantur. At dignus eſt quem numeres inter multos et quidem bonos, qui, cùm adoleſcentiam ferè totam voluptatibus dedidiſſent, emerſerint aliquando, probíque homines et illuſtres exſtiterint.

Reipublicæ in procuratione dum verſaretur, conſilia ſua omnia ita diligenter et animosè inſtituit, ita fuit ad excogitandum quid è Republica eſſet, ſolers acérque, ita ad negotia obeunda alacer et promtus, ut, ne æmulis quidem aut adverſariis pernegantibus, oſtenderit ſeſe

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρα τε ἔργων. [1] — [1] Hom: Iliad: 9. 443.

Redite mecum, lectores, in memoriam rerum, quas nuper vidimus, miſerrimarum.

Cùm jam propè eſſet, ut optabilem ex iniquiſſima fortunam haberemus, eruperunt ſubitò, qui occaſione [2] quàm virtute honores petere malebant. Fieri autem non potuit inter motus iſtos animorum, quin obmuteſcerent cives boni, et quaſi repentina popularíque tempeſtate perculſi ac proſtrati tantùm non obtorpeſcerent. Quicquid enim eſt dictum in eam ſententiam, quæ tum temporis populo deliranti perplacuit, ab eo licebat nemini, ne digitum quidem tranſverſum, diſcedere. At verò, cùm à ſtrepitu illo tumultúque aures noſtræ paululùm conquieverint, quid tandem cauſæ eſt, cur, de Republica quid ſentiamus, taciturnitate celemus diuturniore? Pudet, mehercule, pigétque nos memorare, qualis fuerit civium ardor prava jubentium,

[2] Liv. Lib. 6. cap. 41.

qui tres illos viros de gradu et ſtatu ſuo deturbârit indignis modis, effecerítque, ut ſalutis ſuæ civitas perderet tot præſidia, atque ornamenta dignitatis. Animus etiam nunc horret meminiſſe, ut Reſpublica, ſive ad capeſſendum, ſive ad arripiendum, tota ſit permiſſa Oratoribus, non de cœlo illis quidem repentè delapſis, ſed "ſtultis, novis, "adoleſcentulis [1];" et in arcem optimæ cauſæ catervatim invadentibus. Enimverò, quod in cives integerrimos prudentiſſimóſque Senatores tam effrænatè ſæviit ignobile ac malignum vulgus, illud, et poſteris, neceſſe eſt, et inimicis debeat ludibrium.

Qui ad rerum gubernacula, quo jure, quáve injuria, nunc aſſident, gloriolam ii, per nos licet, aucupentur caducam et inanem. Ingenio iſto ſuo, qualecunque ſit, gaudeant perfruantúrque; ſibi plaudant mirificè; et κάλλος illud ſuum κακῶν [2] ὕπουλον dictis phaleratis oſtentent. Atqui omnibus qui libero et ingenuo faſtidio judicant, videntur ad honores adipiſcendos nudi veniſſe atque inermes, nulla cognitione rerum , nulla ſcientia ornati. [3]

In rebus ferè omnibus quæ optimo cuique pudorem incutiunt, habet profectò eorum cauſa quoſdam colores, quibus poſſint imperitioribus fucum facere. Haud temerè eſt igitur, quòd ſeſe tempeſtivis conviviis cautè ſubducunt, et νηφαλίος θεοῖς quàm Baccho malunt litare, ſiquidem memoriæ proditum eſt, et Demoſthenem πρὸς ὕδωρ γράφαι [4], et Cæſarem ad Rempublicam evertendam acceſſiſſe ſobrium [5]. Leges ſi figunt refigúntque, populo plaudente, idcircò videntur properare ad exemplar illius Oratoris, qui, cùm interrogatus eſſet πῶς ὁ Βυζαντίων ἔχοι νόμος, nulla uſus circuitione verborum, reſpondit, ὡς ἐγὼ θέλω [6]. Si floſculis ſententiarum, verborúmque lenociniis, et vitioſa ſui jactatione vulgus captant, eodem planè, quo M. Cicero, animi morbo laborant. Si, contortulas per quæſtiunculas et ſophiſmata aculeata, quantùm profecerint in Dialectica, oſtendunt, credibile

[1] Nævius in Cic: de Senectute p. 533.

[2] Sophoc: Oed: Tyr: 1409.

[3] De Orat. lib. 3. p. 130.

[4] Lucian: Dem: Enc: parag. 15. Edit. Reitz.

[5] Sueton: lib. 1. parag. 53. & Quintil. lib. 8. cap. 2.

[6] Sext: Empir: adverſ. Math. pag. 71.

dibile eſt illos prodiiſſe è familia Socraticorum, quibus id palmarium fuit

——— τὸν ἥττονα
Νικᾶν λόγον λέγοντα τἀδικώτατα.[1]

Si recentibus præceptorum ſtudiis flagrantes, ſimulant ſe mores induiſſe paulò aſperiores, quàm in Juvenibus ipſa Natura patiatur, ecquis perneget eos meminiſſe Platonici illius præcepti τὰ σωφρόνων ἀρχόντων ἤθη δριμύτητος, καί τινος ἰταμότητος ὀξείας καὶ πρακτικῆς ἐνδεῖσθαι?[2] Ipſi cùm novi ſint homines, ſi novis rebus ſtudent, ac recentia quæque, inſignia, ore adhuc alio indicta effutiunt, illud ipſum "[3] Atticos inquilinos" apprimè decet; Atticíque illius νεωτερίσμȣ proprium redolet ſaporem. Sibi ſi videntur poſſe omnia, rémque populi tractant tumultuosè, et magno cum conatu magnas nugas agunt, vulgi in opinionibus probè ſciunt perfugium eſſe, quò ſe recipiant. νέῳ μὲν γὰρ ἴσως ἐπέοικε καθ' Ὅμηρον πάντα. καὶ ἔχονται καὶ ἀγαπῶσι, τὰ μὲν μικρὰ καὶ πολλὰ πράξαντα, δημοτικὸν καὶ φιλόπονον, τὰ δὲ λαμπρὰ καὶ σεμνὰ γενναῖον καὶ μεγαλόφρονα καλȣ̃ντες. ἔστι δ' ὅπȣ καὶ τὸ φιλόνεικον καὶ παράβολον, ὥραν ἔχει τινὰ καὶ χάριν ἐπιπρέπȣσαν τοῖς τηλικȣ́τοις.[4] Quid quòd negotia quæ ſuſceperint ad defendendum minùs apta, "rebus extrinſecùs adductis," cujuſmodi ſunt Bellum Americanum et Coälitio quæ dicitur, "circumliniunt?" "ac ſi defecerint alia, conviciis implent vacua cauſarum, ſi contingit, veris; ſi minùs, fictis: modò ſit materia ingenii, intérque audiendum excitent clamores?"[5] Hanc ipſam maledicendi ſartaginem, hunc nigræ ſuccum loliginis et æruginem meram, hanc caninam[6], uti Appius aït, Eloquentiam, ſunt qui verbis decoris obvolvant, et partes in ſuas collo obtorto trahant Pindari hæc verba,

[1] Ariſtoph. Nub. 914.

[2] Stobæus pag. 319.

[3] Ariſtot. Rhet. lib. 2. cap. 17.

[4] Plutarch. Tom. 2. pag. 793. edit. Xyl.

[5] Quintilian: lib. 12. cap. 9.

[6] Ibid. cap. 3.

——— Χρὴ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.[1]

[1] Pind: Isth: 4.

Ad plebeculam quod attinet, liceat ei, cùm levis sit atque infida, homunciones sui simillimos in sinu fovere. Est utique τοῖς πολλοῖς persuasissimum, multis jactatam gravissimísque tempestatibus navem reipublicæ, tandem aliquando in tuto esse collocatam. Res credunt suas nunc demum omnes leni fluere et secundo cursu. Vota etiam, quæ, haud scio, an à numinibus exaudita sint malignis, ea jactitant esse ad felices exitus omnia omninò perducta.

Hujusmodi sanè rumusculi nostras sæpè ad aures pervenerunt. Ημεῖς δέ τοι ου ταχυπειθεῖς. Quin usu venit nobis, qui rerum ipsarum momenta ponderamus, in alia omnia ire. At enim uno ore omnes omnia bona de Palinuro nostro certatim dicunt! Id se ut ut habet, equidem haud crediderim, aut rerum prudentiam [2], aut eloquentiam, quæ solida et robusta sit, ante pilos venire. Nec verò Reipublicæ is mihi gerendæ patiens peritúsque esse videtur, qui mellitis verborum globulis, tinnitúque periodorum, et manus intra pallium non contentæ [3] ipsa majestate, multitudini fecerit silentium. Sed nimirùm majus est quiddam quàm vulgò opinantur, reipublicæ procurandæ ratio. Non istam inanem sine usu loquacitatem, non cantilenam ex scholis, non orationis cincinnos et fucos illa quidem profectò desiderat. Non assiduitatis est meræ, et operarum harum quotidianarum. Contrà ea plurimis ex artibus et studiis, quæ veluti comites ministríque oratoris sunt, multis consiliis multáque exercitatione colligi debebit.

[2] Persii Sat. 4.

[3] Quintil: lib. 12. cap. 10.

Magnum, si quod aliud, ejus qui reipublicæ præest, nomen videtur, magna species, magna dignitas, ut angustiæ pectoris juvenilis, rerúmque insolentia civilium non sustinere possint tantam personam, tam gravem, tam severam [4]. Liceat planè Pindaro, qui in ψεύδεσι ποικίλοις versatus sit, de Damophilo compositè ornatéque dicere

[4] Orat: in Pis: par. 5. Ed: Delph.

Κεῖνος

Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος·
Ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς, ἐγκύρ-
σαις ἑκατονταετεῖ βιοτᾷ.[1] [1] Pyth: 4. 501.

Fuit autem, ut opinio mea fert, etiam à Tiberio, [2] illud certè quidem cautum præclarè, "ut ne quis adolescentium "animos præmaturis honoribus ad superbiam attolleret." Etenim vix aut ne vix quidem reperiendus est, qui ineunte ætate docuerit, "ab excellenti [3] eximiáque virtute pro-"gressum ætatis expectari non oportere." Profectò et potest et solet esse militaris virtutis cursus celerrimus. Inde factum est, ut res maximas gereret Macedo ille Alexander, útque populi Romani imperium augerent superior Africanus [4] et Titus Flamininus, admodùm adolescentes consules creati. At diversa est ratio eorum, qui pacatis in Temporibus ad Rempublicam æquo citiùs accesserunt. Vim illi omnem ingenii plerúmque consumserunt in populari levitate [5]. Potentiam inutilem, dominandíque lubricam et præcipitem cupiditatem veræ solidæque gloriæ anteposuerunt. Ac mihi quidem videntur frustrà argutari, qui rationibus hisce famam Luculli opponunt. Egregio illi viro contigisse fateor incredibilem quandam ingenii magnitudinem, quæ indocilem usus disciplinam non desideraret, & omnium opinionem quæ de ejus virtute fuisset, bellica laude vinceret. At verò idem ille adolescentiam [6] in forensi opere et Quæsturæ diuturnum tempus in Asiæ pace consumserat. Ad Consulatum non accessit, antequam et Quæstor et Ædilis et Prætor factus fuisset. Habuisse fertur divinam quandam rerum memoriam, in qua insculptum hæreret, quodcunque audiisset vel vidisset. Omni litterarum generi et Philosophiæ deditus erat. Secum assiduè habebat Antiochum, qui ingenio scientiáque putabatur Philosophos ferè omnes præstare. Atqui harum rerum omnium ad laudem maximè antecellentium, vix unam esse puto, quæ in τὸν δεῖνα conveniat.

[2] Tacit: Annal: 4. par. 17.

[3] Cic: Philipp: 5. p. 515.

[4] Ibid.

[5] Phil: 5. p. 516.

[6] Ciceron: Academ: lib. 4. sub init.

Atticum

Atticum [1] ferunt ſuſcepti negotii nunquam pertæſum eſſe: quod quidem ὁ δεῖνα minimè admirabile ſtatuit eſſe in eo, qui Reipublicæ procurationem judicio fugiſſet. Aliam ipſe viam ad laudem primus invenit. Aliam, ſuo Marte, invexit regendæ civitatis rationem. Quippe profundo ipſe ſe de induſtria merſat, ut pulchrior eveniſſe videatur. Opes ducit animúmque ex hoc ipſo, quòd magnis atque immanibus auſis ſæpiùs atque iterùm exciderit. Quinetiam vincendi cùm nec ſpes ſibi ulla nec facultas ſit, certamen, dedita opera, ſibi cum hominibus diſertiſſimis inſtituit, ut fallendo effugiendóque de iis triumphos agat. Qui autem lucro ſibi apponit, quòd conatus ipſius vel ſua ſponte irriti ceſſerint, vel ab adverſariis infracti ſint et contuſi, τί ἄν ἐπόιει, ἢ τίνας ἀν ἔιπε λόγȣς, ἐι συνέϐη κατορθῶσαι ἀυτῷ ἅ πολιτέυεσθαι ἐϐȣ́λετο.[2]

Nobis ſanè videntur homines Politici æquè ac Philoſophi, non ſingulis ex vocibus judicandi, ſed ex rerum perpetuitate [3] et conſtantia. Itaque quæ vel geſta à τῷ δεῖνα, vel tentata maximè laudantur, ea breviter ſummatimque perſtringamus.

Rebus in Hibernicis quas trahere ad arbitrium malebat, quàm lenibus ducere imperiis aut lenibus conſiliis ſequi, perſæpè ab illo offenſum et titubatum eſt.

Senatûs non corrigendi modò, ſed nova tanquam incude diffingendi cauſa, omnes effudit vires animi et ingenii ſui: omnes in hac re una nervos intendit. Sed vicit, neſcio quomodo, pars major, ut fit, eam, quæ à τῷ δεῖνα melior vocabatur. Quo quidem facto, refrixit in mente τȣ̃ δεῖνα omnis ille ardor, diligentia omnis relanguit, et ſpes omnis ſanandæ civitatis extenuari jam viſa eſt ac penitùs infringi. Hinc illud eſt, quòd ii qui ſpecie libertatis inſaniunt, de verbis ſibi datis conqueruntur, atque adeò patronum, in quem cauſa illa quondam inclinata recumbebat, illum ipſum clamitant

ἕτερον φρεσὶ κεύθειν, ἄλλο δὲ βάζειν [4].

Quod

[1] Corn: Nep. vit: Att: cap. 15.

[2] Dinarch: Orat: contra Demoſth.

[3] Cic: Tuſc: Quæſt: lib. 5. cap. 10.

[4] Hom. Iliad. 10.

Quod ad σεισαχθέιαν [1] attinet, quam Solonis nostri sub ausspiciis futuram esse aiunt in publicis Vectigalibus, διδία μή ἄνθρακας τὸν θήσαυρον ἕυρωμεν ἀεγρόμενοι. [2]

[1] Diog: Laërt: Vit: Solonis. lib. 1. pag. 27.
[2] Lucian: in Timon.

Gentes autem inter exteras, quæ videntur modò cæcas struere insidias, modò consilia intendere calida et audacia, si quid mali nobis nec-opinantibus eruperit, multa, quæ ex intervallo non apparent, res ipsa aperiet, ἑυρήσει τε τὰ σάθρα τῦ δεῖνα ἀυτὸς ὁ πόλεμος. [3]

[3] Demosth: Philipp. 1. parag. 15.

Nam quod fœdus est nuper cum Gallis initum, hujus vulgò creditur, illiúsque, quod est olim Ultrajecti factum, non unam esse faciem, nec diversam tamen. Dixerit quispiam, littora Gallorum nostris littoribus, et verò fata fatis, cùm consuetudine tum legibus quibusdam propè ipsius naturæ, esse contraria? Facilè ὁ δεῖνα ejus argumenta hoc consilio pervertet.

Κορινθίοις ἄχθεσθε· κἀκεῖνοι γέ σοι
Νῦν ἐισὶ χρηστὸι, καὶ σὺ νῦν χρηστὸς γενῦ. [4]

[4] Aristoph: Eccles: 199.

„ Annon Gallica vina Britannorum mercibus reparata, pateris de spumantibus hauriemus?"

Οιον πρὸς ἀλλήλας λαλῦσιν ἁι πόλεις
Διαλλαγεῖσαι, καὶ γελῶσιν ἅσμεναι,
Καὶ ταῦτα δαιμονίως ὑπωπιασμέναι
Ἁπαξάπασαι, καὶ κυάθοις προσκείμεναι. [5]

[5] Aristoph. Pax 538.

Contendunt scilicet ὁι Γαλλίζοντες, acriter contendit ὁ δεῖνα, omnes denique ejus fautores ὁμοθυμαδὸν καὶ ὁμοφώνως contendunt, fore, hoc fœdere perfecto, ut Galli positis armis mitescant, neque ex occulto vel insidiis aliquid agant. [6] Dulce fateor est nomen pacis.—Rem verò ipsam, cùm jucunda et salutaris sit, quovis ferè pretio emerim. At verba hujusmodi, utrùm à dolo hostium, an virtute profecta sint, haud quisquam addubitaverit. At Gallos [7] quos ἀπειλοῦντας crediderim esse μάλιστα ἀξιοπίστους, eosdem

[6] Cic. Philip. 13.
[7] Dem. Olynth: 3.

eoſdem illos tum maximè, cùm dona ultrò ferant, timendos eſſe ſtatuerim. At pacis nomine bellum involutum reformido.

Enimverò pater τȣ̃ δεῖνα, ſi in vivis eſſet, ea omnia, quæ in hac quæſtione à filio dicta ſunt, perflagitioſa ad loquendum eſſe clamitaret, et ad audiendum perturpia. Fulguraret more ſuo et tonaret contra eos, qui propter incertos exitus belli Martemque communem nimio ſunt in metu. Diceret

[1] Philip. 13.

in ſenatu, eſſe omninò [1] fortium virorum, quales nos eſſe debeamus, virtute præſtare tantum, ut poſſent fortunæ culpam non extimeſcere.

Λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον, ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ τὰ τῶν Ελλήνων διοικῶν, καὶ ὑπερεκπεπληγμένοι ὡς ἄμαχόν τινα οἱ Αθηναῖοι τὸν Φίλιππον, ὑμᾶς δὲ αὐτȣ̀ς προς τὴν ῥαθυμίαν καὶ ἀθυμίαν πείθων εθελοντὴς, καὶ φλυαρῶν, καὶ φιλιππίζων ὁ Δημοσθένης ὁ τȣ̃ Ὁμωνύμȣ αὐτῷ τȣ̃ μαχαρίτȣ. [2] τιθασσεύει νὴ δία ὁ νεανίσκος χειροήθεις ὑμᾶς ποιῶν. Εστι δ' ὀυδέποτ' ὄιμαι μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν, μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας. [3]

[2] Demoſth. Phil. 2. Olynth. 1.

[3] Demoſth. Olynth. 2.

Qui ſplendida ejus de ſe promiſſa exaudiunt, eundémque vident negotiis tot tantíſque implicitum et conſtrictum, jure optimo poſſunt exclamare, Μητίοχος μὲν ϛρατηγεῖ, Μητίοχος δὲ τὰς ὁδȣ̀ς, Μητίοχος δὲ ἄρτȣς ἐποπτᾶ, Μητιόχος δὲ τὰ ἄλφιτα, Μητίοχος δὲ πάντα ποιεῖται. [4] Sin autem aliorum expectationem fefellerint conſilia, quæ ſanè ab ipſo ſuſcepta eſſe videantur, non tam perficiendi ſpe quàm experiendi voluntate: ſi gravior aliqua facta fuerit ex improviſo, temporum perturbatio: ſi bellum aliquando exarſerit, tum demum illæ pertriſtes vulgi ore increbreſcent voces, Μητίοχος δὲ οἰμώξεται. [5]

[4] Plutarch: Tom. 2. Pag. 811. Edit. Xyl.

[5] Ibid.

De ſtylo hujuſce juvenis mea quæ ſit ſententia, idcircò difficile eſt proloqui, quòd plerique ſunt rei ipſius iniqui æſtimatores, et hominis, de quo agitur, fautores ineptiſſimi.

Si

Si quid enim exquiſitius acciderit auribus imperitorum, qualecunque ſit id quod ipſi poſſe deſperent, maximam habet admirationem. Qui autem plebe infima paulò plùs ſapiunt, magis populare et plauſible exiſtimant dicendi illud genus, quod puerilibus ſententiolis laſcivit, quod immodico tumore turgeſcit, quod inanibus locis bacchatur, et præcipitia habet pro ſublimibus? [1] Quam igitur eloquentiæ ſpeciem Humius [2] ait ſe cogitatione et mente complexum fuiſſe, re ipſa non vidiſſe, eam credunt in τῷ δεῖνα elucere aliquando—Oratorem, quem animo ille tenebat, ipſi ſe ſomniant manu prehendere [3], Juvenem utique acerrimo præditum ingenio, optimis diſciplinis penitùs imbutum, rerum civilium HAUD IGNARUM, qui in ſenatu auſpicatò aſſurgens aures noſtras ſemper impleat, qui omnes affectus moveat vehementer, nitidúſque et ſublimis et locuples circumfluentibus undique eloquentiæ copiis imperet.

Hancce autem dicendi, quæ ſentiam, occaſionem nactus, paulò jam liberiùs enunciabo, quod ſemper tacui, et ſanè cauſis graviſſimis adductus, adhuc tacendum putavi. Maximè in hoc juvene ſplendeſcit pictum quoddam orationis et floridum genus, quod quidem cùm è Sophiſtarum fontibus in ſenatum defluxiſſe totum videatur, ſpretum eſt plerúmque à ſubtilibus, idémque à gravibus repulſum. Habet autem ὁ δεῖνα (id quod unicè laudandum ſtatuo) facultatem illam dicendi ex tempore, quam "longi "laboris eſſe præmium vel ampliſſimum" [4] veteres dictitabant. Quæcunque ei demum acciderit neceſſitas, primo motu corporis, prima jactatione manûs, [5] prima pedis ſupploſione, copiæ [6] verborum, veluti milites Pompeiani duci ſuo ſacramento addicti, promunt ſe, atque in medium certò evocatæ proſiliunt. Per id mirum quoque ſemper mihi viſum eſt, ſolere illum, in perpetuitate ſermonis et celeritate maxima; ſolere, inter ambitus ſententiarum longiſſimè circumductos; ſolere, inter vel abruptas

vel

[1] Quintil: lib. 12. cap. 10.

[2] Eſſay 13th. on Eloquence.

[3] Cicer: de perfect: Orat.

[4] Quintil: lib. 10. cap. 7.

[5] Ibid.

[6] Strad. prol. Academ. 1. et Launcelot. Act. 3. Scen. 2. Mercat. Ven.

vel flexuoſas intercluſiones *παρατηρεῖν τῶν ὀνομάτων ἐκλογὴν καὶ τῆς συνθεσέως τὴν ἀκρίϐειαν*[1], ut in verbulum, quod à Grammaticorum regulis aberret, ne unum quidem incidat——Huic verò facilitati illud etiam accedit, quòd tenorem quendam in diſputando ſervat, et ordinem eum qui cogitationibus neceſſitate quodammodò expreſſis aptiſſimus eſt, rectè, maximam partem, diſponit. Nunquam interſiſtit ejus oratio claudicátve. Nunquam aut hæſitare videtur, aut, rebus duabus animo obverſantibus, utra earum ſit aptior ad uſum vel ad ornatum magis decora, punctum temporis, deliberare. Sunt autem, qui rerum illas imagines, quæ tanto cum impetu feruntur, *nimis* recentes [2] eſſe deputent, ita tamen, ut eaſdem, ſi incudi redderentur, limatiores magíſque factas fore evaſuras non credant.

[1] Dion: Halicar: *ἀρχαίων κρίσις*. de Simon:

[2] Quintil: lib. 10. cap. 7.

Sonitus ille *παρασήμων καὶ Ἀττικῶν ῥημάτων*, [3] etſi nervorum ei minus ineſt, plurimum tamen venuſtatis nonnunquam habet. Eſt etiam, ubi ſententia rerum vocabulis ornatiſſimis ſubjecta aut pertenuis eſt aut planè nulla. Ipſa porrò verba ſæpè inſolens quiddam et odioſum ſonant. Sæpè orationis ſeriem, quæ in aures influebat percommodè, illam ipſam oculis fidelibus ſubjectam ſi diſſolvas, exile fit neſcio quid, et fractum, et languidulum.

[3] Epigr. Cereal. Brunck Analect: Tom. 2. p. 345.

Oratorem non ſolum [4] gravem ſed interdum trucem *τὸν δεινὰ* eſſe ſcimus omnes, ut ſæpè neceſſe ſit ejus inhumanitatem acriter propulſare et retundere. Ad ridiculum is tamen nonnunquam divertitur, ſive ut animos auditorum à ſatietate renovet reficiatque, ſive etiam ut ingenio ſuo parùm miti morem gerat. His autem in dicteriis, quæ orationi ſuæ aſpergit, nec ſalſum, nec urbanum, nec facetum unquam conſequi poteſt, palámque oſtendit, ſibi, æquè ac [5] Demoſtheni, non tam diſplicuiſſe jocos, quàm non contigiſſe.

[4] Liv. 34. cap. 5.

[5] Quintil. lib. 6. cap. 3.

Quod

Quod autem in τῷ δεῖνα maximè desidero, longe diversum est ab his quæ dixi, longéque majus. Etenim scientiam illam civilem, quæ summa in Oratore debet esse, in eo non vidi: non cognitionem earum rationum, quæ de naturis humani generis et moribus, à Philosophis explicantur: non denique vim illam, quæ in animorum motibus inflammandis potissimùm dominatur, atque in mentibus eorum, qui audiunt, quasi aculeos quosdam relinquit. Fuerit igitur sermo ejus à circulatoria volubilitate paulò remotior. Fuerit idem artificio quodam et perpolitione distinctus. Numeris subindè ornatus fuerit, qui sua sponte defluxisse, non arcessiti et coacti esse videantur. Eloquentiam tamen si eam solam statuis esse veram, quæ animos hominum modò infringat, modò irrepat in sensus; quæ novas opiniones inserat, "deque pulmone," ut cum Persio [1] loquar, "veteres avias revellat," fatendum est profectò τὸν δεῖνα, ne in rutis [2] quidem et cæsis, solium paternum recepisse.

Nimirùm ὁ δεῖνα est vehemens feroxque natura; neque enim fas esse putat verbum ex ore exire cujusquam, quod non jucundum et honorificum ad aures suas accidat. Id verò ipsum maximè me impellit, ut audaciam ejus paulisper comprimam, et loquacitatem istam, qua possim, hisce interrogatiunculis irretitam retardem.

Num ad ambitiosa, quibus Orationes ejus enitescunt, ornamenta, adjungit etiam illa, quæ ex eruditione liberali ducta, et ferri solent et laudari ea in ætatula, cui plurimum favetur? Num historias movet eas, quæ in fastis temporum recentiorum positæ sunt? Num ex veteri memoria, et [3] monumentis, et litteris, haurit exempla, quæ quidem solent et auctoritatis plurimum habere ad probandum, et jucunditatis ad audiendum? Num verba illa ardentia et sententias vibrantes, quæ doctiori cuique inter legendum arrident, rei, qua de agitur, accommodat, suæque intexit

[1] Sat: 5.

[2] Cicer: de Orat: lib. 2. pag. 115.

[3] In Verr. lib. 3. pag. 266.

intexit orationi ? Auditores ejus fautoréſque num gratulari ſibi poſſunt de eo, quod eſt à Timotheo dictum de omnibus, qui apud Platonem cœnulas jucundè produxiſſent, ὡς καὶ τῇ ὑςεραίᾳ καλῶς γίνονται [1]? Num qua ejus feruntur in ore vulgi, aut ſapientiæ pleniſſima aut facetiarum ἀπομνημονεύματα, id quod idem ille Plato dicebat iis contingere, qui per ſpecimina ingenii et doctrinæ ſæpiùs populo data potuiſſent ὀνόματος τυχεῖν [2]? Ecquid reconditi profert in medium ? ecquid expectatione dignum eorum, quibus liberè et doctè licet judicare ? ecquid aut inauditum hominibus uſu et exercitatione inſtructis, aut etiam mediocribus Oratoribus omninò novum ? NIL HORUM. Quæ cùm ita ſint, non illum negaverim iſta omnia communia et contrita dicendi præcepta edidiciſſe. Illud etiam tribuerim, boni Oratoris eſſe multa auribus accipere ; multa itidem, [3] furtim et curſim attingere legendo. Si quid autem aptius et exquiſitius in orationibus ejus, (quamvis rara avis eſt) ſi quid tamen unquam exiit, id omne mihi videtur ὁ δεῖνα non ut ſuum poſſidere, ſed libâſſe ut alienum. [4]

Haud ſanè diu eſt, cùm ſe in cancellos et conciunculas tanquam in piſtrinum quoddam detrudi et compingi indignatus eſt. Quæ autem aliis tradi ſolent arte et via, ea omnia credibile eſt eum hauſiſſe ab ipſa Natura, aut raptim levitérque labris primoribus attigiſſe. Inde fit, ut verborum gurgite [5] in vaſto, communes loci, qui Latinè ſcripti ſint, rari nantes appareant, hic videlicet à Lucano petitus, ille à Livio : puerulis uterque et litteratoribus notiſſimus. Inde fit, ut argumenta ejus perſæpè declamatorem de ludis ſapiant : convicia ejuſdem, rabulam de foro.

Minimè ei cedat in laudem, quòd ancipites dicendi incertóſque caſus non extimeſcit, aut incredibilem rerum ipſarum, quæ tractandæ ſunt, magnitudinem et difficultatem contemnit. Marcus enim Craſſus ſe fatetur id ſæpiſſimè expertum eſſe, ut exalbeſceret in principiis orationis, et tota

[1] Athen : lib. 10. lin. 419. et Ælian. V. H. lib. 2. cap. 10.

[2] Diog : Laert : in Vit: Platonis Segm : 38.

[3] Cic: deOrat. lib. 1 p. 99.

[4] Ibid.

[5] Warburton præf: ad Shakſp.

tota mente atque omnibus artubus [1] contremefceret. Fatetur etiam M. Cicero [2] fe, cùm illius diei fibi veniffet in mentem, quo die fibi dicendum effet, non modò commoveri animo effe folitum, fed etiam perhorrefcere toto corpore. At nemo eft, qui τὸν δεῖνα unquam viderit, aut metu aliquo paulifper fractum, aut ingenuo et infanti, qualis juvenem deceret, pudore debilitatum. Effe quofdam fcio quibus admirabile hoc ipfum videatur. M. autem Craffo judice [3], ne illi quidem qui facillimè et ornatiffimè dicunt, impudentiæ nomen debent effugere, nifi timidè ad dicendum accedant, et in ordienda oratione aliquantulùm conturbentur.

[1] Cic: de Oratore lib. 1. p. 94.

[2] Divinat: in Cæcil: par:10.

[3] C. de Orat. lib. 1. p. 94.

Ferri folent in juvenibus etiam uberiora paulò et penè periclitantia. At nihil eft in natura rerum, quod fe univerfum femel profundat, aut quod totum repentè evolet. Oratoris itaque fi præproperè [4] diftringatur frons immatura, et acerbum quidque ab eo temerè proferatur, omnia quæ benè nata fuerint aut parata in vita meliore, penitùs dedecorantur. Quid enim? annon fundamenta jaciuntur arrogantiæ [5]? annon vires prævenit fiducia? annon tumidus fit quidam orator, fuíque jactans, et [6] facundus malo publico?

[4] Quint: l. 12. c. 6.

[5] Quint. l. 12. c 6.

[6] Vel. Paterc. lib. 2. cap. 48.

Contigerit, necne, Humio, ea prudentia, quæ à divinatione propè abeffe dicitur, non eft noftrum dijudicare. At *hunc* fcio non effe virum, quem Curiæ confulenti præfidium et decus futurum Philofophus ille promiferit. Alia ex parte, qui in rebus hifce fapit, et Jove, quod aiunt, æquo judicat, mecum, nî fallor, lubentiffimè faciet, cùm Ciceronem affirmo, ea, quæ nuper facta funt, cecinifse ut vatem: "Cùm in dicendo fæpè par, nonnunquam etiam fuperior "vifus effet is, qui, omiffo ftudio fapientiæ, nihil fibi "præter eloquentiam, comparâffet, fiebat, ut et multitu"dinis, et fuo judicio dignus, qui rempublicam gereret, "videretur." [7]

[7] Cic: Rhet: lib: 1. pag. 63.

Profectò

Profectò juvenem huncce, modò in venditandis ineptiis ἀυταρκῆ καὶ αὐτοδίδακτον, modò rebus in arduis ἄπορον καὶ ἀμήχανον si aspiceres, nihil fatereris unquam exstitisse "sic dispar sibi." Aliis in rebus iracundus acérque, conviciorum aculeis nihil non flagitat, aut penè vi et armis arrogat. In aliis fit simillimus Lancastrio, qualis describitur ab equite [1] illo, quem facetiis abundantem et cute benè curata nitidum, asseclæ τȣ̃ δεῖνα oculis fugiunt, auribus respuunt, animis aspernantur,

[1] Henric: 4ti. Pars 2da. Act: 4. Sc. 7.

Ψυχρὰν ἔχει παῖς καρδίαν θερμοῖς ἔπι·
Ὑδαρές τέ πως καὶ λεπτὸν αἷμ' ἀεὶ τρέφων
Νηφεὶν τ' ἀπιστεῖν τ' ἄρθρα τȣ̃ βίȣ λέγει,
Ἄοινον, ἀγέλαστον, ἀπροσήγορον τέρας.

Certis quibusdam destinatísque sententiis ita est hodie consecratus, eáque, ut opinor, necessitate constrictus, ut Dogmaticorum more, etiam quæ minùs probari possint, ea cogatur, sive dignitatis, sive constantiæ causa defendere. [2] Crastino die fit transfuga Academicorum ad partes, nihílque ducit tam temerarium támque indignum sapientis gravitate, quàm illud, quod non satis exploratè cognitum sit, sine ulla dubitatione tueri [3]. Tum verò, furtivis coloribus ferox et præclarus, tanquam Cornicula, superbit, et, à quibus est mutuatus, quicquid in consiliis suis sanum et sincerum est, eorum pergit aures obtundere conviciis è trivio petitis.

[2] Cic. Tusc: Quæst: lib. 2.

[3] Cic: de Nat: Deorum lib. 1.

[4] A Minucio is quidem didicit, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum autem eum, qui benè monenti obediat. Cavet itaque ne extremi esse ingenii ideò videatur, quòd et sua ipse negotia expedire et explicare nequeat, et simul aliorum consiliis regi nolit.

[4] Liv. lib. 22. cap. 29

Sumásne ab alienis, tibi quod usui sit, pudenter, an importunè rapias, "immane quantum distat." Sit tamen illud

illud duræ necessitatis, quòd, domi cùm sit res angusta et exilis,

——Convectare juvat prædas, et vivere rapto.[1]

[1] Virg. Æn. 1.

Atqui opprobriis eos lacessere, per quos plurimùm ipse profeceris, animi videtur esse invidi et pusilli, qui nec cedere velit, nec, certamine æquis conditionibus comparato, possit victoriam ab adversariis extorquere. Nempe qui doceri ab hostibus haud nefas esse statuit, ipse oportet "Hostis Teucros [2] laude" aliquantulùm prosequatur.

[2] Æn. 1.

Minimè est intereà dissimulandum posse ex adversariis τȣ̃ δεῖνα quosdam reperiri, quos veluti παθὼν νήπιος [3] tangere omninò nolit. Hoc nimirùm illud est, quod ne sui quidem Senatûs plausu solet gaudere, quoties famam captat dicacis viro in illo, qui cùm oratorem maximum, tum acerrimum Jaculatorem sese præbuit: qui, et causæ cujusque qui sit color, et [4] sagittæ quibus ex armamentariis veniant, probè novit; qui denique nec Hyperidi aut Lysiæ acumine et subtilitate [5] cedit, nec facetiis et salibus Atticis Aristophani aut Menandro.

[3] Hesiod: Op: et Dies. 218.

[4] Juvenal. Sat. 7.

[5] Cic: Orator p. 161.

Ne " bellum incidat disparibus," ipse tanquam pigrior ὁ δεῖνα nonnunquam discedit, vehementérque optat occasionem se nancisci posse " munerum ultrò mittendorum.[6]" Hoc verò fieri cùm nequeat, omnes istos aculeos et tortuosum genus disputandi totum, homo bellissimus relinquit. Adversarium ita laudat, ut se fateatur eundem pertimescere. Ita contra illum dicit, quamvis ipse sit ingeniosus, ut gravissimum etiam de suo ingenio judicium fieri arbitretur.[9] Cum Sheridano qui congreditur, is utique, mirum foret, nî tela imbellia abjiceret, nî viribus parceret consultò, modestiáque et temperando linguæ, [7] adolescens, ne à viris facetis vinceretur, ipse se et dicacitatem suam vinceret. Alii item aut conticescant oportet, aut demissiùs se gerant veteratores in disputando vafri et malitiosi. Etenim ad

[6] Horat: Sat. 7. lib. 1.

[7] Vide Liv: lib. 28. et Orat: τȣ̃ δεῖνα.

magnam

magnam rerum cognitionem multa in Sheridano accedunt, quæ in Oratore apprimè neceſſaria ſunt. Nôrunt experti quantus ſit ejus in jocando lepos, quanta libero homine digna eruditio, quanta celeritas brevitáſque reſpondendi et laceſſendi, cum argutiis exquiſitiſſimis atque urbanitate mirificè conjuncta.[1]

Oratorem aiunt vel mediocrem, modò ſit aliquid in eo, tenere hominum [2] aures. Sed, tanta cùm turba ſit faventium τῷ δεῖνα, fateor me vix in ullum de iis incidiſſe, qui, minima ex parte, cum Sheridano comparari poſſit. Uni, forſan, & alteri eorum, non ingenium omninò, ſed oratorium ingenium deeſt. Mediocriter ſunt alii à doctrina inſtructi, et multò anguſtiùs à natura, vix ut in dicentium numero habendi ſint, nedum diſertorum. Alii autem ignoti homines et repentini, oratores celeriter facti ſunt, oppidano quodam et incondito genere dicendi. Miſſos igitur faciamus fortemque Gyam fortemque Cloanthum, ne ſuſpicantes quidem quid ſit ornatè loqui, et ad laborem cogitandi planè inhabiles. Ego verò trutina in eadem, qua Sheridanum, juvenes poſuerim duos, quorum hunc, jure appellaveris πρωταγωνιστὴν, illum, ſecundarum partium actorem.

Promta eſt et parata τοῦ δεῖνα in agendo celeritas, nihil ut ſit in illo genere magis plauſibile. Eum verò acumine et nonnunquam diligentia, ſale ſemper et lepore ſuperat Sheridanus.

Τῷ δεῖνα accedit, longo proximus intervallo, ſed proximus tamen, Grenvillius, is, qui et impar congreſſus cum hoſte, et victus, pretium aliquod certaminis ex eo ipſo tulit, quòd cum Sheridano certaverat. Docti hujuſce, quod ſatìs ſit, adoleſcentuli, prudens quædam et conſiderata tarditas eſt, atque induſtria valdè probabilis. At Sheridanus illum vincit expediendis conficiendiſque rebus, fitque, quod eſt admodùm difficile, idem et perornatus et perbrevis.

[1] Cicer: de Orat: lib. 1. pag. 89.

[2] Brut: p. 147.

Poſſunt

Poſſunt profectò Oratores eſſe ſummi, qui maximè ſunt inter ſe diſſimiles. Quid igitur vetat quò minùs Sheridanum conferamus cum aliis quibuſdam hominibus diſertis, qui, vel ardore ei propiores ſint, vel amicitia et voluntate conjunctiores?

Tribus illis viris, quorum à me ſæpè facta eſt mentio, ita evenit, ut, cùm ſuo quiſque in genere plenus Orator, et propè jam perfectus evaſerit, non tamen quiſquam ex iis felix ſit ab ulla laude, quæ omnibus ſit communis. At Sheridanum penè dixerim, et conſecutum eſſe, quod eorum ſingulis contigit, et, quod defuit, ſæpè eundem explere. Etenim, quicquid aureo flumine eloquentiæ fundit Burkius: quicquid eſt in Northio urbanitatis, et ſine moleſtia diligentis elegantiæ: quicquid Foxius habet, vel ſubtilitatis, vel lacertorum, vel gravis et incitatæ et flexanimæ orationis, id omne Sheridanus ita complectitur, ut, qui arte in ſecunda primus ſit, idem ille, de prima contendens ſuo quaſi jure ſibi ſecundas vindicet. Illud adeò propè adeſt ut eloquentia ſua Sheridanus præſtiterit, quod Athenienſes videntur multùm et fruſtra exegiſſe ab iis, qui tragœdias facerent, γεγονότων γὰρ καθ' ἕκαστον μέρος ἀγαθῶν ποιητῶν, ἑκάστου τοῦ ἰδίου ἀγαθοῦ ἀξιοῦσι τὸν ἕνα ὑπερβάλλειν [1].

[1] Ariſt. Poetic. cap. 17.

Cauſa illa publica contra præfectum quendam nuperrimè dicta, quantum commendationis ad gratiam et ad famam habuit? Quanta vocis et animi contentione Sheridanus ad ſe auditores convertit omnes omnium et ordinum, et ætatum, et partium? Quàm mirum in modum, et voluptate mentes eorum devinxit, et illuc, quò res poſcebat, etiam invitas impulit?

Hanc utique ad cauſam veniebat paratiſſimus—expectabatur—audiebatur—A principio ſtatim videbatur, dignus expectatione. Rem illam omnem, quæ tractanda erat, tam variam, támque multiplicem, et abſtruſam complectebatur memoriter, et acutè dividebat. Argumenta collocabat

ſuo quæque loco, ubi plurimùm efficere et valere poſſent. Longa in oratione magnopere cavebat, ne ita aliquando aliquid emitteret imprudenter, vel conſultò et apertè præſtaret, ut ſibi ipſi non conveniret. Sermonem, pro re nata, variabat aptiſſimè. Hac in parte, abundanter et illuminatè dicebat: arctiùs, in illa, et anguſtiùs loquebatur, veritatémque diſputando limabat. Auditores ſuos pro arbitrio vel docebat—vel delectabat—vel movebat. Nihil tamen unquam propoſiti habere videbatur, niſi rem ut definiret: ut robuſtam hominis improbitatem ſignis omni luce clarioribus coargueret: ut id, quod intenderet, exquiſitis rationibus confirmaret. Pertimeſcebat tum primùm Scotus iſte clamator audaciſſimus, et quamvis loquaciſſimus ſit, penitùs obmuteſcebat. Suæ autem vocis bonam partem ad Sheridani rationes ὁ δεῖνα adjungebat, vel quòd Oratorem extra omnem ingenii aleam poſitum perſentiſceret, vel quòd crederet ſic exſtingui poſſe veterum ſuorum famam maledictorum.

Illo ſanè tempore multæ erant in Sheridano, non ſcurriles, ſed oratoriæ facetiæ. Sæpè erat liquida et fuſa, nec tamen redundans et circumfluens oratio. Vehemens eadem erat identidem, et interdum irata, et plena juſti doloris. Ea denique vis erat, is ſplendor, ea copia et varietas, quam magnitudo illius cauſæ et dignitas poſtulabant.

Oratio illa, ſciunt omnes, quo plauſu ſit in Senatu excepta: quas Sheridani ex adverſariis expreſſerit atque extorſerit laudes: quantus inde ejus vel ad popularitatem innoxiam honeſtámque, vel etiam ad gloriam ſolidam et ſempiternam cumulus acceſſerit. Obſtupeſcent certè poſteri decies illam lectam relegentes, erúntque iis ſæpè in pectore et in ore Æſchinea illa verba paululùm mutata, "Quid ſi ipſum audiiſſemus?"[1]

Fuerit Bellum Americanum et ſuſceptum malis avibus et geſtum. Fuerit illud in manibus τοῦ δεῖνα tanquam Κερκυραία τις μάστιξ,[2] cujus vis omnis dirigenda ſit in unius hominis

[1] Quintil: lib. 2. cap. 3.

[2] Vid. Præf: Taylori ad Lycurg.

hominis caput et famam. Fuerint civium, qui periculo armorum liberantur, animi tamen in ejuſdem hominis perniciem armati. At ſpectatum ea, quæ in Senatu fiunt admiſſus, nemo fibram tam corneam habet, ut riſum tenere poſſit. Res quædam agenda eſt de tribus [1] Capellis. Comitum fit concurſus, ſtrepitúſque, et clamor adoleſcentulorum. [2] Tumultuantur, cachinnantur, de loco depugnant. Hæc dum fiunt, homo quidam purpuratus Curiam ingreditur. Surgit continuò ὁ δεῖνα, triúmque Capellarum paululùm immemor, multa de vi et cæde, multa de Syllis et Mariis, multa de Cannis et perjuriis Punici furoris lingua perſonat audaciſſima et manu tota. Deos hominéſque teſtatur bellum Americanum in cauſa fuiſſe, cur Titius iſtas tres Capellas à Caio furatus ſit. Belli Americani contendit Northium exſtitiſſe unum atque unicum auctorem. Northium appellitat fatale quoddam portentum prodigiúmque Reipublicæ. Northium clamitat, illaqueatum eſſe omnium legum periculis, irretitum [3] odio bonorum omnium, implicatum expectatione ſummi ſupplicii. Hæc ille et alia ejuſdem farinæ dum funditat verbis triſtiſſimis et voce maxima, obduruiſſe videtur et uſu ipſo percalluiſſe incredibilis quædam Senatûs patientia. Silent intereà aut clanculùm ſubrident Northii deſertores et proditores ſalutis, ipſi illi, qui fœdiſſimè Bellum Americanum quondam cauponati ſunt, qui faces ad bellum Americanum ſua ſponte prætulerunt fœdas et luctuoſas, qui toti et mente et animo inſtiterunt ad bellum Americanum.

———Nam quæ ſibi quiſque timebat
Unius in miſeri exitium converſa tulère. [4]

Non eos fugit, in more poſitum eſſe τῷ δεῖνα, ut miſeram et tenuem prædam ſectari nolit—Aprum quippe exoptat, aut Leonem de monte deſcendere—Sibi credit multas imagines, non ſolùm ad intuendum, verùm etiam imitandum,

[1] Martial. lib. 6. ep. 19.

[2] Terent: Prol: ad Hec.

[3] C. de Haruſp: Reſp. p. 411.

[4] Virg. Æn. 2.

dum, clariſſimorum virorum expreſſas, à ſcriptoribus et Græcis et Latinis eſſe relictas.

[1] Ariſtoph: Pax 751.

Αλλ' Ηρακλέης ὀργήν τιν' ἔχων, τοῖσι μεγίςοις ἐπιχειρεῖ.[1]

Ad laudes haſce populares aliqui ferunt illas minùs notas minúſque pervulgatas, quæ cum litterularum Græcarum ſcientia conjunctæ ſint, τὸν δεῖνα adjeciſſe. Quod ſi verum eſt, unum hoc reperio inter me ipſum atque illum amicitiæ vinculum intercedere, quòd iiſdem quondam ſtudiis dediti ſumus. Qui autem in gradu tam excelſo collocatur, poterit is ſibi eodem jure, quo Sylla, felix videri. Moneo tamen illum atque etiam hortor, ne, Græcè ſi quando ſcribat, gyro nimis arcto Syllam imitetur, ſéque Επαφρόδιτον [2] appellet. Porrò, qui Lycurgeam ſeveritatem in Orationibus præ ſe tulerit, neque tamen integritatem in moribus Lycurgeam expreſſerit, ei auctor fuerim, ut uſu atque ætate ſe demitigari patiatur. Diſcat velim à Cicerone, Oratorem oportere inſanabiles vitare contumelias: tantummodò adverſarios figere, nec eos tamen ſemper, nec omnes, nec omni modo [3]: aliorum denique dignitati parcere, in quo ipſe ſervaverit ſuam [4]. Diſcat etiam à Quintiliano, " quæ fortia inter dicendum viſa fuerint, ſtulta, cùm læſerint, vocari." Meminerit quoque et turpem et inhumanam eſſe ejus voluptatem, qui, riſus ut eliceat, " petulans eſſe ſuſtineat, " compoſitúſque ad ſtomachum audientium, bono à viro " in rabulam et latratorem convertatur." Illud autem vel in primis animo infixum habeat, " mores dicentis ex ora- " tione quodammodò agnoſci, neque maledicum diſtare à " malefico, niſi occaſione." [5]

Fore probè ſcio, ut ea mihi objiciantur, quæ de [6] Fimbria ſcripta ſunt: " habitum fuiſſe eum oratorem aſperum " ac maledicum, et genere toto paulò fervidiorem: diligentia " tamen et virtute animi et vitæ bonum exſtitiſſe auctorem " in ſenatu"—Equidem illud non poſſum quin fatear, vehementérque doleam, quòd fidem ὁ δεῖνα auditoribus ſemper faciat,

[2] Plutarch: Vit: Syll. p. 473.

[3] Cicer: Orator: pag: 169.

[4] De Orat: lib. 2. p. 115.

[5] Vide Quintil: lib. 12. cap. 9. & lib. 6. cap. 2.

[6] Brut: p. 143.

faciat, quòd et Populus faveat validiſſimè, et eloquentiam, quam ſemper in [1] numerato is habeat, ita admiretur, ut, quid in eo reprehendi debeat, nunquam requirat. Quare ita factum eſſe exiſtimem, ſi quis curioſiùs elicere velit, cauſæ ſunt in promtu, nec tacendæ illæ quidem, nec ſine cura mihi dicendæ.

Solet profectò vulgus uni alicui totum ſe dedere atque addicere. Hunc, tanquam amores et delicias ſuas, complexu et ſinu recipit—Hujus integritatem et innocentiam ſummam eſſe, [2] *jurati* teſtificantur omnes ad unum, licet, opinionis ejus rationem qui reddat, nemo unus reperiatur.

Minimè verò fugit τὸν δεῖνα vulgi aures eſſe quandam [3] *tibiam,* in quam oporteat oratorem inflare. Hac de cauſa, per artes non antè vulgatas, et populo [4] canit et *ſibi*—Quod autem acroama [5] Themiſtocles dicebat lubentiſſimè ſe audire, illud ipſum credit ὁ δεῖνα ſua voce optimè decantatum, ipſe cùm ſe admiretur, ſuáque de virtute palàm et glorioſiùs prædicet—Hinc, ſive de lana rixatur caprina, ſive de ſtillicidiis declamitans lateribus pugnat, et cœlo mare confundit, prima ut ſibi fides habeatur, depoſcit. Hinc omni, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratione graviter offenditur, tanquam, ubi laudis intempeſtivæ blandimenta deſint, ibi ſemper adſit acerbitas contumeliarum. Hinc, quam magnis unquam et divinis bonis viri præclariſſimi conſecuti ſunt licentiam, eandem ipſe ſe arbitratur conſecutum eſſe, ut contra morem et conſuetudinem civilem aſper ſit in dicendo.

Per id ridiculum eſt, quod dicturus ſum, et portenti ſimile. Tantum ipſe Clodius prædicat in τῷ δεῖνα caſtitatis ſplendorem eſſe, ut oculos etiam ſuos eo hebetari et præſtringi ſentiat. Ariſtippeum igitur illud de voluptate, quæ ſenſibus noſtris blandiatur, contemnere ſe ait et experiendo abjeciſſe. Nihil fatetur eſſe virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Unum à ſe aliquem inventum eſſe confirmat, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, qui ſuavitatem omnem auribus excludat, omném-

[1] Quint. lib. 6. cap. 3. et Senec. lib. 2. controv.

[2] Hudibras lib. 1. lin. 7.

[3] Brut: pag. 147.

[4] Ibid: p. 146.

[5] Orat: pro Arch. p. 190.

omnémque vitæ suæ cursum, in labore corporis atque animi contentione conficiat

——[1] hic pudicus, hic probus
Perambulabit astra sidus Georgium.

[1] Hor. Epod. 17.

Sunt ea quidem à Clodio perbellè simulata. Ab aliis intereà creditur ὁ δεῖνα "[2] magis extra vitia esse, quàm cum virtutibus." Mihi verò ipsi semper visum est hac in parte moderationem [3] Fimbriæ et prudentiam sequi. Quamobrem nihil me unquam de moribus τοῦ δεῖνα judicaturum dixi, ne aut famam læderem probati hominis, si contra judicâssem, aut statuisse viderer virum bonum esse illum, in quo multa officia multásque laudes, quæ hanc ad rem pertinerent, nonnunquam desiderâssem. Atque idem ego haud negaverim in Foxio esse nonnulla, quæ lenissimus quisque et facillimus reprehendere possit et subaccusare. At videtur eum tamen ipsa natura finxisse, ad justitiam, ad industriam, ad omnes denique amicitiæ virtutes, reique publicæ rationes, magnum hominem et excelsum.

[2] Tacit. Hist. 1. cap. 49.

[3] Cic. de Offic. lib. 3. p. 526.

A populo, cùm se τῷ δεῖνα totum permitteret, læto omnia magis quàm prospero successu gesta sunt. Sed non sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, è quibus maximi sæpè rerum motus [4] oriuntur. Suæ igitur oportet felicitati cives nostri illud acceptum referant, minimè posse ea, quæ ipsi nuper fecerint, ratione et modo tractari, ut quæ neque consilium in se ullum neque modum habuerint. Res quidem sua, cùm nullam præ se ferret effigiem veritatis solidam expressámque, exigebant, (quæ fuit eorum sive calliditas malitiosa sive insulsitas singularis,) exigebant, inquam, rem adversariorum ad ridiculum, si Diis placet, tanquam ad Lydium lapidem. Minimè eos crediderimus sapientiæ illius, quam Shaftsburius excolebat, esse consultos. Fuit autem iis monstratum intùs, et ab ipsa Natura præpotenti imperatum, ut, in quo maximè ipsi valuissent, eo ipso homines se meliores prudentiorésque terrerent et vulnerarent,

[4] Tacitus Annal: 4. par. 32.

rent. Solet itaque nobis ſæpè in mentem venire temporis illius, quo omnes illi, qui rerum momenta non potuiſſent perpendere, oculos tamen potuiſſent incertos, atque adeò animos incertiores "pictura paſcere inani." [1] Etenim cùm Pericles ſtaret à partibus adverſis, fuit illis integrum, aut Pauſona neſcio quem ad ſuas vocare, aut Bupalum, aut virum quendam "optimarum [2] ſanè artium" ſed peſſimarum "partium," cujus nomen Anglicanum, cùm ἀπόῤῥητον eſſet, Στέφανον "Graii vertêre vocantes."

Sufficiebant profectò operi cui pares ſe crediderant. Pictas per tabellas, jocis eas quidem καθημαξευμένοις refertas illud effecerunt, quod de Cleandro memoratum eſt. Is enim Præfectum [3] quendam ob Ægypti adminiſtrationem ἐλοιδόρησε κωμωδῶς, καὶ παρέλυσε αὐτὸν τῆς ἀρχῆς ὐδὲν ἀδικήσαντα. Alia autem ex parte non defuerunt, qui Camœnis [4] minacibus armati in ſtudioſam illam juvenum cohortem inſurgerent, liberóſque Jambos vi et aſperitate prorſùs Hipponactea, indignabundi diſtringerent. Fore tamen optandum eſt, ut ad ultionem potiùs quàm defenſionem compoſita fiat tabula, qualem ferunt, (quoniam Græcas [5] fabellas enarrare licet,) tum denique ab Apelle eſſe pictam, cùm immeritò ipſe, Antiphilo [6] accuſante, gravitérque rege Ptolemæo iraſcente, penè obrutus eſſet infamia. Sin hoc minus fiat, aliud inſtituendum eſt opus, plus in ſe artis habens, neque tamen materiam ipſam ſuperans. His enim in rebus fieri nequit, quin "infamia ſit minor vero [7]." Ecquis autem ignorat virum [8] illum egregium, qui ὁμοτεχνίτων ſuorum familiam ducit, minimè ſolere in ſententiam τῦ δεῖνα pedibus ire. Quin idem jure optimo dicimus de aliis ferè omnibus, qui ſunt in noſtra hac ætate, aut uſu rerum, aut ingenii acumine, aut ornamentis artium ingenuarum præ cæteris habiti dictíque eximii. His profectò viris cauſa victa quantum placuerit, dici vix poteſt. Nec verò ſuperior illa eſſe deſiit, ideò quòd inferiorem qui de-

[1] Virg: Æn. 1.

[2] Cic. Perorat. pro Cæl

[3] Æl. Fragm. ex emend. Maſſon. p. 1020. edit. Gron.

[4] Rolliad. ſcriptores.

[5] Liv: lib. 28. cap. 44.

[6] Lucian: de Calumn: non tem: credend: Parag: 3. 4. & 5. unde profluxerunt pulcherrima illa in Præf. Warburt. in Tom. 3. de Div: Legat: Moſ: p. 26.

[7] Ov. Met: lib. 1.

[8] I. R. Equit.

 fenſi-

ſenſitent, plures ſunt numero, et tanquam "juncto umbone Phalanges" ad depugnandum prodeunt parati.

Quæ cùm ita ſint, quicquid eſt in repulſa dedecoris facilè ferunt ii, in quos convenit illud quod eſt à Zenone dictum πρὸς τὸ πλῆθος τῶν Θεοφράστου μαθήτων, ὁ ἐκείνου χόρος (ἔφη) μείζων, ὁ ἐμὸς δὲ συμφωνότερος [1]. At ſtudia ſunt eorum ideò ſuis cariora et magis honorifica, ut quæ nec ſpei nec timori tribuenda ſunt. [2]

[1] Plutarch: Tom. 2. p. 545.

[2] Corn. Nep: Att: vit: cap. 6.

Nihil eſt ſanè, cur miremur graſſandi in famam fortunáſque civium optimorum populo non defuiſſe voluntatem. Impunè in eaſdem graſſandi contigiſſe ei occaſionem, id verò non invidemus. Qui autem hæc tam apertè diximus, populo ut de jure diſputemus tantum abeſt, ut ei fateamur liberum eſſe ſuffragiis ſuis, quid cuique velit, vel dare vel detrahere. Atqui eundem planè et obnixè contendimus dignos ſæpè negligere,—ſæpè ea quæ pulcherrimè facta ſint, faſtidire [3]—ſæpè eblandita [4] ejus eſſe ſuffragia non enucleata, ut ſtudium in iis ferendis, aut ira appareat, potiùs quàm judicium. Levis profectò ſi res agatur, ſapiens quiſque, etiam quæ minùs laudaverit, tolerari tamen ſtatuerit oportere. In iſtis autem tempeſtatibus et fluctibus quos nuper vidimus, impetu plena omnia et temeritate fuerunt. Sin judicium id quivis maluerit vocare, ejuſmodi ſanè eſt ut ferri debeat nulla alia de cauſa, niſi quòd penitùs reſcindi nequeat. Invitus hæc tanquam vulnera attingo. Quæ autem præterita ſunt, nî reprehendantur, corrigi et ſanari nequeunt. Ea porrò omnia, quæ nuper [5] acciderunt, iterùm ac tertiò accidere poſſunt, et quod hodie nobis minùs in integro eſt [6] exemplis tueri, id ipſum inter exempla erit, ſi fortè [7] æmulos invenerit nequitia plùs æquo felix.

[3] Orat. pro Mil: p. 475.

[4] Orat: pro Planc. pag. 418.

[5] Liv. lib. 28. cap. 41.

[6] Tacit. Annal. 11. cap. 24.

[7] ——— Hiſt. 4, cap. 42.

Quoties verſantur rerum maximarum momenta, prudentiſſimus quiſque exiſtimabit ſe non tam annumerare debere, quàm appendere ſuffragia. In rumoribus ſpernendis mentem ſolidam ſecum afferet. Elaborabit pro virili, ut optimi cujuſque ſtudioſus videatur, potiùs quàm popu-

popularis. Faciles commodásque aures præbebit non nisi iis, qui mores hominum intimósque sensus per integumenta verborum et involucra, cognitos habent et probè exploratos. Novit is quidem multa, quæ inter ancipitia probata fuerint, veris mox pretiis [1] æstimari. Homines novit sæpè temerarios atque imperitos, falsis rumoribus terreri, et de summis rebus consilium capere, et impelli ad facinus. Novit in mutatione Reipublicæ, fieri posse, ut adversariorum res verbosior et magis popularis sit, sua cùm sit verior. Novit denique honestas rerum causas [2] ducere ad exitus perniciosos, si fortè populi aliena aut offensa sit voluntas. Hæc ille omnia animo agitans, respiciénsque ad istos tumultus populares, dubitabit profectò, utrum pejor res [3] ipsa sit, an pejori facta esset exemplo. Dolebit intereà naturæ humanæ infirmitate tardiora esse remedia quàm mala; neque exempla solere, unde cœperint, ibi consistere.

[1] Annal. 11. par. 26.

[2] Tacit: Hist: par. 83.

[3] Liv: lib. 34. cap. 2.

Hæc qui fecerit, in memoriam sibi illud revocabit, quod est à Polybio scriptum. *ὁ δῆμος πᾶν καὶ τὸ πλεῖστον αὐτός. οὗ γενομένου, τῶν μὲν ὀνομάτων τὸ κάλλιστον ἡ πολίτεια μεταλήψεται, τὴν ἐλευθερίαν καὶ δημοκρατίαν· τῶν δὲ πραγμάτων τὸ χείριστον, τὴν ὀχλοκρατίαν*[4]. Quæ autem gravissimus ille scriptor fieri intellexit cùm "mutationis in deterius "principium existeret ab honoribus per ambitionem petitis aut negatis," ea nos vidimus facta esse in maximo et pulcherrimo incepto.

[4] Polyb: Megal: lib:6. pag. 694. Edit: Cas.

Probè scimus esse permulta, quæ, dum fiunt, non laudentur, sed cùm facta sint, plurimum fructûs habeant. Horum in numero ponenda est lex illa, quæ de Rebus Asiaticis à viro quodam præclaro rogata fuit, et à proceribus regni fœdissimè antiquata. Equidem haud ignarus sum quàm flexibiles sint, hominum mentes incertæque: quantùm valeant omnes rumorum et concionum venti, quos colligere cives populares consuescunt. Hac de causa, cùm facienda est alicujus rei mutatio, temporum puto rationem habendam esse, populóque esse et scenæ aliqua ex parte serviendum.

Qui

Qui autem illud reprehendunt et accuſant, cur in re tam inuſitata Foxius quidquam novi fecerit, his ego reſpondendum eſſe ſtatuo Canuleii verbis. " Nullane res nova inſtitui debet, et quæ nondum facta ſunt, (multa enim nondum facta ſunt in nova hac Aſiaticorum civitate) ea, ne ſi utilia quidem ſint, fieri oportet ? " [1]

[1] Liv: lib. 4. cap. 4.

At enim quo tandem jure lex ea innifa eſt ? Nimirùm eo quod Jupiter ipſe ſanxit, ut omnia quæ ſalutaria reipublicæ eſſent, juſta et legitima [2]haberentur. Neque enim nunc primùm patriæ ſalutem aut Brutus aut Caſſius legem ſanctiſſimam et morem optimum judicavit. [3] Eſt autem hominis pudentis cupidíque officio ſatisfaciendi, ut conſilium ſequatur periculoſum, magis, dum ſe optimo cuique probârit, quàm tutum, quod habere poſſit minus commodi et plus opinionis. Natura quidem ita comparatum eſt, ut qui apud Multitudinem ſua cauſa loquuntur, gratioſi ſint ; cùm adverſis auribus accipiatur, quicquid à ſapientibus viris dictum fuerit. Itaque in illa converſione rerum non recuſandum fuit, quin magna daretur occaſio improbioris famæ. Qui autem contra periculoſas hominum Aſiaticorum opes et potentiam tum temporis providebant, eoſdem certè ſcio civium communi et commodo conſuluiſſe et gloriæ. Et verò licet illis dicere cum Claudio, " [4]nullum factum dictúmve ſuum contra utilitatem publicam, etſi quædam contra voluntatem, referri poſſe."

[2] Cic: Philippic: 11. pag. 529.

[3] Ibid: pag. 529.

[4] Liv. lib. 6. cap. 40.

Qui verbi invidia contumeliáque maledicti Foxium obruere volunt, ii clamitant majeſtatis fuiſſe populi Anglicani prohibere injuriam, neque pati cujusquam *regnum* [5] per ſcelus creſcere. At [6] regem ne poſthac Foxium dixerint, niſi fortè regium iis videtur in Senatu ſentire liberè : non modò homini nemini, ſed ne partibus quidem ullis, fracto animo et demiſſo ſervire : populi utilitati magis conſulere, quàm ad arbitrium ejuſdem totum ſe fingere et accom-

[5] Sal. Bel. Iug. cap. 15.

[6] Cic. Orat. pro Syll. p. 382.

accommodare: potentioribus pravè conſiliantibus non cedere: projectæ eorum et effrænatæ audaciæ fortiter obſiſtere.

Sed ſi qui ſunt, quibus injuriæ, Senatui illi illatæ, parvi æſtimandæ videantur, monendi ſunt ii, quòd parva [1] iſta non contemnendo, majores noſtri hanc rem maximam fecerint. [1] Liv. lib. 6. cap. 41.

Non eſt hujuſce loci opiniones eorum excutere, qui pertimeſcere ſe dicerent, ne fortè prærogativa regia labefactaretur. Sæpè eos putabam, qui tantas de hac re tragœdias excitarent, non tam imprudentia falli, quàm invidia aliqua et obtrectatione impediri. Quinetiam argumenta eorum pleraque videbantur nobis lepore potiùs elevanda, quàm frangenda acri contentione. Sed quantulamcunque ea in ſe vim habeant, ſatis eſt ſupérque horum cavillatorum ſive ratiunculis ſive maledictis à Burkio reſponſum ea in oratione, cui nihil à viris rei politicæ prudentiſſimis, neque addi neque demi poteſt.

Illam ſanè Burkii orationem qui attentè diligentérque legerint, ferent illud vel acerbiſſimè, quod gravi et intolerabili arrogantia nuper in Senatu neſcio quis Wilberforcius balbutivit; quod eſt voce τȣ̃ δεῖνα importuna et ſcelerata iteratum; quod homulorum ei temerè aſſentientium agreſtibus et inhumanis auribus exceptum eſt valdè libenter. Ibi tum impudentiſſima eorum hæc fuerunt verba—deflоreſcere jam Burkium, et penè ineptire, ſiquidem, credo, non maneant priſtina illa eadem concinnitas, et lactea eadem ubertas, cùm eædem non deceant. Atqui oratio ejus, annon [2] caneſcere potiùs videtur, ſuámque quandam habere maturitatem et quaſi ſenectutem? Ego verò contendere auſim, ita ſe rem habere; quod quidem cùm dico, meminerint iſti clamatores, velim, [3] γῆρας ἐμὲ διηγεῖσθαι, γῆρας δ' ὅμως Ὁμήρȣ.

[2] Brut. P. 137.

[3] Longin. Sect. 9.

Poſſe nos in quæſtione vexatiſſima noſtros pati manes lubentiſſimè confitemur. Cauſam verò illam per omnes juris am-

anfractus, omnésque eruendæ veritatis latebras, pro ingenii nostri modulo exploravimus. Neque est quicquam in illa à nobis repertum, quod sit minùs rectè contráve Rempublicam aut factum aut inchoatum. Feliciùs nécne res Asiæ à τῷ δεῖνα tractentur, ipse viderit. Sua, ipse viderit, consilia fuerint, nécne, ejusmodi, primo ut aspectu speciosiora visa sint, cùm aliorum essent usu meliora. Quæ autem à nobis probata est lex, fuit eadem neque intellecta minima ex parte, neque oculis strictim aspecta à plerísque eorum, qui acerrimè de ea sunt conquesti, ejúsque in auctores invecti sunt non arrogantia, nam id vulgare vitium est, sed immanitate quadam nova et prorsùs inaudita.

Non me præterit quanta sit in Cöalitionem, quæ dicitur, invidia conflata. "Sed aliud est maledicere, aliud accusare." Hoc verò ipsum munus conviciandi, etsi non admiratus sum, sanè quàm molestè [1] tuli potissimùm esse à τῷ δεῖνα susceptum. Neque enim decebat, neque ætas illa postulabat. Fatendum est autem Juvenis disertissimi eum fuisse pudorem, qui in tali illum oratione versari facillimè pateretur—Profectò has maledicendi partes nemo ex illis robustioribus, aut libentiùs arripere potuit, aut liberiùs, fortiúsque, et magis more suo, sustinere.

Nobis sanè persuasissimum est, viris illis quos tanquam patruæ linguæ verberibus, et penè Censorii styli mucrone petiverit, nihil fuisse prius antiquiúsve, quàm ut Respublica ne quid detrimenti caperet. Quin causa eorum materiem satis amplam habet, non modò ad defendendum, verùm etiam ad laudandum. Nam quod objectum est de Coälitione vocibúsque improborum hominum celebratum [2], id nunquam Foxius et Northius tam acerbè ferent, ut eos pœniteat inimicitias posse deponere. Non putârunt famam inconstantiæ [3] sibi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paululùm se immutâssent. Cùm perfuncta [4] esset Respublica misero fatalíque bello, non solùm quid sibi expediret, sed quid deceret se atque optimum esset, rationis ad normam exegerunt. Belli illius

[1] Orat: pro Cæl: par. 2.

[2] Orat: pro Cæl: par. 2.

[3] Epist: ad Lent: 9.

[4] Orat: pro Marcell: par. 4.

illius vulnera exiſtimârunt, tum demum ſanari poſſe, ſi inter diverſas civium voluntates diſtractáſque ſententias, fieret conſenſus bonorum omnium conſpirans et penè conflatus. Jecerunt, quod in ſe fuit, fundamenta pacis domeſticæ, Athenienſiúmque [1] vetus renovârunt exemplum, atque diſcordiarum memoriam omnem oblivione ſempiterna delendam eſſe cenſuerunt. Lapſi ſunt, non pravitate aliqua, ſed opinione officii et ſpecie quadam reipublicæ. Fecerunt, quod ab Æmilio [2] Lepido et Fulvio Flacco, magna cum laude olim factum fuerat. Hoc unum iis deeſſe mæreor et doleo, quòd exempla Themiſtoclis [3] et Ariſtidis ſibi ad imitandum non propoſuerint, ut reſpublica eos inter ſe, bello jam flagrante, conciliare poſſet et conjungere maturiùs.

[1] Philipp. 1. pag. 494.

[2] Val. Max. lib. 4.

[3] Polyæn: lib. 1. Στρατ.

[4] Cùm à clariſſimis viris juſtiſſimas inimicitias ſæpè cum benè meritis civibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus quenquam amicum reipublicæ, poſteà quàm Foxii amor in Patriam perſpectus eſſet, novas illi inimicitias, nulla accepta injuria, denuntiaturum. Sed aliter res cecidit, atque opinabar. Etenim τῷ δεῖνα videtur neque ipſi periculoſum, nec ſordidum ad famam, committere ut accuſator nominetur. Suæ inſuper dignitatis eſſe exiſtimat, ſummum ad imperium, in quo verſatur, naturæ etiam acerbitatem adjungere. Alii autem cùm et temporum rationem habuerint, et quidem indolis ſuæ ad benevolentiam paulò proclivioris, "Scelus tu illud vocas, Tubero [5] ?" Profectò hoc cùm facis, petulantiſſimè te affirmo, injuſtiſſiméque iis maledicere, qui cauſam habent, vel, uti ego dixerim, meliorem quàm tu, vel uti tu, tuæ dignitatis iſtos adjutores fautoréſque circumſpiciens, ipſe, neceſſe eſt, fatearis, parem. Debet, mehercule, cauſa illa nomine hoc tetro atque horribili, te certè quidem auctore, penitùs vacare. Num quid ſubtimes, crimen hoc deponendarum inimicitiarum, ne ad te pertinere videatur? iſto libera te metu. Nemo credet unquam tantam in te eſſe aut humanitatem aut animi magnitudinem. Non eſt tuum ira atque odio cohibendo de Republica benè [6] mereri. Auctoritati verò

[4] Orat: pro Flacco pag. 371.

[5] Pro Ligario par. 4.

[6] Philippic: 2. par. 6.

verò tuæ non eſt idcircò parendum, quòd adverſariis tuis oppoſuiſti ſanctiſſimum illud nomen Regis. Te enim ſociósque tuos, qui intùs et in cute nôrunt, verborum pondus tuorum facilè ſuſtinebunt. Ad iſtos cùm reſpiciunt, liquidò patebit inter tam diverſas mentes, inter ſtudia tam contraria, támque pugnantes inter ſe cupiditates, nullam eſſe poſſe concordiam, quæ ſincera ac diuturna ſit. Latebras, quæ tuo in animo ſunt, ſi excutiunt et explorant, "impunè quælibet facere, id demum judicabunt, Regem eſſe." [1]

[1] Sall: Bell: Jugurth: par. 36.

Qui ex errore multitudinis imperitæ, et inſipientium ſermone omninò pendet, hic in viris magnis non habendus eſt. [2] Nihil enim ipſi poteſt eſſe certi—nihil, quod exploratum habeat permanſurum ſibi unum annum. Aliter ſentiunt illi qui tanquam ψάφωνος [3] ὄρνιθες, ſtabile quiddam, et fixum et proprium eſſe fortunam τȣ̃ δεῖνα arbitrantur. Sed mecum ii, velim, recognoſcant, quo in ſtatu res noſtræ ſitæ eſſe videantur, et quæ ſint civium diverſorum diverſæ in eum voluntates.

[2] Cic: de Off: lib. 1. pag. 501.

[3] Mich. Apoſtol. Prov. Edit. Heins. pag. 266.

Si aut obſurdeſcunt cives ſaniores, aut paulò faſtidioſiùs ſubringuntur ad nomen tributi, adeſt neſcio quis è Publicolis iſtis et τȣ̃ δεῖνα aſſentatoribus, qui populum miris lenociniis permulceat et titillet. Argumenta ejus, quibus φενακίζει ἡμᾶς, huc ferè redeunt.

Μὴ περιλαλῶμεν, μηδὲ πυνθανώμεθα
Τί ποτ' ἄρα δρᾶν μέλλȣσιν, ἀλλ' ἁπλῷ τρόπῳ
Εῶμεν ἄρχειν, σκεψάμενοι ταυτὶ μόνα,
Ὡς τȣ̀ς ϛρατιώτας, βασίλεως ὄντες φίλοι,
Σώζειν ἐπιθυμȣ̃σιν. ———
Τὰ δ' ἄλλ' ἐάσω· ταῦτα κἂν πείθησθέ μοι,
Ευδαιμονȣ̃ντες, τὸν βιόν διάξετε. [4]

[4] Ariſtoph: Eccles: lin. 230. & 239.

Scilicet, qui ad calculos omnia exiguè et exiliter revocant, ſua in divendita et addicta ſententia non erubeſcunt

perſe-

perſeverare. Alii tanquam ſacramento obligati aut ſuperſtitione quadam conſtricti, de conſilio, quod ſuſceperint, diſcedere nefas eſſe ducunt. Quibus olim eſt perſuaſum, ubi [1] pars civium ſit, ibi imperii eſſe partem, ipſi illi in [2] contumeliam ignominiámque certant ſuam, cùm [3] creſcere ſibi aiunt ex eo ipſo fiduciam, quod poſſit in Juvenis unius virtute tantum eſſe momenti. Impetus autem multorum reſederunt, non negligentia, ſed quodam conſilio, ſi quidem fatentur ſe, quos fugiaut, habere; quos ſequantur, non habere.

[1] Liv. 8. cap. 4.
[2] 4. cap. 4.
[3] 28. cap. 43.

Πόλιν γὰρ ὁρῶσι προστάταισι χρωμένην
Ἀεὶ πονηροῖς· κἂν τις ἡμέραν μίαν
Χρηστὸς γένηται, δέκα πονηρὸς γίγνεται.
Ἐπέτρεψας ἑτέρῳ; πλείον᾽ ἔτι δράσει κακά. [4]

[4] Ariſtoph. Eccles. lin. 176.

Transferunt alii ad τὸν δεῖνα, quod Tacitus de Galba [5] ſcripſit; " fuiſſe illum omnium conſenſu capacem imperii, " niſi imperâſſet." Aliorum in mentibus, cùm illa dicendi vitioſa jactatio ſuos inter plauſores detonuit, tandem aliquando videtur reſurgere veræ ſpretæque virtutis fortior fama [6]. Etenim quæ et facta ſunt à τῷ δεῖνα et dicta in eadem trutina illi perpendunt, cognitúmque jam artificem, aliquandóque evolutum illis integumentis diſſimulationis ſuæ, nudatúmque perſpiciunt.

[5] Hiſt: lib. 1. par. 49.

[6] Quintil: lib. 12. cap. 9.

Mirantur profectò et ſtomachantur proceres ſibi neceſſe eſſe tam anguſtè ſedere inter homines, qui, nulla vel famæ vel majorum commendatione, ad honores obrepſerint. Per ſilentium verò aut [7] occultum murmur optimus quiſque Senator excipit quoſdam ſuum in ordinem popularibus ſuffragiis nuper allectos, ídque non injuria. Sunt enim, magnam partem, aut prædones Aſiæ opibus ſuperbientes, aut viri loco infimo nati et in omni civili ratione hoſpites ac tirones, quibus ſanè edicto opus eſt hujuſcemodi, " *BONUM* [8] *FACTUM! Senatori novo obviam* " *euntes curiam monſtranto*." Dolent intereà qui res

[7] Tacit. Annal. 2. cap. 35.

[8] Sueton: vit: J. Cæſ: par. 80.

ponderant

ponderant certo judicio, iidémque indignantur, adolefcentibus loquacioribus effe ferviendum, et omnes, qui videantur fcire aliquid, tanquam dominos timeri. Veniunt quippe illis in mentem ea quæ Ephefii, cùm civitate expuliffent Hermodorum, locuti funt, " nemo de nobis unus excellat: fin quis exftiterit, alio in loco, et apud alios vivat." [1]

[1] Cic. Tufc. lib. 5. p.2 40.

Civium de maxima parte notiffimum eft, eos rumoribus atque auditionibus permotos, de fummis fæpè rebus confilia inire, quorum eos è veftigio pœnitere neceffe fit: quum incertis rumoribus ferviant, et plerique ad voluntatem eorum ficta refpondeant. Inde fit, ut nihil fit illorum ftudiis incertius aut obfcurius, totámque eorundem opinionem parva nonnunquam commutet aura rumoris. [2] Etenim non modò ipfi quid facturi fint, minùs diligenter cautéque perpendunt, fed ne tum quidem, cùm fuerit factum, quare ita factum fit intelligere poffunt. Itaque illi ipfi, qui contagione olim infaniebant, ne hodie quidem fcire videntur, quò amentiæ ipfi progreffi fint. Qui autem pluris hominum famam quàm Rempublicam faciunt, levi quovis momento huc et illuc impelluntur. Sed ea eft horum hominum ratio, ut, quò leniùs [3] primò agant, fegniúfque odiffe incipiant, eò, cùm cœperint, perfeverantiùs fæviant. His de caufis perbreve quiddam et ventofum videtur extraordinarium illud Imperium, quod eft τῷ δεῖνα haud ita pridem commiffum. Quare caveat neceffe eft, nē, quantulum fit id, quod humeri ejus ferre non recufent, fæpiùs æquo oftendat, cùm res graviffimas minùs cogitatè aggrediatur. Caveat ne adolefcens improvida ætate ita fe erratis fraudibúfque irretiat, ut falvus effe non poffit, fi fanus effe [4] cœperit. Caveat ne quando ἀποβάλων τὴν ἡγεμονίαν cum Demetrio cogatur Æfchyleum illud ufurpare.

Σύ τοι μ' ἔφυσας, σὺ δέ με καταφθίειν δοκεῖς. [5]

[2] Pro Muræn: parag. 9.

[3] Liv: Lib. 21. cap. 10.

[4] Cicer: Tufcul: Quæft: lib. 5. pag. 398.

[5] Vid. Plutarch: de Monarch: et Æfchyli fragm. ex emend: Heathii.

At

At illud nobis ὁ δεῖνα objiciet, [1] honorem esse præmium virtutis, judicio studióque civium ad aliquem delatum, quod si quis sententiis eorum ac suffragiis adeptus fuerit, eum sibi et honestum et honoratum meritò videri. Hæc autem ne vera esse credam, prohibent ea, quæ à Quinto Cicerone dicta sunt, cùm [2] propter tot tantos támque præcipites casus clarissimorum hominum, Marcum fratrem ab omni contentione ac dimicatione revocaret. Prohibent pessimorum virorum dignitates, qui occasione aliqua, etiam volentibus suis civibus, nacti sunt imperium. Prohibent, pleni ea de re argumentis libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas.

[1] Brut. pag. 152.

[2] De Orator. lib. 3. pag. 124.

Bello de Americano, acerbissimè multi conqueruntur. At vitia ejus modíque unde fluxerint, illud eos habet parùm sollicitos. Nimium de re gravissima dicunt, nec tamen totum. In unum è multis belli ejus auctoribus, quicquid in buccam venerit, temerè iracundéque effutiunt. Quod quidem sibi si liceat impunè facere, satis ipsi sibi videntur, quid clamitando possint, ostendisse, et civium satisfecisse officio bonorum. Aliis plurimum terroris injecit regia illa potestas, quæ in præmiis et honoribus pessimo cuique deferendis, nimia esse dicitur et tantùm non prodiga. Sed causas rerum earum, quæ nuper acciderint, ipse cùm requiro quæ verisimillimæ sint, alio ex fonte mihi videtur, quicquid est malorum, in patriam esse derivatum. Est enim hominum quoddam genus, qui primos se rerum omnium *videri nolunt* et tamen *sunt*. [3] Quòd si dominandi libido tam effrænata τὸν δεῖνα tenet : si " Julus ille noster" quærit impensiùs, " Unde suo partus Marte triumphus eat, [4]" hostes ei, quos republica incolumi superet, cohors Aulica cumulatissimè præbebit—Quare præmia si cupit ἀνδραγαθίας καὶ πατραγαθίας [5] reportare, oro illum obtestórque, ut omnes iræ aculeos in istos insidiatores dirigat—Hastas, velim, oratoriis viribus lacertísque non amentatas torqueat in θηρία,

[3] Terent : Eunuch: Act. 2. Sc. 2.

[4] Ov: Epist: Did.

[5] Plutarch: de Vitios. Pud. pag. 534. & Apophtheg. pag. 183.

quæ,

quæ, ſi patri ejus credendum eſt, deliteſcunt, et quidem jamdiu deliteſcunt, καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ ἐν κύκλῳ τοῦ θρόνου, γέμοντα ὀφθαλμῶν, ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν.[1]

[1] Revelat: cap. 4. et Orat: Comitis de C——m.

Mancam ac debilem eſſe rempublicam, non is ſum, qui pernegem. Paucos tamen eſſe conceſſerim, qui medicas ei manus adhibere aut poſſint aut debeant. Quare conſiliorum, quibus ea jamdudum geritur, paulò altiùs repetenda eſt ratio; exponendúmque quid potiſſimùm agant aut agere velint ii, quibus, vel interceſſerit olim cum τῷ δεῖνα amicitia, vel etiam nunc intercedat.

De his autem mihi cogitanti primùm ante oculos obverſatur vir ille nobilis, cujus ſub auſpiciis omnia quæ commota fuerant, pace atque otio reſederunt, cujúſque mira eſt, qua ſtat à promiſſis, conſtantia et fides. ἐπεκλήθη γὰρ Δώσων, ὡς ἐπαγγελτικὸς μὲν, οὐ τελεσιουργὸς δὲ τῶν ὑποσχέσεων.[2] Sunt qui credant hunc virum ferè primam fuiſſe mali originem, gemináſque inter partes, (id quod de Rufino[3] dicitur,) diſcordiam, hoc auctore, exſtitiſſe.—Calculum illis, qui ita judicant, ut meum adjiciam, hæc potiſſimùm me impellunt.

[2] Plutarch: in Vit. Coriol: p. 218.& Paul. Æmilii 258.

[3] Claudian: in Eutrop. lib. 2.

Qui conſilium in ipſo negotio capere coguntur, modicè ſolent titubantérque agere. Doſoni autem ita ſunt meditata et proviſa ferè omnia, ita eſt ipſe totus fallaciis conflatus, ita ad inſidiandum nocendúmque συγκεκροτημένος[4], ut, res ſi qua præter ſpem et opinionem acciderit, ea, quid poſtulet, intelligere et è veſtigio aggredi poſſit. Idoneum, quo hoc faciat, auctorem habet; legerat quippe in Livio,[5] boni ducis eſſe, non deeſſe fortunæ præbenti ſe, et oblato caſu flectere ad conſilium.

[4] Demoſth. Olynth. I. et Theocr. Idyll. 15.

[5] Lib. 28. cap. 44.

Honoribus ſibi inhianti et primarium ſemper petenti locum impedimento novit eſſe mitem illam Lælii[6] ſapientiam, quæ ad ſalutem patriæ perofficioſè et peramanter incumbens, benevolentiam et charitatem omnium ſibi adjunxiſſet. Itaque adeò, cùm morte vir ille amabilis eſſet exſtinctus, fore

[6] M. de R--m.

Doſon

Doſon credebat, ipſe ut in campo puro ac patenti verſari poſſet. Pectus continuò illud ſuum fecundum concuſſit totum. Statuit aut dolos cum præclaro ſucceſſu verſare, aut in certam incurrere perniciem. Expulſis igitur omnibus, qui aut conſilia ejus rimari poſſent, aut ambitioni vellent acriter reſiſtere, ſocium ſibi in republica procuranda τὸν δεῖνα adjunxit.

Imperii autem inter conſortes rariſſima eſt fides, ſiquidem, quæ amicitias hujuſmodi conglutinat utilitas, [1] eadem, temporibus paululùm mutatis, aut diſſuit illas aut planè diſrumpit. Doſon non modò ſpe ſed ipſa potentiæ et honorum poſſeſſione deturbatus eſt. Paucis poſt menſibus, monitore illo atque adjutore, ſummam dignitatem ὁ δεῖνα occupavit. Per quem autem virum, ipſe, cùm in Senatu propter pubertatem [2] minimè poſſet, gratia olim creverat, ejus ad potentiam minuendam opibus nervíſque omnibus ὁ δεῖνα uſus eſt. Scilicet in ſecundis Doſon voluit ita conſiſtere, ut primo [3] eſſet propior quàm tertio. Sed repulit illum atque illiberaliter aſpernatus eſt Juvenis, qui " ferre quenquam poteſt nec priorem nec parem." [4] Quid ergo ? fortunæ ait Doſon minimè ſe invidere et virtuti C. Syllæ, qui jactaverit inter amicos ſibi in fatis fuiſſe γέροντι παίδων ἀγῶνας ἀγωνίζεσθαι. Veterem illum nunc demum [5] præ ſe fert morem officii, non infuſcatum malevolentia, non aſſuetum mendaciis, non eruditum artificio ſimulationis vel ſuburbano vel etiam [6] urbano. Otia dicit ſeſe inglorium amare, " [7] *Sylváſque, et vitam quæ fallere ſit neſcia* [8]. In urbe muſſitat, potiùs quàm ruri poſſe jam ab aliis *ſecretum illud iter* reperiri. [9] Qui autem *boni* [10] *viri* (ita enim eſt ille à quodam honorificè dictus in Senatu) officiis fungitur, is ne malus ſit civis, prohibent multa, quò minùs vereamur.

Minas poſſumus contemnere vocémque fulmineam Thraſonici iſtius Oratoris τοῦ τὰς ὀφρῦς κυανέας ἐπηρκότος [11], cujus vul-

[1] C: de Amic: pag. 544.

[2] Cæſ: de Bell: G. l.4.par.20.

[3] Quintil: lib. 10. cap. 1.

[4] Lucan: l. 1.

[5] Plutarch: Vit: Pompeii p. 625.

[6] Orat. pro Planc. p. 119.

[7] Vid: Orat: M de L.

[8] Virg.Georg. 2.

[9] Horat. Epiſt: 18. lib. 1.

[10] Hor. ep. 16. lib. 1.

[11] Lucian: Tom. 1. p. 367.

[1] Horat. Sat. 9. lib. 1.
[2] Orat. pro Sext.
[3] Vell: Paterc: lib. 2. cap. 181.
[4] Brut. pag. 149.
[5] Sueton. lib. 8. cap. 13.
[6] Tacit. hist. 2. cap. 82.
[7] —— Hist. 2. cap. 76.
[8] —— Annal. 12. cap. 8.
[9] Tacit. Hist. cap. 53.
[10] Juvenal Sat. 4.
[11] Cic. de Orat. lib. 1. p. 94.

vulticulum, uti [1] Noviorum iſtius minoris, ferre poſſe ſe negat Quadruplatorum genus omne et Subſcriptorum. Quid enim? [2] truculentus ſemper incedit, tetérque, et terribilis aſpectu. De ſupercilio autem iſto quid dicendum eſt? annon reipublicæ illud quaſi pignus quoddam videtur? annon ſenatus illo, tanquam Atlante cœlum, innititur?

Ferunt profectò Novium in "ſumma feritate eſſe verſutiſſimum, promtúmque ingenio ultra Barbarum." [3] Quod ſi demſeris illi aut σφοδρότητα quanta in Bruto fuit, aut πικρότητα verè Menippeam, aut προσώπȣ σκυθρότητα propriam et ſuam, facilè eidem juris nodos legúmque ænigmata ad ſolvendum permiſeris.

[4] Fervido quodam et petulanti genere dicendi utitur, eodémque, nec valdè nitenti, nec planè horrido. Solutos irridentium cachinnos ita commovet, ut lepores ejus, ſcurriles et prorſùs veteratorios diceres. Omnia loquitur verborum ſanè bonorum curſu quodam incitato, itémque voce, qua ne ſubſellia quidem ipſa deſiderant pleniorem et grandiorem. In adverſariis autem lacerandis ita cauſidicorum [5] figuras jaculatur, ita callida et malitioſa juris interpretatione utitur, ita furere et bacchari ſolet, ut ſæpè mirere tam alias res agere optimates, ut ſit penè inſano inter diſertos locus.

[6]Fuit ei, perinde atque aliis, fortuna pro virtutibus. Didicit autem à Muciano, ſatis clarum eſſe apud timentem, quiſquis [7] timeatur. [8] Corpore ipſe ingens, animi immodicus, verbis magnificus, et ſpecie inanium magis quàm ſapientia validus, ſtudia ad ſe Optimatium [9] illexit, eámque adeptus eſt auctoritatem, quæ homini novo pro facundia eſſe poſſet. Scilicet, quæ bonis [10] Titio, Seioque turpiſſima forent, Novium noſtrum maximè decent, ſiquidem è ſubſelliis elapſus de Tribunali nunc pronuntiet, et ex Præcone actionum factus ſit inſtitor eloquentiæ ſenatoriæ. Quam igitur in civitate gratiam dicendi facultate Q. Varius [11] conſecutus eſt, vaſtus homo atque fœdus, eandem Novius intelligit, illa ipſa facultate, quamcunque habet, ſe eſſe in Senatu conſecutum——

"Ellum,

——— " Ellum, *confidens, catus:*
Cùm faciem videas, videtur eſſe quantivis pretî :
Triſtis ſeveritas ineſt in voltu, atque in verbis [1] fides."

[1] Ter And. Act. 5. Sc. 2.

Arrogantia in dicendo et acerbitas, habet illa quidem nonnunquam gravitatem. Qui autem tetricum quiddam et vultuoſum nunquam non conſectatur: qui rem quamque juſtiſſimam vel acutulis impedit concluſionibus, vel attenuat affligítque improbulis fallaciis: qui adverſarios ſemper conatur conviciando atque obſtrependo verberare et frangere, is ſanè et in litigioſorum grege et ſophiſtarum, annumerari debet. Verba hæc, quid velint, itémque alterum ab altero, quantùm interſit, meliùs ipſe ab Ariſtotele, quàm à nobis audiêrit——ὥσπερ γὰρ ἡ ἐν ἀγῶνι ἀδικία εἶδός τι ἔχει, καὶ ἔστιν ἀδικομαχία τις· οὕτως ἡ ἐναντιολογία, ἀδικομαχία ἔστὶν ἐριστική——Οἱ μὲν οὖν τῆς νίκης αὐτῆς χάριν τοιοῦτοι, ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι· οἱ δὲ δόξης χάριν τῆς εἰς χρηματισμὸν, [2] σοφισταί·

[2] Ariſtot. Soph. Elench. lib. 1. cap. 11.

At meam de ſe opinionem ſi legat Novius, etiam atque etiam illum hortor

Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

[3] intorqueat. Quod in alios ſæpè uſurpat, triſte atque aſperum dicendi genus, illud ipſum, credo, maximè exhorreſcet in ſe intentatum.

[3] Lib. 9. ep. 6. Att.

Sed ſi quid " dictum in ſe inclementiùs
Exiſtimârit eſſe, ſic exiſtimet: ſciat
Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit [4] prior:"

[4] —— Ter. prol. Eunuc.

In iis, quæ ſequuntur, telis ego Novium ſecundis [5] petam; imò verò ad hilaritatem illam et ſuavitatem, qua propè jam delectantur homines, me convertam.

[5] Ovid. Met. lib. 3. l. 307.

Brevi fore ſpero, ut vigiliis ſenióque confectus, curas ſuper urbe civiles libentiſſimè deponat, ſatíſque habeat ſibi licere,

———Ἐν εἰρήνῃ γε διάγειν τὸν βίον
Ἔχονθ' ἑταίραν. [6]

[6] Ariſtoph. Pax 438.

 Seni-

Senilem verò amorem ſi quis putat ſubturpe quiddam eſſe, et tanto vitæ ſplendori labeculam aſpergere, "eſt ille quidem valdè[1] ſeverus". Latinè non accuſatoriè dico, potuiſſeNovium ſatis ſpectatum probatúmque civem videri, ſi in omni ejus vita nihil eſſet magis inhoneſtum, quàm quòd cum ancillula " ſenex miles" divortium non fecerit. [2]

Qui autem prima jam inde ab adoleſcentia, et forenſibus concertationibus et quidem bellis [3] nocturnis, non ſine gloria militavit, eundem credibile eſt, accedente jam ſenecta, meliorem poſſe leniorémque fieri. Satietate abjeciſſe videbitur, quicquid in ſe corrigendum, [4] aut leviter inflectendum ſit. Quod dixerit, interdum, ſi ita rectius ſit, mutabit. De ſententia decedet aliquando. Exorari ſe et placari nonnunquam patietur. Quibus horribilia iſta nunc minitatur, leviùs cum iiſdem et urbaniùs aget verbis hiſce Ariſtophaneis

> Ουκέτ' ἄν μ' ἕυροις δικαςὴν δριμὺν, ὐδὲ δύσκολον,
> 'Ουδὲ τὺς τρόπυς γε δήπυ σκληρὸν, ὥσπερ καὶ προτῦ?
> 'Αλλ' ἁπαλόν γ' ἄν μ' ἴδοις,
> Καὶ πολὺ νεώτερον, ἀ-
> παλλάγευτα πραγμάτων. [5]

Parùm nos movet ἡ πολυπραγμοσύνη nobilis cujuſdam viri, cujus ego nomen ſciens prætereo, ne opus tendam ultra legem, qua, ne quis Magnatibus flagitium faceret contumeliamve, prudentiſſimè cautum eſt. Signis erit perfacile hominem deſcribere, qui odio poſſit vincere regem [6] ſermoníſque adeò amari ſit, ut nec civium nec Ducum ullorum unquam famæ pepercerit. Themiſtoclem is cùm oderit, Ariſtidem tamen non amat. Quamquam juſtum ipſe ſe neque eſſe neque videri plus nimio cupit, ita tamen eſt propoſiti tenax, atque

ἀυθάδης,

[1] Orat. pro Cæl.
[2] Philipp: 2. par. 10.
[3] Æn. 11. 1736.
[4] Orat. pro Muræn: par. 12.
[5] Ariſtoph. Pax 348.
[6] Horat: lib. 1. Sat. 7.

ἀνθάδης, ut ne Pythium quidem oraculum de ligneis muris possit cum à machinis et deliramentis suis unquam deflectere aut divellere—At verò arrogantiæ ille per omnem vitæ cursum tantam speciem præbuit, tantámque in publicis muneribus pertinaciæ habet opinionem, ut ineptiæ ejus atque imperia, ne iis quidem, qui ipso amico usi sint, diu perferenda videantur. In rumoribus sanè quidem illis, qui famam τȣ̃ δεῖνα perstringunt, habet populus Anglicanus aures hebetiores. Sed oculi sunt ejus acres et acuti in consiliis dispiciendis, quæ Miso-Themistocli unicè sunt cordi. Id adeò malum, quod ex magnis et parùm fructuosis expensis nascitur, apud Anglos non minùs quàm Athenienses in proverbium abiit—τὸ Ἱππάρχȣ τείχιον. [1]

Ne Clodii quidem ipsius mendacia, quæ regibus quondam esse formidini solebant, risum jam aut admurmurationem auditoribus eliciunt, quippe quæ iterùm et sæpiùs conflata sunt usque ad tunicati popelli fastidium.

[1] Mich. Apostol. Parœm. p. 240.

Quatuor hosce viros, h. e. Dosona, Novium, Miso-Themistoclem et Clodium, dixi quare non ita vehementer reformidandos esse statuerim. Verùm enimverò qui cuniculis et ambagibus et susurris moliuntur omnia: qui in ipsis penetralibus imperii nidulos sibi ponunt, tanquam speculatores miseriarum omnium et discordiarum: qui consilia sua huc atque illuc torquent et flectunt ad tempus: qui rempublicam aut infirmam labefactant, aut validam vigentémque arrodunt: qui juvenes in pulverem et Solem, vita ex umbratili proripientes sese, tollunt in altum, ut lapsu eosdem graviori præcipites agant: EORUM profectò ab insidiis nihil non extimesco.

Eccum tibi Thrasybulum [2] istum ἀνδρὰ τρισκαιδεκάπηχυν, [3] cujus vultum habitúmque si spectas, erit tibi ad jocandum satis bella materies. Dicendi autem genus quale sit, si quæris, nihil ei inest limatum politúmque,

[2] ep. 3. lib. 8. ad Att.

[3] Theocr. Id. 15.

 nihil

nihil ſine aſperitate et offenſione, nihil non inciſum angulis aut anfractibus contortum. His accedit lingua volubilis, ferreum os, atque importunum; vox denique, quæ vereor ut perinde intelligi legendo poſſit, atque ego ipſe eam exaudiverim. Sonat illa quidem, ipſa natura, ſubraucum quiddam et ſubagreſte. Faucibus modò ſtrangulatur tumentibus, modò raſis aſperatur.[1] In ſumma laterum nunquam defatigatorum contentione non ſolùm concitata ſit, feriénſque aëra et aures duriter dilacerans, ſed fracta identidem, et eliſa, et in κλῶσμον ſubitò erumpens. Vitium eſſe quoddam dicit Tullius, quod nonnulli de induſtria conſectentur, ruſtica ut vox ſit, atque antiquitatem ſonet.[2] At eam, quæ extra modum abſona atque abſurda eſſet, neminem vidi, Thraſybulo excepto, qui non aut effugere cuperet, aut exquiſitis remediis diſſimulare conaretur et tanquam liquido[3] plaſmate emollire.

Thraſybulum qui viderit ad partes modò has, modò illas, ſeſe convertentem, ὀυκ ἂν γνόιη ποτέροισι μετέιη.[4] Nempe veriſſimum ei et apprimè utile Marianum illud videtur, "præſtare in republica beneficii[5] quàm maleficii eſſe immemorem." At quod tandem maleficium poteſt unquam fieri in illum, cujus voluntatem ſolet potentior quiſque aut impellere quò velit, aut, unde velit, deducere? Thraſybulo igitur ſalva res eſt, eò quòd *non* erubuit.[6]

Nonnullos ait Tullius "ſe vidiſſe, qui, oratores evadere cùm non poſſent, juris ad ſtudium deveniſſent."[7] Thraſybulus autem noſter hancce urbanam ad vitam et actuoſam acceſſit, longè aliter ſubducta ratione. Nec verò mirandum eſt, novum ſibi eum inveniſſe aucupium, cùm egregius magiſter artis ingeniíque largitor ſit venter. Domi ille quamdiu habitaret, ima ad ſubſellia detruſus eſt, habitúſque etiam à vulgo, non ſolùm horridus incultúſque Orator, ſed infans et penè inſipiens. Profectò in dicendo quid poſſet,

ne

[1] Quintil: lib. 11. cap. 3.

[2] De Oratore lib. 3. pag. 125.

[3] Perſ. Sat. 1.

[4] Il. 5. l. 85.

[5] Sall: Bell. Jug. par. 36.

[6] Terent: Adelph. Act. 4. Sc. 5.

[7] Orat. pro Lege Manil.

ne judices [1] quidem ſatis attendebant, ſiquidem pulchrè nôſſent illum in clamando eſſe robuſtum et benè exercitatum. Hoc igitur unum deficit proſperam ejus ad fortunam, quòd, duæ cùm res, quò magis in foro diceret, confidentia [2] et vox non deeſſent, malè tamen res ei ceſſerunt. At verò, quem populares ſui exiſtimabant Leguleium, Blateronémque, et ſyllabarum Aucupem, et formularum Cautorem merum; ei in fatis fuit, ut cum diſertiſſimis hominibus et ad dicendum paratiſſimis, pugnaret olim decertarétque.

Solum utique cùm vertiſſet, (id quod ſæpè factum eſt ab iis, qui aliquam vel pœnam vel calamitatem ſubterfugere volunt,) aliam ingreſſus eſt viam. Legerat, credo, moris fuiſſe Germanis, jumenta [3] quæ viderentur apud ſe prava atque deformia, hæc, quotidiana exercitatione, ſummi ut eſſent laboris, efficere. Curavit itaque ὑποζυγιώδης ἄνθρωπος [4] ut in ſe conſpicerentur, cùm fortitudo ea, quæ ſit conſiderata periculorum ſuſceptio, tum ea patientia, quæ rerum difficilium voluntaria et diuturna perpeſſione conſtet. [5] Merita fore ſua credebat magis expreſſa atque illuſtriora, ſi palàm profiteretur neminem in ſe uſpiam reperturum eſſe, aut ſegnitiem arduis in negotiis, aut in iis quæ ſubturpicula et ſubodioſa eſſent, faſtidium nimis delicatum. Omnibus igitur omnia [6] annuens, potentiorum ad gratiam ſenſim arrepſit. Militiam [7] mox Senatoriam, ſollicitudinis illam et ſtomachi pleniſſimam, ſecutus eſt. Semper habuit ὡς ἐν ὑγρῷ γλῶτταν. [8] Commoda enumeravit pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, vectigalium, militum, quorum quidem omnium utilitates ſuo ipſius fructu metitus eſt. Multorum, ſalva dignitate ſua qualicunque, arrogantiam pertulit, difficultatem exſorbuit; imò dixit omnia fecítque ad arbitrium aliorum. Invicto hoc labore et penè *improbo* cùm potiſſimùm inniteretur, paulò latiùs dimanabat ὑπὲρ τοῦ ἀνθρώπου [9] κλέος σοβαρώτατον. Suadere [10] Principibus quid oporteat, multi laboris rem eſſe, expertus confirmat. Omnia verò

eorum

[1] Divinat. in Cæcil. par. 12.

[2] Nonius in fragm: Ciceron.

[3] Cæſar de Bell. Gall: lib. 3.

[4] Mich. Apoſt. Cent. p. 249.

[5] Cicer: de Inventione lib. 2. pag. 88.

[6] Catull. Epith. Jul. et Manl.

[7] Orat. pro Muræn. par. 5.

[8] Theophras. p. 25. Edit. Caſ.

[9] Ælian. Fragm.

[10] Tacit: Hiſt. 1. cap. 15.

eorum [1] laudare honesta atque inhonesta, id demum sibi moris esse, id è re sua, id penè ex officio confitetur. Verbis itaque suis nomen aliquod speciosum non prætexit. Palàm et apertè cum Marco Terentio loquitur, " [2] non est " nostrum æstimare quem supra cæteros et quibus de cau- " sis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere: " nobis obsequii gloria relicta est."

Dulci jam ebrius fortuna inter principes artium primarum, nomen profitetur suum. Liceat modò sibi repulsam effugere et raudusculum [3] contrectare, velle se ait quidvis et facere et pati. Quin eò usque levitatis progressus est, ut magni nominis in umbra delitescere se existimet, quoties Ciceronis verba, ab animo ea quidem Ciceronis haud parcè detorta, propositis suis prætendat, tutásque ad aures obganniat, *Sese non semper idem dicere, sed idem semper spectare.* [4]

Hæc qui facit, is, mihi crede, intelligit se, suis quod probabile gratúmque sit, esse facturum; neque enim, cùm opiniones maximè inter se discordantes complectitur, non constat sibi. Prius nempe ei cariúsque nihil est, quàm ut Persona, quam sustineat, ab incepto ad imum eadem procedat: ita tamen, ut rebus ipsis mutatis, sua semper penitúsque mutentur consilia, atque ὁμαλῶς illud ἀνώμαλον [5] lepidissimè servetur.

Fortuna quid possit, quoties in hominibus omnia audacissimè incipientibus velit jocari, Thrasybulus iste exploratum habet—Illud quoque in animo habet infixum, suam cuique mores [6] fortunam fingere, et multos posse, suo magis quàm suorum civium tempore perpetua quadam felicitate uti. Quare non [7] disputandi solùm causa sed ita vivendi, voces illas Pompeianas crebrò usurpat, ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δυόμενον προσκυνοῦσι [8]. Multa insuper novit sibi peculiaria contigisse, quæ ad potentiam

[1] —— Annal. 2. cap. 38.

[2] —— Annal. l. 6. cap. 8.

[3] Epist. ad Att. 8. Lib. 6.

[4] Tull: Epist. Fam. i. 1. 9.

[5] Aristot: Poet: Cap. 15.

[6] C Nepos in Vit: Att.

[7] Orat: pro Muræn: par. 13.

[8] Plutarch: in Vit: Pompeii pag. 325.

tentiam et χρυσοῦν θέρος [1] munirent viam. Etenim famam, ante collectam [2] quò servet, Thrasybulo nostro minimè opus est, ut causa, in qua versetur, vel ad commemorandum sit honesta, vel æqua ad probandum. Eam cùm ingreditur, nihil habet quod in offensione deperdat. Ea si cadit flagitiosissimè, nihil unquam de veteribus suis ornamentis requirit. Reliqui autem temporis spem confirmat tum maximè, cùm, sceleratis ne periculum facessat, permetuens, ex eo quod in dicendo possit, aliquantulum remittat, aliorúmque ex invidia quicquid deoneraverit, id omne in se ipsum trajici patiatur.

[1] Plutarc. Præc. ger. Reip. p. 798.
[2] Divinat: in Cæcil: par: 18.

Hoc ab uno discas licet, quales sint plerique omnes, quos principum amicos appellitant. Atqui hinc omnis pendet ὁ δεῖνα. His stipatus, contra quam factum oportuit, rerum ad fastigia aspiravit accesśitque. Hos è latebris eorum prorepentes, in publicum comites secum eduxit: imò fortunæ secundæ jam intolerantior quasi famæ suæ quosdam fautores ac participes consiliorum, HOS

Proh Curia, inversíque mores,[3]

in conspectu Senatûs Anglicani fidenter collocavit.

Ergo referens hæc nuncius ibit
Pelidæ genitori: hæc illi tristia facta
Degenerémque Neoptolemum narrabit. [4]

[3] Horat: lib. 3. Od. 5.
[4] Virg: Æn. 2.

Quamquam ego Civilibus fluctibus nunquam me commisi, optimarum tamen Partium semper volui esse et existimari; sempérque mei judicii ita fui, ut, quod mihi ipsi videretur verum et æquum, facerem et sentirem, potiùs quàm quod alii forent laudaturi. Erunt profectò qui causam mirentur eam à nobis potissimùm probatam esse, quæ sit à Rege et à Senatu ipsóque Populo penitùs deserta. Alii verò difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod coërceri reprimíque non debet, ut propemodùm justioribus

utamur

[1] Tacit: Hist. lib. 7.

utamur iis, qui nos sentire quid velimus [1] prorsùs vetent, quàm iis, qui contumeliosum quiddam esse statuant dicere quid sentiamus. Sed causa certè quidem manet eadem, neque ullo modo mutabitur. Temporis autem iniquitas atque invidia ita recessit, ut quod in tempore mali fuit, minùs jam obesse possit: quod in causa boni, id demum aliqua ex parte sit profuturum.

Illud intereà non prætermittendum est, quòd tres per annos proximos, fautores τ8̃ δεῖνα quocunque in loco, quoscunque inter homines, effutierunt convicia deformia. Scribendi labor, est ille quidem imperitis, et turbæ pullatæ quondam relictus. Sed cùm in acie quidam [2] homo nuper steterit, qui litteras haud omninò nesciat, cúmque sit, propè sub conatu adversarii, manus erigenda, αἶσχρον σιωπᾶν. Dicit scriptor ille "[3] Galbam, Othonem, Vitellium, sibi nec beneficio nec injuria esse cognitos." Dicere debuit, se eum esse, qui "dignitatem [4] suam, à Vespasiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longiùs provectam non abnuisset."

[2] De Pol. Stat. M. Brit. A. D. 1787.

[3] Tacit. Hist. 1. 1.

[4] Ibid.

Est quidem causa illa, si per se spectatur, perfacilis et explicata. Artibus autem hominum improborum effectum est, ut ei defensionis ratio lubrica et periculosa sit proposita. Judicium de me quodcunque demum fuerit, modò stet illud penès sapientes ac bonos, ei certè ferendo parem me fore intelligo. At cavendum est, qua possum, ab iis, qui in verba τ8̃ δεῖνα, quæcunque ἂν φάιη, superstitione plusquam Pythagorea obligati jurant: qui ad novam hancce civilem Disciplinam tanquam ad saxum [5] adhærescunt: qui denique aliorum sententias aut pejorem in partem interpretantur, aut intelligendo faciunt, ut nihil intelligant [6]—Meminerint ii, velim, si librum hunc nostrum legerint, et refellere se oportere sine iracundia, et refelli sine contumacia. Studiis porrò nostris desinant maledicere, ne ὀνομακκλήδην in Rolliade olim cantati, malefacta ipsi noscant

[5] Acad: Qu: lib. 3. pag. 291.

[6] Terent: Prolog: ad And.

noſcant ſua. Horum igitur in ſuſpiciones ne fortè incurramus, qualis de ſumma Republica ſit noſtra opinio, paulò enucleatiùs exponendum eſt.

Patriæ vulnera vel acerbiſſima et poſſe crediderim et ſolere ab iis infligi, qui in libertate vindicanda acerrimos ſeſe profitentur: qui de civitate, quæ omnibus numeris abſoluta et perfecta ſit, decantatas illas fabellas garriunt: qui denique Romuli ex fæce ipſi videntur tum denique prodiiſſe, cùm Platonis de πολιτέια magnificè animoſéque ineptiunt. Illud etiam arctè et mordicùs tenemus, vim penè omnem et robur imperii eſſe ſitum in Senatu: cujus qui aut dignitatem clanculùm minutatímque læſerit, aut nervos ſubdolè et malitiosè eliſerit, in eodem is habeatur numero oportet quo patriæ hoſtes judicati. Regio quidem nomini ut infenſi ſimus, mirum quantùm abeſt. Regia ut poteſtas, qualis à legibus deſcripta ſit, ſarta tecta conſervetur, id verò confitemur eſſe è re civitatis benè conſtitutæ et benè moratæ. Regi porrò ipſi, ſi quod unquam ſignum ſuſtuliſſet ad benè ſperandum de republica, et gratiam vel maximam et laudem deberi ſemper exiſtimavimus. Quicquid autem privata in vita juſtè pieque Rex fecerit, gloriandum ſemper putavimus vehementérque prædicandum, propterea quòd Principes ita ſunt nati, ut eorum mores vel boni, vel mali, publicè ad civitatem pertineant. At verò qui et cum Caſſio τὸν ἄρχοντα [1], et cum Bruto ἀρχὴν omnem omninò oderunt ex animo, eos paulò ſtomachoſiùs animadvertimus in aula nuperrimè volitare. Quid enim? quem fœdiſſimis ipſi conviciis haud ita pridem laceraverant, ab eo τὰς τυραννικὰς φιλοφροσύνας [2] καὶ χάριτας petierunt precariò, cupidè, inſtanter.

Fuerunt profectò viri, ut in temporibus illis ſapientes habiti, qui dicerent nihil eſſe tam inſigne ad infamiam, támque ad memoriæ diuturnitatem ſtabile, quàm id, in quo eos offenderis, qui et plumbeas [3] gerunt iras et longas

[1] Plutarch. Vit. Bruti p. 987.

[2] Ibid.

[3] Plaut. Pænul: Act. 3 Sc: 6.

gas [1] manus habent. Quin ab Heroicis uſque temporibus eadem ducta eſt opinio; ſiquidem in Homero legimus,

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ανδρὶ χέρηι·
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αυτῆμαρ καταπέψη,
Αλλά γε καὶ μετόπιθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
Εν στήθεσσιν ἑοῖσι. [2]

Verùm enimverò in noſtro hoc ſeculo plura ſæpè peccantur ab iis qui populum regémque demereri volunt, quàm ab iis qui et hunc dente Theonino vulnerârunt, et illum fallaciis verborúmque præſtigiis deliniêrunt et tranſverſum egerunt. Nobis proprium hoc et peculiare eſt, ut principes odioſum illud τὸ μνησικακεῖν defugiant, ſéque præbeant nunc his, nunc illis, placabiles et perbenignos et quodammodò Αλλοπροσάλλυς.[3] Et quidni ita faciant? Qui enim heri et nudiuſtertius contumaciam abruptam præ ſe ferebant, eoſdem illos poſſe conſtat, ſi res tulerit, bonam ad frugem redire: poſſe quicquid in ſe ſuperbiæ aut feritatis fuerit, penitùs deponere: poſſe animos ſuos flectere et demittere ad obſequium deforme. [4]

Ii nos quidem non ſumus qui ſtatuamus ex officio boni civis eſſe πρὸς κέντρα λακτίζειν. Contra ea ut quiſque de Republica optimè ſenſerit, ita maximè eum crediderimus reformidare dicendi difficultatem—At videtur tamen ab eo quod vel decorum vel honeſtum ſit minimè abhorrere, ſi cautè noſmet ipſi timidéque digitos ad fontem intendamus.

Ea nimirùm conditio eſt rerum humanarum, ut, qui Flavia è gente nec primus nec ſecundus ſit, ſummo in imperio poſſit verſari. Poteſt etiam vis in civium jura ſenſim et pedetentim ab iis inferri, qui velint ipſum florem dignitatis refringere, qui oderint [5] ingenium, qui virtuti invideant, eámque opprimendam putent atque etiam puni-

[1] Ovid: et Cowleii "Complaint" ſub fin.

[2] Iliad. 1.

[3] Il. 5. 831.

[4] Tacit: Ann: lib 4. par. 20.

[5] Orat: pro L. C. Balbo pag. 458.

punienda n. Populus autem qui ſtatuerit tum denique HÆC ſalva eſſe, cùm ex unius pendeant arbitrio et nutu, idem ille, fieri *non* poteſt, quin brevis atque inſolentis lætitiæ pœnas det graves ac diuturnas.[1]

Hæc nos προθεσπίζοντες[2] ſcripſimus, ídque nec rogatu cujuſquam, nec quò potentiorum nobis gratiam poſſe conciliari exiſtimemus. Si quis autem vitio nobis id vertat, multis nos laudibus extuliſſe tres illos viros, quibus Bellendeni opuſcula dedicavimus, plurimùm illa, quæ poſſunt ipſi de ſe jure et merito prædicare, noſtram ad defenſionem profecerint. Ἀρκεῖ γὰρ (οἶμαι) τὸ τοῦ Πινδάρου, πρὸς τὸν λέγοντα πανταχοῦ, καὶ πρὸς πάντας ἐπαινεῖν αὐτοὺς, εἰπόντος, Χἠμεῖς σοι χάριν ἀποδίδομεν, ποιοῦμεν γάρ σε ἀληθεύειν.[3]

Quòd de viro[4] quodam optimo et nobiliſſimo, cùm dicere multa habeam, nihil tamen compoſitè atque honoratè dixi, hac quidem in re memor fui Antalcidæ, qui, "Sophiſtæ cuidam laudationem Herculis recitare volenti, reſpondit" Τίς γὰρ αὐτὸν ψέγει;[5]

Periniquos autem hominum malevolorum ſermunculos, ſcurrilémque ſemidoctorum dicacitatem, et alia omnia quæ in cultores veritatis cadere ſolent, deſpicimus et pro nihilo putamus. Ita enim nos Dii ament, ut nulla in quempiam malignitate aut livore inflammati ſumus. Cauſam odimus non homines, quod quidem fidentiſſimè dicimus de eo juvene, in quo lubentiſſimè confitemur virtutis et ingenii igniculos quoſdam illuxiſſe, cùm curriculum gloriæ primùm ingrederetur. Eſt autem inter carceres et metas intervallum ſatis longum καὶ πόλλα μέταξυ πέλει. Quin via ipſa tam lubrica eſt, et confragoſa, et virgultis hic illic intercluſa, ut in ea vel progredi quiſquam vel conſiſtere ſine caſu aliquo et prolapſione vix poſſet. Quid eſt quòd diſſimulem ea, quæ ſentiam? Profectò collegiæ illum videntur detraxiſſe de cœlo atque effeciſſe, non ut ſuorum eſſet omninò ſimilis, ſed ut plus æquo diſſimilis

eſſet

[1] Orat. Cæs: in Bell: Cat: Sall.

[2] Epiſt: ad Att. 11. lib. 8.

[3] Plutarch: de Vitios: Pud: Tom. 2. p. 536.

[4] D de P—d.

[5] Plut. Lacon. Apopththegm. pag. 217.

eſſet ſui. Ego illum pro ejus muneris, quod gerit, majeſtate et [1] verecundia, ne verbo quidem inclementiore à me appellatum vellem. Sed ea, quæ dixi, coegerunt me dicere pervicacia ejus et arrogantia, coegerunt iſti, quos in optimum quemque immittit, aculei aſperrimarum contumeliarum, coegerunt denique malè parta, malè geſta, malè retenta imperia.

[1] Liv. 9. cap. 34.

Iniqui tamen ingratíque animi eſſet, ſi propter ea, quæ ὁ δεῖνα nuperrimè fecerit, vel diſſimularem ſilentio, vel parcè et malignè laudarem. Quòd enim jura Eccleſiæ viriliter defendit, et eloquentiam ſuam quaſi pediſſequam et ancillulam adjunxit Northii prudentiæ civili, id bono cive digniſſimum videtur. In iis autem, quæ ad Aſiæ Præfectum ſpectant, tandem aliquando reſipuit, veritatíque per tot difficultates eluctanti jam, et in lucem ſeſe proferenti manus dedit.

Verè de hoc juvene dici poteſt, et auſum eſſe illum, quæ nemo [2] auderet prudens, et perfeciſſe, quæ à nullo niſi feliciſſimo perfici poſſent. Quòd ſi animum ſuum diſciplinis honeſtiſſimis diutiùs ornare ſtuduiſſet, et civilem dignitatis concupîſſet modum, quicquid tumultuando, jactitando, et multitudine ineſcanda adipiſci [3] geſtiit, id ei, firmata jam ætate, obtuliſſent omnes boni. Illud verò, ut ut ſe habet, ei, quem æſtus quidam gloriæ abſorbuit, Plutarchi hæc verba ad lectitandum propoſuerim. ὥσπερ εἰς φρέαρ, οἶμαι, τὴν πολιτείαν τοὺς μὲν ἐμπίπτοντας αὐτομάτως καὶ παραλόγως ταράττεσθαι καὶ μετανοεῖν, τοὺς δὲ καταβαίνοντας ἐκ παρασκευῆς καὶ λογισμοῦ καθ' ἡσυχίαν, χρῆσθαι τε τοῖς πράγμασι μετρίως, καὶ πρὸς μηδὲν δυσκολαίνειν, ἅτε δὴ τὸ καλὸν αὐτὸ καὶ μηδὲν ἄλλο τῶν πράξεων ἔχοντας τέλος. [4]

[2] Vel. Paterc. 2. cap. 25.

[3] Vel. Paterc. lib. 2. cap. 7.

[4] Plutarch: præcept. ger. Reip. Tom. 2. pag. 799.

Quoniam verò emerſiſſe jam è vadis, et ſcopulos prætervecti videmur, perfacilis nobis oſtenditur reliquus curſus, in iis, quæ ad Bellendenum ſpectant, enarrandis. Gente erat Scotus. Litteris fuit iis ornatus eóque præditus ingenio, ut de illo dici poſſit, quod in ore eruditorum percrebruit de

Bucha-

Buchanano ϰ Σκότος ἦν, ἀλλὰ Φόως Σκοτίης. Fuit à prosapia, quantùm conjectura auguror, vetere atque illustri oriundus. De vitæ autem ratione quam sibi instituerit, parum est certi quod cum lectoribus communicemus. Scoticorum scriptorum in catalogo, quem [1] Dempsterus confecit, dicitur Gulielmus Bellendenus fuisse humanitatis Professor Parisiis An. Dom. 1602. Gratia plurimùm valebat apud Jacobum, uti à Scotis dicitur, Sextum, fuítque ei Magister supplicum libellorum. Titulus autem ille quò minùs scrupulum alicui injiciat, paucula quæ ad eum explicandum faciant, lectori tanquam per lancem saturam apponenda censemus. "Libellensis, Magistratus apud Siculos, "qui aliis Magister Libellorum, qui scilicet libellos supplices "subditorum excipiebat, examinabat, et de iis ad Principem "referebat, in Constitut. Sicul. lib. 1. tit. 38. §. 2." Du Cange. Glossar: Tom. 2. "Supplicare, libellum vel preces "principi offerre. l. 1. Cod. ut lit. pend." Vicat. Vocab. Jur. utr. Tom. 4. "Magistri libellorum, in inscriptione "l. un. D. de off. præf. præt. l. un. C. Theod. de curs. "publ. erant, qui supplices libellos à privatis oblatos tractabant. Vocantur etiam Carthophylaces et libellani." Vicat. Tom. 3.

[1] vit. Scot. scrip. Vol. 1. p. 481. à Mackens.

Sed jam supplicibus dominum lassare libellis
Desine ——— ——— [2]

[2] Martial. Epigr: lib. 8 32.

Aliis gloriolæ insignibus à Jacobo ornatus sit, nécne, planè nescio. Regem verò illum et à doctrina fuisse haud mediocriter instructum, et doctorum hominum maximè studiosum, nemo est qui ignoret. Effectum est igitur ejus munificentia, ut otio perquam honesto Bellendenus Parisiis frueretur. Hac in urbe dum commoraretur, aciem ingenii nolebat hebescere, sed, ut quàm plurimis prodesset, enitebatur. Trium horum librorum secundum et tertium bis, primum semel ipse prelo subjecit. Ciceronis Princeps lucem vidit Ann. Dom. 1608. sub hoc titulo "Ciceronis princeps, rationes et consilia benè gerendi firman-

 "díque

" díque imperii: ex iis repetita, quæ ex Ciceronianis " defluxêre fontibus, in libros XVI. de ſtatu rerum Ro- " manarum, qui nondum lucem acceperunt—Pariſiis, " apud Carolum Chappelain, via amygdalina, ſub ſigno " beatæ Mariæ. CIↃ IↃCIIX—"—Huic primæ Ciceronis Principis editioni præfixus eſt " Tractatus de Pro- " ceſſu et Scriptoribus rei Politicæ."—Sed in tribus de Statu libris editis 1616. eundem tenet locum, quem nos Bellendeni veſtigiis fideliter inſiſtentes, ei attribuimus.

Editio prima Ciceronis conſulis hunc præ ſe fert titulum. " Ciceronis Conſul, Senator, Senatúſque Romanus. Il- " luſtratus publici obſervatione juris, graviſſimi uſus diſ- " ciplina, adminiſtrandi temperata ratione: notatis incli- " nationibus temporum in Rep. et actis rerum in Senatu: " quæ à Ciceroniana nondum edita profluxêre memoria " annorum. DCCX. congeſta in libros XVI. De ſtatu " rerum Romanarum: unde jam manavit Ciceronis Prin- " ceps, dignus habitus ſummorum lectione Principum. " Ad inclytum Sereniſſimúmque Principem Henricum " Principem Scotiæ, et Walliæ. Per G. Bellendenum " Magiſtrum Supplicum libellorum Auguſti Regis Magnæ " Britanniæ &c. Pariſiis. Apud Joannem Corbon è re- " gione Eccleſiæ S. Hilarii, ſub ſigno Cordis boni, " M. DC. XII. Cum Privilegio Regis."

Extraict du privilege du Roy.

TRES-expreſſes inhibitions & deffences ſont faites à tous, d'imprimer ou expoſer en vente le livre intitulé *Ciceronis Conſul, Senator, Senatúſque Romanus, per Gulielmum Bellendenum, Magiſtrum Supplicum libellorum Auguſti Regis Magnæ Britanniæ,* durant le temps & eſpace de ſix ans. à commencer du jour qu'il ſera achevé d'imprimer: ſi ce n'eſtoit de l'expreſſe permiſſion & conſentement dudit Bellenden. A peine de confiſcation des livres, dommages & intereſts, & d' amende arbitraire: comme plus amplement eſt declaré & contenu auſdites lettres du privilege du 5. Juillet, l' an de grace mil ſix cens douze.

Par le Roy en ſon Conſeil.

Signé DE VABRES.

Je ſoubs ſigné ay permis & permets a Jean Corbon Marchand Libraire juré en ceſte ville de Paris, de faire imprimer & expoſer en vente le livre intitulé Ciceronis Conſul, Senator, Senatuſque Romanus, par moy faict, & de jouyr & uſer plainement du benefice du privilege a moy ſur ce octroyé par le Roy le 5. du preſent mois. Faict ſoubs mon ſigne le 14. Iuillet 1612.

"Hi duo libri in nomine apparuerunt Sereniſſimi Principis Henrici." Editio ſecunda vulgata eſt Ann. Dom. 1616. eíque additus eſt liber de Statu priſci orbis, qui quidem anno proximo ſuperiore typis mandatus fuerat, Carolóque Principi, fratris Henrici ſuperſtiti, dicatus.

Quamquam ab ineptiis eorum, qui fluctus in ſimpulo excitant, ſemper animus meus abhorruit, expedienda eſt tamen quæſtio ſubdifficilis de tempore, quo Liber de Stat. pr. Or. primùm è ſcriniis Bellendeni ſit emiſſus. In titulo trium de Statu librorum, quos conſtat à Bellendeno fuiſſe editos Ann. Dom. 1616. dicitur liber ille "nunc "primùm editus." Exemplar autem operis hujuſce, quod in Muſeo Britannico aſſervatur, titulo in ſuo habet Ann. 1615. Anni porrò ejuſdem nota legitur in fine Dedicationis, quæ, in tribus de Statu libris anno proximè ſequenti editis, tractatum de Proceſſu rei Politicæ ſubſequitur. Littera etiam numeralis extrema I. in fine tituli trium librorum videtur à typographo addita eſſe, poſtquam litteræ numerales M. DC. XV. fuiſſent excuſæ. Ita certè ſe res habet in omnibus, quæ vidi, exemplaribus. Bellendenum itaque conſilia ſua ſic inſtituiſſe crediderim. Liber de Statu Priſci Orbis ad umbilicum perductus eſt 1615. et pauca exemplaria ſparſim à ſcriptore, vel amicis ſuis vel fortè viris quibuſdam primariis dono data ſunt. Complura autem exemplaria, quæ fuerant eodem tempore excuſa, conſultò premebantur à Bellendeno pauculos in menſes; idque, eo conſilio, ut iis adderentur duo libri de Principe et Conſule, atque adeò juſtum opus de Statu uno volumine conficeretur.

In libro de Statu Priſci Orbis tum eo, cujus exemplar in Muſeo Brit. reperitur, tum eo, qui in Libris de Statu primum tenet locum, idem eſt paginarum numerus, et eadem prope operis forma, niſi quòd tractatus de pro-

 ceſſu

ceſſu rei Politicæ, quem hic præfixum habet, illi omninò deeſt.

His de cauſis librum de Statu Pr. Or. bis editum eſſe dixerim, ſiquidem ea, quam primam vocaverim editionem, alium præ ſe fert titulum, et aliud, uti aiunt, privilegium Regium proprium ac ſuum, quod eſt Bellendeno, nî fallor, conceſſum, poſtquam ei jus datum eſſet librorum de Statu trium edendorum.

In libro de Statu priſci Orbis, qui prodiit Ann. Dom. 1615. titulus hic legitur.

" Gulielmi Bellendeni Magiſtri ſupplicum Libellorum " Auguſti Regis magnæ Britanniæ, &c. De ſtatu priſci " orbis in religione, re politica, & litteris liber unus. Ad " Sereniſſimum principem Carolum Principem Scotiæ et " Walliæ. Pariſiis, Apud Herveum du Meſnil, via. s. " Joannis Lateranenſis, ſub ſigno Bellerophontis Coronati. " M. DC. XV. cum privilegio regis."

PAR lettres du grand ſeau du 1. Juin 1615. defenſes ſont faictes à tous d'imprimer ou vendre, ſoit pour le tout ou partie, les livres intitulez *G. Bellendeni &c. De ſtatu libri tres:* l'un deſquels eſt celuy *De ſtatu Priſci Orbis &c.* durant le temps de ſix ans: ſi ce n' eſt du conſentement dudict Bellenden; à peine de confiſcation des livres dommages & intereſts & d' amande arbitraire: comme il eſt plus amplement declarè par leſdites lettres ſignées Le Liepure, et en queue d' Amboiſe.

Librorum à nobis editorum titulus ita ſe habet " Gu-" lielmi BELLENDENI Magiſtri Supplicum Libellorum " Auguſti Regis Magnæ Britanniæ &c. De Statu Libri " tres. 1. De ſtatu priſci orbis in Religione, Re politica " et Litteris. 2. Ciceronis Princeps, ſive de Statu Prin-" cipis et Imperii. 3. Ciceronis Conſul, Senator, Sena-" túſque Romanus, ſive de Statu Reip. et Urbis impe-" rantis Orbi. Primus, nunc primùm editus: cæteri, cum " tractatu de Proceſſu et Scriptoribus Rei politicæ, ab " auctore aucti et illuſtrati. Pariſiis, apud Herveum du

" Meſnil,

" Mesnil, via S. Joannis Lateranensis, sub signo Bellero-
" phontis Coronati. M. DC. XVI. Cum Privilegio
" Regis."

Extraict du Privilege du Roy.

TRES-expresses inhibitions & deffenses sont faictes, à tous, d'imprimer ou exposer en vente, soit pour le tout ou partie, les livres intitulez *Gulielmi Bellendeni magistri supplicum libellorum Augusti Regis Magnæ Britanniæ, De Statu libri tres:* le premier, *De Statu prisci orbis:* le second, *Ciceronis Princeps, sive de Statu Principis:* le troisiesme, *Ciceronis Consul, Senator, Senatúsque Romanus, sive de Statu Reip. & urbis imperantis Orbi,* durant le temps & espace de six ans, à commencer du jour que lesdicts livres seront achevez d'imprimer: si ce n'estoit de l'expresse permission & consentement dudict Bellenden. à peine de confiscation des livres, dommages & interests, & d'amende arbitraire: comme plus amplement est declaré & contenu aux lettres du privilege du premier Juin, l'an de grace mil six cens douze.

Par le Roy en son Conseil.

Signé LE LEIPURE.

Et signé en queue D'AMBOISE.

Testimonium quoddam hisce de libris è Bauero excerpsimus. " Bellendeni. (Guil.) Ciceronis Consul, Se-
" nator, Senatúsque Romanus. — — — De statu
" libri 3. videlicet 1. de Statu prisci orbis in religione, re
" politica, et litteris. 2. Ciceronis princeps. s. de statu
" Principis et imperii. 3. Ciceronis Consul, Senator &c.
" Libri rari. Widekind. p. 363." Tom. 5. Baueri Biblioth: lib: rar: univ: sive Tom. 1. Supplem. Fuit ea Bibliotheca Norinbergi edita in quat. vol. à Johanne Jacobo Bauero Ann. Dom. 1770. De hisce autem libris Bellendeni scripsit in ea Bauerus οὐδὲ γρύ. Secutum est Supplementum Ann. Dom. 1774. duobus Voluminibus, quorum è primo verba superiora hausimus.

Saxius in præclaro illo suo Onomastico sic scribit. " Ann.
" Dom. 1612. Guilielmus BELLENDENUS, gente Sco-
" tus, Philologus, et Archæologus. hoc anno ipsi debe-
" batur Ciceronis Consul, Senator, Senatúsque Romanus,

 " Parisiis,

" Parisiis, 8. et de tribus luminibus Romanorum liber Pa-
" risiis. 1633. fol. Vid. F. G. Freytag. Analecta Litteraria
" p. 81.—David Clement Bibliothéque curieuse, Tom. 3.
" p. 71. 72. (50)—(52)" Tom 4. p. 224.

Manca atque imperfecta sunt et Baueri et Saxii testimonia, quatenùs de ordine quo libros suos Bellendenus edidisset, nihil eorum uterque exploratum habuit. Sciant autem lectores nullam esse eorum factam mentionem, neque à Morhofio in Polyhistor :—neque à Fabricio in Biblioth : Latin : med : et infim : ætat :—neque in Amœnitatibus Litterariis Francofurti et Lipsiæ editis 1728. quarum in Tom : 2do. 5to. et 8vo. fusè elegantissiméque agitur de libris raris :—neque in Observationibus Litterariis Halæ Magdebergicæ editis 1705. quarum in decimo Volumine dissertatio de raris libris occurrit admodùm docta et dilucida.

In bibliothecis sive privatis, sive publicis rarissima sunt eorum exemplaria. Cantabrigiæ quæ inveniuntur, hæc sunt—In Bibliothec : Aulæ Clar : editio princeps Ciceronis Consulis—In Bibl : Col : Emmanuel : qua quidem, nulla uspiam est, quòd sciam, libris optimis et rarissimis magis abundans, de Statu tres libri.—In Bibliotheca Academica, principis editionis Ciceronis Consulis duo exemplaria, et de Statu trium librorum exemplar unum.

In Catalogo Bodleiano Oxonii edito 1738. prorsùs de iisdem siletur. Editio autem prima Ciceronis Principis in Bibliotheca illa asservatur. In Collegio Animarum Omnium unum est exemplar trium librorum de Statu.

In Museo Britannico asservatur Bellendeni liber de Statu prisci Orbis, quem quidem crediderim penes Carolum primum olim fuisse.

In domestica Regis Britannici Bibliotheca, quam sanè et copia librorum et splendore verè Regiam dixeris, neque cum Ptolemæorum et Osymandyæ thesauris litterariis conferre dubitaveris, reperitur unum exemplar Ciceronis Consulis.

In

In Bibliotheca Regia Pariſienſi No. 1346 de juris-prudentia unum eſt exemplar librorum trium de Statu.

In Bibliothec. viri Reverendi et Doctiſſimi C. M. Cracherodii Muſ. Brit. Curatoris aſſervantur lib: de Stat. Pr. Or. et edit. princeps Cic. Conſ.

Singulis trium de Statu librorum, (quod jure mireris) Biblioth. Argatheliens. et Hunterian. omninò carent.

In Catalogis Bibliopol. Londinens: qui Ann. Dom. 1787. prodierunt, duo exemplaria hujuſce libri de ſtatu invenimus, et inventa ſtatim arripuimus.

Obiter monendus eſt lector "regnandi præcepta ab Auguſto patente filio ſuo tradita" ad quæ reſpexerit Bellendenus in Præfatione Ciceronis Principis, Londini eſſe edita ſub hoc Titulo. "Βασιλικὸν Δῶρον or his Mageſties "inſtructions to his deareſt Sonne, Henrie the Prince. "At London, imprinted by Richard Field, for John Nor-"ton, according to the Copie printed at Edenburg, 1603." Fuerit quoque operæ pretium Lectores Bellendeni docere de re alia, quæ mihi inter legendum veriſimilis videatur: numeros nempe marginales ab eo adhibitos convenire "Ci-"ceronis editioni Aldinæ, cui Editiones Pauli Manutii "Aldi F. et Uvendelin. Argentoratenſis, (ſi Nizolio [1] cre-"dendum eſt) ad amuſſim reſpondeant: Robertíque aut "Caroli Stephani exemplaria ita reſpondeant, ut binæ "Aldi aut Pauli paginæ pro una deputari poſſint." Notiſſimum eſt autem in editione Aldi actiones in C. Verrem ſeptem haberi, quarum prima ſit ea, quæ nunc vocatur "Divinatio in Q. Cæcilium."

[1] Vid: Præf: Nizol.

Libris de Statu præfigenda eſſe ſtatuimus Carmina duo, quorum exemplar forma quartana impreſſum in Muſeo Britannico ſervatur.

Haud moleſtè feret lector candidus, ſi de majore opere Bellendeni, quod de tribus luminibus Romanorum inchoaverat, paucula in tranſcurſu adjiciam.

Cùm tres hofce libros, qui à nobis editi funt, Bellendenus fcriberet, Ciceronem lectitabat ftudiosè. Cujus autem fcripta manu diurna nocturnáque verfaverat: cujus verba, tanquam ungues digitófque fuos pernofcebat: cujus doctrinam multiplicem et reconditam, animo fuo omnem omninò complectebatur, hujus vehementiore, ut fit, amore flagravit, afficíque fe fenfit majore ejufdem admiratione. Suæ igitur famæ, cùm intelligeret, quantam fegetem et materiam comparâffet, ad aliud quoddam opus, quod difficilius et fplendidius effet, accinxiffe fe videtur. Quæ de Cicerone olim fcripferat, ea omnia novo ordine difpofuit. Plura, quæ in manu habebat, novo operi, quod de Tribus Luminibus conficiebat, folertiffimè intexuit. Ultimam verò manum libro ne imponeret, in iis quæ ad Senecam et Plinium fpectarent, colligendis atque ordinandis, mors (ut à me anteà dictum eft) eum prohibuit. Parte tamen in illa, quæ fupereft, nihil reperiri poteft, quod non fumma fit elaboratum induftria, et fummo ingenio perfectum. Etenim quæ aut eleganter à Cicerone dicta, aut fubtiliter excogitata, fparfim in ejus operibus legi folent, ea nobis uno afpectu legenda Bellendenus propofuit, et in clariore quadam luce collocavit. Hunc itaque librum qui lectitaverit, magnam tenebit omnis ferè antiquitatis et exemplorum vim: magnam juris Romani civilífque Scientiæ cognitionem fibi comparabit: magnam veluti de Thefauro quodam poterit depromere verborum exquifitiffimorum copiam.

Ciceronis opera, qualia ab Oliveto edita effent, Oxonienfes haud ita pridem typis pulcherrimis mandare dignati funt, et novis quibufdam lectionibus MSS. augere et illuftrare. Fecerint autem Cantabrigienfes, quod eruditis omnibus gratiffimum foret, fi Bellendeni opus, egregiè illud quidem comparatum ad Ciceronis famam confervandam atque etiam exornandam, prelo Academico fubjecerint.

Scribit

Scribit vir [1] quidam ingeniosissimus et πολυμαθέστατος " multa libri ejus exemplaria, cùm in Angliam vehenda essent, naufragio periisse." Quo quidem fato usa sunt biblia [2] Suesica Marci Ann. Dom. 1637. in 8vo. excusa; et Biblia [3] regia vel Polyglotta Typis Plantinianis octo Voluminibus edita Ann. Dom. 1516. Exstitisse etiam olim creduntur orationes quædam Jacobi Critoni, [4] Scoti doctissimi, quæ " non reperiuntur nisi frustatim impressæ." Sunt autem illæ, Gabriele Naudæo judice, " mellito " eloquentiæ flumine largissimè tinctæ." Qui igitur eas in unum collegerit, et recudendas curaverit, optimè de viris doctis merebitur.

[1] Wart: super Pop: Script: Tom: 2. p. 324.

[2] Amœnitat: Litterar: Tom. 2. pag. 397.

[3] Ibid. p. 398.

[4] Amœn: Lit: Tom. 2. p. 404.

Fuit profectò quoddam tempus, cùm in linguis Græcis Latinísque Scoti plurimum operis collocabant. Putabantur iidem perbenè Latinè loqui, et quidem [5] litteratiùs, quàm plerique Anglorum qui illo ipso tempore, Spartam, quod aiunt, eandem ornabant. Horum verò in studia virorum transversa incurrebat fortuna Reipublicæ. Quicquid autem cum Musis aliquod commercium habebat, id omne penitùs conticuit in temporibus parùm tranquillis, intérque strepitum, qui subindè auditus est, armorum. Huc accedit quòd multi, qui in litteris existimabantur plurimum posse, vel à studiis partium abhorrentes, vel amplioris cujusdam doctrinæ cupidi, vel aliis adducti causis minimè inhonestis peregrè ibant, neque in patriam revertebantur. Quid est igitur, quòd miremur scripta permulta Scotorum intercidisse, ut eorum nunc appareat nec vola nec vestigium?

[5] V. Morhof. de pura dict. Latin. Edit: Moshcim. p. 42.

Optimorum illam librorum jacturam ut feramus aliquantò leviùs, animus noster se convertit ad lætiorem rerum faciem, quæ Scotiam cuivis aspicienti ultrò se offert. Vacillârat usque ad hanc ætatem et quidem jacuerat inter Scotos Philosophia, non modò illa, quæ de

vita

vita et moribus agit, sed præpotens ea et gloriosa, quæ in rerum Metaphysicarum contemplatione posita, non rivulos scientiæ consectatur, sed penitissimos ipsos fontes audet aperire. Est autem ea nuper excitata à viris doctissimis felicissiméque exculta, tantúmque habet lumen litterarum elegantiorum, ut de quæstionibus perobscuris et perdifficilibus copiosè jam ornatéque scribere multi soleant. Quin Philosophorum, qui maximo acumine et subtilitate præditi familias quisque suas olim duxerunt, eorum luminibus videtur obstruxisse posteriorum quasi exaggerata altiùs Oratio.[1]

[1] Brutus p. 140.

Difficile est sanè enumerare, quot inter Scotos Philosophi paucis antè annis exstiterint, quanta iidem scientia fuerint, quantáque in suis studiis varietate et copia. Neque enim una in re separatim elaborârunt, sed omnia, quæcunque poterant, vel pervestigatione mentis humanæ, vel disserendi ratione comprehenderunt. Horum itaque sub auspiciis doctrinarum illud divortium,[2] quod est Socrate quondam auctore factum, in desuetudinem paulatim abibit, renovabitúrque illa, quæ veteribus perplacuit, dicendi et intelligendi societas. Profectò hæ sunt, artium optimarum nunc discordantium inter se et divulsarum, nunc amicè conjurantium, quasi conversiones. Hoc illud est, quod à Cicerone [3] dicitur, " ubi perspecta vis sit rationis ejus qua " causæ rerum atque exitus cognoscantur, mirum quendam " omnium tanquam consensum doctrinarum concentúmque " reperiri." Huc etiam tendunt animorum illi motus et concertationes jucundissimæ ingeniorum, quibus Scotia jam omnis in Philosophia excolenda fervet, ut ita dicam, ac tumultuatur. Philosophis autem ipsis consultum erit pulcherrimè, cùm ex argutiarum angulis et verborum angustiis, in quas diu sunt immeritóque conclusi, poterunt se penitùs expedire: poterunt è gyro exiguo in quendam ingentem descendere immensúmque campum: poterunt vires

[2] Lib. 3. pag. 126.

[3] De Orat: l. 3. p. 124.

vires fuas explicare et excutere totas. Enimverò quicquid ab illis fcriptum fuerit, nulla unquam ætas delebit. Quam Bellendenus et Critonus experti funt fortunam, illa neutiquam vel in Smithii fcriptis, vel Humii, vel Reidii, vel Beatteii, trifti clade iterabitur.

Laborum qui me diu conftrictum tenuerunt, eorum intercapedinem omnem impendere foleo in libris Græcis Latinífque evolvendis. Quare veniam mihi candidus lector facilè dabit, fi verba aut fententias, quæ mihi inter legendum arriferint, præfationis hujufce in ufus identidem tranftulerim. Qui enim Bellendeni hoc opus è tenebris eripiendum effe ftatuiffem, mihi ipfi ftatuebam id licere facere, quod ab eo viderem multò fæpiùs effe multóque folertiùs factitatum.

Locos infigniores, qui occurrerint in fcriptoribus, quorum fæpè verbis difertis, fæpè totis fententiis, ex profeffo ufus fim, in margine notandos putavi: idque ea mente feci, non ut illa, quæ lectitâffem, pueriliter et ineptè oftentarem, fed, ut Bellendeni fidem diligentiámque fequerer, et confilii, quo multa laudaverim, vis omnis ac ratio penitùs perfpicerentur. At fi qui funt, quibus propofitum illud meum minùs probare poffim, eorum captiunculis et fannis occurrere à vitio propiùs foret, quàm à laude.

Imitatio veterum, qualis tandem effe debeat, non eft noftrum dijudicare. Suus eft cuique in hac re guftus, fuum etiam judicium. Verbis ferè omnibus, modò perfpicua et apta fint, in Latinè fcribendo locum effe crediderim. Neque enim folæ phrafes, aut [1] fola vocabula, fed totius orationis habitus colórque potiffimùm fpectandi funt. Habeat igitur, per me licet, ipfa morofitas aliquid tum excufationis tum etiam laudis, in μελετήμασι concinnandis. Hujufmodi autem in opufculis, arbitror parùm referre, utrùm fcriptores, è quibus verba petita fint, aurea, an argentea in ætate

[1] Vide Scheller. Append.

ætate Linguæ Latinæ floruerint. Quicquid rei cuique, quæ tractanda ſit, maximè conveniens fuerit, id demum mihi videtur optimum. Aliorum verò, ſive obſcuram in verbis conquirendis diligentiam et περιεργίαν, ſive aurium ſenſum faſtidioſum et propè κακόζηλον, is ſanè ego ſum, qui neque acriter improbandum, neque arctè et ambitioſè ſequendum eſſe ſtatuam. " Aurea ex ætate, inquit [1] Cellarius, cùm " pauci ſcriptores ad noſtra tempora pervenerint, nimis " pauper Latinitas eſſet, ſi nihil approbandum ſit, quod " è Cicerone aut æquali non habeamus. Altera quoque " ætas, quæ argentea dicitur, ſubvenire nobis debet, " nova verba, non minùs eleganter tamen, et ſuffragio po- " puli Romani formata ſuperaddit."

[1] Cellarii curæ poſteriores. pag. 93.

Quòd textum, et marginem, et alia iſtiuſmodi verba ſine ulla præfatiuncula uſurpavi, id ne bilem moveat inter eos, qui limatulum præ cæteris et politulum habere judicium ſibi videantur—Sed quorſùm hæc tam ſeria tantula in cauſa? quia profectò nodum hiſce in ſcirpis quærunt homines naſutuli ac maligni, ea cùm ignorent, quæ ſubtiliter de his cavillationibus et eruditè ab Henrico Stephano diſputata ſunt. Rem vir ille doctus et ingenioſus huc deduxit: " [2] nimiùm ſanè fuerint delicatæ aures, quæ talia voca- " bula ferre non poterunt, quum præſertim alia deſint."

[2] Pſeudo Cicer. pag. 96.

Latinis Græca verba ſi miſcui, ſciat lector me id feciſſe, non quò ſermonem fore concinniorem intelligerem, nedum quod difficile et mirum illud putarem, quod contingere cuipiam poſſit, qui litteras haſce modò à limine ſalutârit. Rem quam in animo habebam, ſæpè acu tangere ea, quæ legeram, videbantur. Sæpè ſperabam, quæ à Græcis elegantiſſimè ſcripta eſſent, ea me poſſe non tanquam purpureos pannos orationi meæ aſſuere, ſed veluti emblematis [3] vermiculatis eandem diſtinguere et illuminare. An verò dubitamus, quin lectoribus Græcè ſcientibus, Græca verba qualia

[3] Cicer. de Orat. lib 3. p 133.

qualia in ſcriptoribus ſuis reperiantur, Latinè iiſdem converſis gratiora ſint futura?

Num quis miratur, quid cauſa fuerit, quare juveni cuidam præclaro Græcum nomen impoſuerim? Equidem in hac re ſecutus ſum exemplum [1] Nicolai Heinſii, qui in Epiſtolis ad Gronovium ſcriptis Gevartium, quem contumeliæ cauſa nominatum apertè nollet, τὸν δεῖνα vocitabat.

[1] Vid. Burman. Syllog. Vol. 3. p. 138. & 183.

Jam verò illud abſit, ut quivis ſuſpicetur, me in iis, quæ vel de meo depromſerim, vel à Bellendeno ſcripta ediderim, velle ad populum provocare. Nullus ſanè dubito placiturum eſſe vacuis et eruditis auribus Bellendeni opus: quod tamen, committere nolim, ut manibus unquam ſordeſcat eorum, qui in rebus quotidianis et vernaculis garrulam ſuæ infantiæ diſciplinam produnt, "Volſcé-" "que et Oſcè fabulantur, cùm Latinè neſciant." [2]

[2] Titinius in Quinto.

Animo equidem toto ad illud conniſus ſum, ut Bellendeni fama radices ageret altiſſimè. Quamobrem, ea ſi diſſeminetur, quàm latiſſimè fieri poſſit, inter homines harum deliciarum ſtudioſos, non officio ſolùm meo ipſe cumulatiſſimè ſatisfeciſſe, verùm etiam voti mei eſſe videbor omninò compos.

Molem hujuſce Voluminis auget Præfatio, ita tamen, ut emtoribus in re pecuniaria non ſit oneri. Ne cogitaveram quidem de ea ſcribenda, antequam inter me et Typographum conveniſſet de omnibus operis imprimendi inſtrumentis, de Figuris Æneis, atque adeò de pretio quod imponi libro deberet. Sub finem Octobris, quicquid de Bellendeno compertum habueram, chartis meis illevi. Aure verò jam tum fervebam vaporata [3] à libris hiſce legendis, ſiquidem multa in illis uberrimè et graviſſimè de rebus Politicis diſputentur. Plurima autem, ut inter ſcribendum ſit, ad Rempublicam noſtram pertinentia in mentem venerunt, quæ temperare mihi non potui, quin ſtylo ſignarem. Ita accidit, ut, qui inſtitui cœpiſſet urceus, tandem aliquando

[3] Pers Sat. 1.

aliquando amphora exierit. Recte, an secùs, fecerim, cùm aleæ plenum periculosæ argumentum consultò tractarem, mea parùm refert, dum Bellendenus, veluti quodam postliminii jure, in civitatem restituatur.

Vale L. B. et nostros hosce in Bellendeno edendo labores, qui te delectare quidem, aut etiam tibi prodesse possint, æqui boni consulas.

F I N I S.

Dabam Londini Calend. Maii.
A. D. 1787.

CORRIGENDA IN PRÆFAT:

Pag. 7. lin. 24. *pro* fortuna, *lege* graviſſima calamitate.
P. 15. l. 25. *pro* tum, *lege* tunc.
P. 20. l. 12. *pro* conatus ipſius, *lege* ſui ipſius conatus.
P. 23. l. 9. *pro* elucere, *lege* eluxiſſe.
P. 24. l. 2. *pro* verbulum, *lege* verbum.
P. 25. l. 2. *pro* quæ dixi, *lege* de quibus hactenùs dixi.
P. 30. l. 19. *pro* Ego verò trutina, *lege* Trutina verò.
P. 35. l. 1. *pro* et, *lege* ei.
P. 40. l. 21. *pro* tum, *lege* tunc.
P. 42. l. 13. *pro* quæ dicitur, *lege* quod aiunt.
P. 51. l. 4. *pro* habet illa quidem, *lege* habent illæ quidem.
P. 52. l. 24. *pro* faceret, *lege* faciat.
P. 52. l. 26. *poſt* "Regem" *pone* comma.
P. 61. l. 31. *pro* poſſet, *lege* poſſit.
P. 62. l. 7. *dele* propter.
P. 68. l. 7. *pro* nihil eorum uterque exploratum habuit, *lege* uterque eorum parùm explorati habuit.
P. 75. l. 19. *pro* quàm latiſſimè fieri poſſit, *lege* quàm fieri poſſit, latiſſimè,

Bellendenus in fine edit: ſuæ trium de Statu librorum ſic ſcribit.

" *Sciat Lector, notam Ap. in marginibus poſitam deſignare applicationem.*"

" *Erratum etiam in numero XVI. repetito in ſequenti.*"

Illud nos erratum in textu quidem correximus. Numeros autem marginales non mutavimus: unde factum eſt, ut eorum ſinguli, qui XVI. exceſſerint, unione (ut ita dicamus) juſto minores ſint. E. G. pag. 50. ubi legitur, " v. cap. 24." " nu. 44. 45." intelligendum eſt cap. edit. noſt. 25.

G. BELLENDENI
MAGISTRI SUPPLICUM
LIBELLORUM AUGUSTI
REGIS Magnæ Britanniæ, &c.
TRACTATUS
De Proceſſu, & Scriptoribus Rei Politicæ.

HUMANUS animus ex ſe purus, ſimplex, immortalis, & quaſi divinæ naturæ particeps, vi & natura ſua promta, celeri, expedita, admirabiliter ſe injicit, atque intendit in immenſum: omnia penetrat, ambit, inveſtigat: æterna meditatur, & concupiſcit: ac, licet ſit finitus, partem capit nullam quietis, niſi in infinito: quod ipſum Numen eſt divinum, in quo ſolo, tentatis rebus omnibus, acquieſcit. Sed in domicilio habitans craſſo, terreno, humili, contaminari cùm ſe patitur, & deprimi materiei, qua cingitur contagione, pravóque impulſu ſenſuum, ab excellentia ſua diſcedit, dilabitur ad abjecta, &

Acclinis falſis meliora recuſat.

Nam cùm corporata ſenſus moveant, & quæ cient, & cientur, in eiſdem conſiſtant: illa, principiis ſuffuſa æternitati contrariis, ad res objectas ſpecie pulchras, laudabiles, oblectantes ſe convertunt, & eodem ſecum trahunt animos, pulſu viſionum è ſenſibus fluentium. Hinc motus averſi à natura, ab æternitate, à ratione, &

Edulcare placet vitam,
Curáſque acerbas ſenſibus gubernare.

Hinc animi à ſuis decepti nunciis, ab infinita æternáque natura abducti, in re mutabili hærent, laborant, occupantur;

atque errantes & illusi, vel secum discordant, vel languescunt, vel motus habent intemperantes. Quales tum præcipuè cient, cùm ad res fluxas, quæ titillant, & delectant maximè, feruntur, quasi ad perennes: aut effrenati incitantur ad commovenda præsidia utilitatis humanæ, vitæque communis. Quod genus motionum, ut est perniciosissimum, ita his opposita à veteribus propugnacula quietis & otii, in bonis sunt ducenda summis: ut naturæ accommodata maximè, & se attollentia ad omnia providentem, & regentem Deum: ejúsque imitantia bonitatem erga universum genus hominum. Et verò, hæc ad divina cùm accederent, & à priscis manarent: qui, quo propiùs aberant ab ortu, hoc melius, quæ erant tenenda, cernebant: posteriorum error, qui ad impietatem incubuerat, & beneficiis virorum excellentium tribuerat cælestia, illis nomina affinxit, & Numina Deorum. Imò, ut fabula fabulam pepererat, invasit in quorundam animos opinio, initia vitæ atque victus: legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla, quæ nepotibus sunt ascribenda Noë, hominibus & civitatibus à Cerere & Libero, quas pro Divis habuerant, data ac dispertita fuisse. Intereà, etsi pietatem vinceret impietas, & in immoderata licentia fingendi, scribendíque, antiqui ferè omnes, præter Hebræos, (apud hos enim vetita erant simulacra, nec cuivis permissum scribere) somnia pro religionibus exciperent, ac multa cumularent nefariis: cessit tamen in multis humanitati barbaries: atque ab illis initiis progressum est ad majora. quæ post Mosem tentârunt scriptis primi Phœnices, Ægyptii, & Chaldei apud Babylonios Phœniceis usi litteris. Seriùs Græci, qui diu sub regibus, sine ipso legum nomine; tandem à Draconte ex Phœnicibus scriptas acceperunt leges, consulta à Philosophis: qui tunc politici appellati, à Rebuspublicis nomen habuêre: post à loco, vel auctore, cùm dissociati à disertis, his iter reliquerant ad Remp. de qua nunquam idem Græci: cùm à variis variæ adumbratæ fuerint Rerump. & Regnorum formæ: ut ab Hippodamo, Phalea, Sthenida, Diotogene, Ecphanta, Platone, Speusippo, Aristotele, Theophrasto, Demetrio: ab aliis

leges

leges scriptæ populis: ut à Zaleuco Locris, à Charonda suis civibus & Chalcidicis in Italia, Siciliáque, ab Api Argivis, à Mnesoe Phocensibus, à Minoe Cretensibus, à Phidone Corinthiis, ab Ádromada Chalcidensibus in Thracia, à Demonacte Cyrensibus, à Pagunda Achæis, à Nestore Pyliis, ab Archia Gnidiis, ab Eudoxo Milesiis, à Pittaco Mitylenensibus, à Draconte & Clisthene Athenienfibus, à Philolao Thebanis: ab aliis Resp. atque Imperia constituta: ut à Solone Atheniensium, à Lycurgo Lacedæmoniorum Respublica. Quibus tamen laus danda est, quòd planè, & sine pigmentis comprehenderint omnia, quæ ad consuetudinem vitæ, & usum civium pertinerent. Nam (ut ait noster) qui jura, qui leges, qui civitates constituerunt, locuti sunt simpliciter & splendidè, sine ulla serie disputationum, & sine jejuna concertatione verborum: id modò spectantes, ut fundamenta ponerentur tranquillitatis, atque pacis: atque ut vincula conjunctionis humanæ revulsa motibus, soluta casibus, mutationibus abrupta, concussa & tremefacta vi, firmarentur, juvarentúrque consiliis, quæ spectarent futurum omne tempus humanæ societatis. Qui in his elaborârunt usu, studio, & scriptis, ex Hebræis habemus Mosem: è Græcis, qui exstet, nullum, nisi exceperis Xenophontem, aut fragmenta paucula scriptionum Solonis, Charondæ, Zaleuci: cùm tamen, qui utraque re excelleret, ut, & doctrinæ studiis, & regenda civitate princeps esset, non alium Cicero putavit facilè inveniri posse, quàm Phalereum illum Demetrium: qui doctrinam ex umbraculis eruditorum in solem aciémque produxerat. Itaque in hoc genere non pono Græcorum in scribendo principes Platonem, Aristotelem, Theophrastum: ne alios memorem imitatores Hippodami, qui primus ex iis, qui Remp. non administrârunt, cœpit de Rep. scribere. Ex Latinis præter Ciceronem reperies neminem. Is in Rep. versatus, valens ingenio, usu, & doctrina scripsit de Rep. libros sex, de legibus quinque. Prætereà gravem Epistolam ad Q. fratrem ingenio dignam civili: aliam ad Cæsarem. meditabatur etiam κοινότερα *quædam, et* πολιτικώτερα *ad Dolabellam: & hæc consilio Attici. At eorum fortè exemplo*

 qui

qui suasionibus Alexandrum incensum cupiditate gloriæ, cupientem aliquid sibi consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortabantur ad decus. Sed illa ad Cæsarem non pervenerat, nec prodiit in lucem, quòd Hircio, Balbo, Oppio Cæsarianis non placeret: nec etiam ἀνέκδοτα, quæ post mortem scripsit Cæsaris Theopompino, ut aiebat, genere, aut etiam asperiori multò. Asconius etiam refert eum scripsisse librum quem nominavit Expositionem consiliorum suorum: & Dion alium, quem vocat βίβλιον ἀποῤῥήτων. Quæ volumina si exstarent, varia detegerent arcana Status, altáque studia virorum principum illius, et forsan superioris ævi, magni digna lectione principis, & gravissimi cujusque Senatoris moderatorísque Reip. Cætera etiam hujus generis, præter tres libros mutilos de legibus, et epistolam ad fratrem interciderunt. In iis tamen scriptis, quæ ad posteritatem transmissa sunt, sparsa remanent vestigia plurima antiquitatis, historiæ, legum, disciplinæ, status Reip. Rom. quæ in ordinem confecta annorum IↃCCX. *fiximus in libros* XVI. *lucem expectantes. Intereà exit ab his PRINCEPS, eodem elaboratus studio, & stilo: ac confirmatione non ita veteris memoriæ, ut sit aliena ab usu nostræ ætatis: nisi me fallant asperis decursa temporibus, et observatio variorum in his casuum: ac simul experientia, ad quam navata in mandatis suæ majestatis opera me sæpè excitavit. Principem secutus est CONSUL, SENATOR, SENATUSQUE ROM. ut effigiem exprimeremus Reip. atque urbis imperantis orbi, suis nunc erectæ, nunc oppressæ viribus. Sunt in hoc scriptore multa de administratione urbana et provinciali Rom. plura ab his remota: quæ, ut Enniana, in una re posita, ad multas transferri possunt. Horum nonnulla, per me ad usum accommodata Reip. & cum illis sociata nexáque meis, ac simul omnia in capita civilis congesta disciplinæ, non offendent gnarum, quò pertineant, & quam intueantur artem, atque prudentiam. Alii, quibus sunt stirpes altæ suarum opinionum, suos habituri sunt amores, sua judicia: quorum neque accessione illustriora, neque decessione ignobiliora ista sunt futura. Ut verò placeant iis, quibus me, meáque omnia probare debeo.*

Hoc votum nostri summa laboris habet.


SEPTA ROSIS
LILIA IVNCTA
LILIA
ROSIS
SIC FIRMAT
ET ORNAT

CAROLI PRIMI

ET HENRICÆ MARIÆ,

REGIS ET REGINÆ

Magnæ Britanniæ, &c.

EPITHALAMIUM.

ET

IN IPSAS AUGUSTISSIMAS

NUPTIAS, CELEBERRIMAMQUE

Legationem earum causâ obitam, &c.

PANEGYRICUM CARMEN, ET ELOGIA.

Per GULIELMUM BELLENDENUM

Magiſtrum ſupplicum libellorum

AUGUSTI REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ, &c.

PARISIIS.

Apud GODOFRIDUM CORDIER, in deambulatione Palatii, juxta incarceratos.

M. DC. XXV.

CAROLI PRIMI ET HENRICÆ MARIÆ, REGIS & Reginæ Magnæ Britanniæ, &c.

EPITHALAMIUM.

CUNCTA tument gemmis, radiis obverſa benigni
Syderis; exſurgunt Lilia ſepta Roſis.
Influit humanas res vis cæleſtis in omnes:
Et potior claros tollit in alta viros.
Erigit ac ornat, fauſtis dominantibus aſtris,
Quos ſuper irradiat luminis aura ſui.
Et quos ipſe rigat cæleſtis ros, velut imber
Flores, quos ardens ſiccat et urit humus.
Conſulit Imperiis, curas ante omnia confert
In Reges, Regum progeniémque ſacram.
Has ros et radii, ſimul exſurgentia ſignant
Lilia, et albentes purpureæque Roſæ.
Immenſum peragrat, rorat, radiátque per orbem:
Ut rerum omne creet, continuétque genus.
Perpetuat Regale genus, quum ex ſanguine Regum
Ipſorum, jungit cum pare quémque ſuâ.
Sic decorat Reges: et, quæ illis gloria magna eſt,
Fama et progenies, ſic ſine labe manent.
Symbola ſunt horum, Regalia ſtemmata juncta,
Conjecta in ſortes Regia vota pares.
Angelicâ veluti ſignantur imagine, dextram
Quæ jungit dextræ, et Lilia utríque Roſæ.
Hinc, Sacra progenies, *partitis floribus Orbis:*
Sors tua, odoriferis Lilia juncta Roſis.
Una duûm ſors, unus amor, laus una perennis:
Lilia ſepta Roſis, Lilia juncta Roſis.

Sit vena tua benedicta, et lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. *Proverb.* 5.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſraël. *Pſalm.* 127.

IN AUGUSTISSIMAS NUPTIAS CAROLI PRIMI ET HENRICÆ MARIÆ, REGIS & Reginæ Magnæ Britanniæ, &c.

ET

IN CELEBERRIMAM LEGATIONEM

extraordinarium, eâ de causâ dignissimè obitam ab Illustrissimis Dominis, Domino D. JACOBO DE HAY, Comite de Carlile, Equite celsissimi ordinis Periscelidis, &c. Atque à Domino D. HENRICO LE RICHE, Comite de Hollande, Prætorianis Præfecto, &c.

PANEGYRICUM CARMEN, ET ELOGIA.

CONJUGIO HENRICUS stabili simul uniit antè
Albentem faustè, purpureámque Rosam.
Conjugio stabili, nunc faustè CAROLUS unit
Lilia, et albentem purpureámque Rosam.
Non satis hæc thalamis, sceptris divortia pulsa,
Ni nexu, solvi non metuente, forent.
Nam scelus ausuri, si nil conatibus obstet:
Regna infestabunt motibus assiduis.
Et jus prætexens, sub imagine juris, et umbrâ,
Regibus et populis perniciosa struet.
Hæc placuit patribus metuenda avertere, sacris
Nexibus Imperii, nexibus obsequii.
Augustè HENRICUS patrum sapientibus usus
Consiliis, arctè nexit utrámque Rosam.
CAROLUS augustè pariter sapientibus usus
Consiliis, nectit Lilia, Serta, Rosas.
Ipsa simul Tria serta *ornat, clarissima avorum*
Atque patris decorum symbola, et imperii.
Hinc placidè HENRICUS, sceptri de jure Britannos
Firmavit dubios, pace perennè suos.

CARO-

CAROLUS hinc placidè illa tria, et ſocialia ſceptra
Firmat, et hoc ſacro fœdere, pace beat.
Miſſis magnificè hæc ſunt oratoribus acta :
Et fluit ad miſſos, inde perenne decus.
Adduntur titulis tituli, et nova ſtemmata priſcis :
Ac meritis dantur præmia ſumma novis.
His variè ornantur, licet ornatiſſima, celſa,
Clara utriuſque domus nobilitate ſua eſt.
Quæ facere evaluit digna, acceptiſſima magnis :
Reddere ſe acceptam Regibus inde ſuis.
Venit enim à meritis, merita à virtutibus ipſis :
A tribus his mixtis, ſplendor et omne decus.
Quid mirere novis ipſos ſplendoribus auctos,
Luminibus ſplendent, qui tribus hiſce ſuis ?
Bellica adornavit virtus, è ſanguine primos :
Et belli titulis fortia facta novis.
Extulit hæc natos natorum, et honoribus auxit :
Atque dedit meritis nomina digna ſuis.
Iſta Caledonii, ac Angli meminere, ſuarum
Scriptores claris gentium in hiſtoriis.
Deſignare brevi, ſatis hîc eſt, quî ſibi dignè
Perſonam impoſitam ſuſtinuêre ſacram.
Sunt laute immenſis, largíſque paratibus uſi,
Et cultu, formâ conveniente, gravi.
Spectati, quo ierant, comitum velut agmine, ſepti :
Vota impleverunt Principis alta ſui.
Nemo non celebri dignos cenſebat honore :
Favit et ipſorum laudibus emeritis.
Quas peperit virtus, ornavit gratia rara,
Hoc auxit geſto munere partus honor.
Sic etenim quæſitus honos, laus, nomina magna,
Debita ſunt meritis ; debita ſunt titulis.
Nam faciunt, qui ſacra obeunt hæc munera miſſi,
Quod miſſus Raphael, Nuncius Angelicus.

GULIELMI BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM

Augufti Regis Magnæ Britanniæ, &c.

DE STATU *liber primus, infcriptus*

DE STATU PRISCI ORBIS in Religione, Re politica, & Litteris.

Ad Sereniffimum Principem CAROLUM PRINCIPEM SCOTIÆ ET WALLIÆ.

Non potest animum piè dolentem à solicitudine avertere, nisi aut ratio, aut honesta occupatio.

PRINCIPI MAGNANIMO, OPTIMO,

SERENISSIMO CAROLO

Principi Scotiæ & Walliæ.

G. BELLENDENUS, S.

MAGNA æterno Numini habenda eſt gratia, PRINCEPS MAGNANIME, juréque lætandum populis Britannici Imperii, quòd ad omnia ſumma & magno digna principe erudiaris: eáque jam ſis ætate, animo, & viribus, ut velis, & poſſis, quam tui concitâſti opinionem ſuſtinere: & cum ipſa expectatione, quam tibi clara nomina & decora alta parentum gravem parârunt adverſariam, ita contendere, ut palmam ſis laturus plurimam. Quæ ſanè licet multi futura ſit ſudoris, velut omnis, quæ immenſo paratur curſu gloria: tamen non erit adeò tibi difficilis accenſo tanti contemplatione parentis, atque imitatione avorum omni genere laudis excellentium. Horum enim, quocunque te vertes, occurrent, quæ altum inflammabunt animum fortia facta, raræ virtutes, honeſta conſilia, benè regnandi artes. quas illi ad conſtituenda firmandáque tria, quæ nunc uni Auguſto tranquillè parent Imperia, tenuerunt aptiſſimas. In quibus principem reperies à te colendam, quam omnes præclarè imperantes noverant, artem imperandi, imò & parendi. Si quidem oportet imperantem, necnon eum, qui, ut aliquando imperet dignus haberi vult & eſſe, omninò tenere quomodò ſit imperandum, quæ exercenda in populos imperia: quomodò parendum, quæ præſtanda obſequia: ut ſciat ratione & conſilio populos regere, Imperia temperare, moderari ſibi, tranquillare animos, ſummam rerum gubernare.

nare. Quorum & ſimul omnium, quæ ad humanam vitam pertinent, adminiſtra eſt prudentia: quæ in ſuis domeſtica, in iis quæ ſunt communis vitæ moralis, in publicis civilis appellatur: & hoc clara nomine, multis clara muneribus, tanquam magiſtra officiorum vitæ, gubernatrix Regnorum, Principatuum, Rerump. æternitatem imitando humano conſulit generi, res parat ad vivendum neceſſarias: vitæ civilis munit viam præſidiis, adminiculis, legibúſque expreſſis ad illam omnium antiquiſſimam cuncta providentis Dei. Quo certè opere nullum eſt in natura præſtantius, magis neceſſarium, æternóque ſimilius: aut in quo reperitur verius illud Platonis: Qui aliquod munus efficere molitur, ſi eam ſpeciem, quæ ſemper eſt eadem, intuebitur, præclarum opus efficiat, neceſſe eſt: ſin autem illam, quæ gignitur, nunquam illam, quam expetet, perfectionem aſſequetur. Hinc Status Regnorum & Rerump. firmus aut inſtabilis, brevis aut diuturnus: prout ad hanc aut illam exprimitur imaginem, vel expreſſam retinet in rebus adminiſtrandis. Quod omnibus contigiſſe ſeculis animadvertes, cùm orbem velis circumſpicere, ac lucem intueri purioris antiquitatis. In qua varia, diverſa, multiplex incurret in oculos effigies. at raró illa eminens, ſæpiſſimè adumbrata: quòd vita ſemper humana ad umbras fuerit conſectandas, quàm ad veritatem ſuſcipiendam, retinendámque proclivior. Hujus ego Statum in origine obſcurum, in forma vagum, in curſu volubilem, in progreſſu inconſtantem, ut repræſentarem: lineamenta ejus perquiſivi vetera, & conjeci in libellum, quem inſcriptum De Statu Prisci Orbis, &c. ad te mitto, obſervantis teſtem animi, atque indicem fontium, unde manârunt primæ mortalium rationes civilis vitæ, conſilia, ſtudia, & inſtituta prudentiæ: quæ ætatibus his illis nata, creſcentia, aucta, tanquam rivis flumina, in mare influxerunt actionum humanarum hiſtoriam. Ex qua rerum effluit maximarum notio, uſus, experientia: graviſſima quæque libantur Regum & populorum conſilia, acta, controverſiæ, bella,

bella, legationes, fœdera: cuncta denique magna & memoria digna, quæ in vulgari prudentia ſita non ſunt, nec ullis præceptis aperiri poterunt: & tamen quaſi meditata claris viris in perpetuum ad omnem uſum ſimilium rerum eſſe debebunt. atque in primis abs iis teneri, quæ accuratè explicari à ſcriptore vult Cicero, quid in conſiliis probatum, aut reprehenſum: quid in rebus geſtis actum, dictum, & quomodo: quis fuerit eventus, quæ ejus cauſæ, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis: hominúmque ipſorum non ſolùm res geſtæ, ſed etiam, qui fama ac nomine excelluit cujuſque vita ac natura. Hæc veteres quique ampliſſimi obſervârunt: huc incubuerunt: ac tenenda in rebus gerendis, ex hiſtoria repetentes, judicia mentéſque ſuas, non tantùm præceptis, ſed uſu, exemplis, & ipſa cogitatione virorum principum, necnon eorum egregiis conſiliis, atque factis conformârunt. Quod, ut omittam Reges, ac publici conſilii auctores plurimarum gentium, ipſe Imperator Auguſtus ſic uſurpavit ac retinuit, ut acta in Rep. & Imperio exſcripſerit, ſequendáque miſerit in provincias conſulentibus. Nec aliò reſpexit Imperator Theodoſius, cùm illa Honorii filii inculcaret auribus, ad quæ non dubito te tuas admovere: Antiquos evolve duces: & quæ mox imitere legas. Hæ fuerant Cyri, Alexandri Magni, Scipionum, Cæſarum in otio & negotio exercitationes: Hæc incitamenta gloriæ: hæc prima animorum curricula, virtutum, humanitatis, & honoris ſummi ſpatia. Quibus reperientur (ut ſpero) conſentanea, quæ ex voto ſuſcepto, quod nunquam negligetur, pergo conſecrare monumenta animi: qui ſe Regi maximo, optimo, beneficentiſſimo, parenti tuo cariſſimo, dulciſſimíſque ejus liberis in perpetuum ſerviendo obligavit. Vale. Kal. Aug. M.DC.XV. Pariſiis.

EDMUNDO BURKE

Viro, tum ob doctrinam multiplicem & exquisitam,

tum ob celeres illos ingenii motus,

Qui & ad excogitandum acuti, & ad explicandum

ornandumque uberes sunt,

Eximio ac præclaro:

Optime de Litteris, quas solas esse omnium temporum

omniumque locorum expertus vidit;

Optime de Senatu, cujus periclitantis

Ipse Decus et Columen fuit:

Optime de Patria, in Cives

sui amantissimos, eheu! ingrata,

nunquam non promerito,

Librum huncce ea, qua par est, Observantia.

D. D. D.

A. E. A. O.



J. Jones fecit.

"Hunc tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus."

Publish'd as the Act directs, Feby 5.th 1787, by J. Jones, N.º 63, Great Portland Street.

INDEX TITULORUM

LIBRI PRIMI.

Gentiles

GULIELMI BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM

Augusti Regis Magnæ Britanniæ, &c.

De Statu *Liber primus, inscriptus* De Statu prisci Orbis in Religione, Re politica, & Litteris.

De Abditis rerum Originibus : primo Statu mortalium ante eluvionem.

CAP. I.

ACTARUM in orbe rerum antè & illicò post diluvium memoria, tam est jejuna, exilis, & concisa, tantísque operta velis & involucris ævi remotissimi : ut difficile sit aperire, quæ in tam diuturna obscuritate latuerunt, atque latent, occultata caligine antiquitatis reconditæ, abstrusæ, involutæ. Nam, non nisi strictim et breviter hæc enarrat, & percurrit Moses : ac veterem, quem in his sequamur alium, non habemus. Antiquioris verò, qui scripserit, ne nomen quidem monumento expressum fideli. Commemorantur à veteribus Enoch & Noë scripta : quæ (inquit Augustinus) ut apud Judæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proderentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse

 dicuntur

dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim, quod volunt, credunt. Sed ea caſtitas canonis non recepit: non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, ſed quòd iſta non credantur eſſe ipſorum. Citantur etiam in Talmudicis & Caballiſticis ſcriptis Judæorum, libri Enoch & Abrahæ: ſed ab his tenebricoſis lux expectanda non eſt, nec etiam à Græcis. Illi ſuis myſteriis obducunt omnia, hi judicio eruditorum, majori honore in omnibus verſantur diſciplinis, necnon in verborum ſtructura & acumine, quàm in veteri rerum memoria: atque, ut obſervavit Africanus, nihil exploratum in eorum hiſtoria invenitur ante Olympiadas, ſed omnia confuſis ſcripta temporibus. Commendatur à Joſepho Beroſus, quòd antiquiſſimas ſecutus hiſtorias ſcripſerit de arca, de diluvio, de Noë poſteris, & horum tempora perſecutus ſit uſque ad Nabulaſſarum, Babylonis & Chaldæorum regem. Commemorantur et alii, nimirum Manethon, Mocus, Eſtius, Hyeronimus Ægyptius, Iſidorus, Hecatæus, Hellanicus, Accuſilaus. Sed hæc exceperunt fictis ſic admiſta fabulis, & commentis aucta Poëtarum: ut etiamſi, quæ periere, exſtarent, à Moſe decedens, certa non reperiret tantæ antiquitatis veſtigia. Perquirenti igitur mihi in jejuna antiquitate, & cæcis mundi primordiis, rerum auguſtarum origines, ſi non occurrant certæ, & minus quod exquiro conſequar: ut ab initiis ducta unaquaque re, tota dilucidè et planè progreſſio conſtet, atque obſcuritate involuta temporum aperiantur omnia: haud ſanè erit mirum; et alii, qui ea evolvere non poterunt, contenti eſſe debebunt, ſi veriſimilia ponantur, nec ultrà requirere, ſi certiora non afferant. Ego tamen de his non conſtituo, quæ Plato et alii diſſerentes de natura Deorum & ortu mundi, cùm in hæc non incurrant eorum illud: Nullius rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt. Nam cauſas non quæro, ſed tempora et auctores

auctores rerum. in quibus, cùm negligenti esse non liceat, nec etiam curioso nimis in remotissimis à cognitione mortalium, sufficiat quod licet, & liceat quod sufficit: ut à tenebris primæ memoriæ convertamus animum ad lucem, quam porrigunt ejus indicia. Istam verò qui respexerit, non cunctabitur profiteri hæc, quæ investigamus, referenda esse ad cœtus hominum atque tempora, quæ illa præcesserant infausta, misera, infelicia, quibus aqua universum orbem inundavit. Nam impressa fuit in animo primi parentis, & abs eo communicata suis notio supremi Numinis, vitæque utilitatum omnium: impositáque, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est, cunctis rebus nomina: & divinus cultus, cujus comes est civilis, publicè susceptus est. Enos enim cœperat invocare nomen Domini, id est, publicè & palàm adorare, ut Gen. 4. interpretantur eruditi. Ad hæc, civitates tum erant, quæ sine disciplina, nec constitui, nec regi potuerant: & hujusmodi fuit vivendi ratio, ætásque hominum, ut longa vita, usus rerum plurimarum, antiquitatis memoria, acceptáque à majoribus imperantis jussa Dei, potuerint eos erudire in omnibus, quæ ad vitam pertinerent humanam: cùm, ut observat D. Augustinus, qui minimùm vixit ante diluvium ad 753. annos pervenerit, plures nongentos transierint. Est verò in æterna laude posita maximè eorum memoria, qui ut posteris consulerent, eósque facerent participes, & quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium: quæ de his acceperant, ne eluvione perirent aut incendio, duabus inciderunt columnis, una lateritia, altera lapidea, quam sua adhuc ætate in Syria exstitisse scribit Josephus.

De ſecundo & tertio ſtatu mortalium: lapſu multiplici in religione & moribus: eluvione & confuſione linguarum: dominationum prima forma Regia, aut inſtar Regiæ.

CAP. II.

AT alia, eáque maxima pars mortalium ad libidinem & cædes prona, multis vitiis & ſceleribus depravata, de via quam habuit lege naturæ certam, & à Numine definitam, omninò deflexit. Hinc ultrices parentis almi iræ, & immerſus ab eo orbis, ut mortales deleret. In quibus omni diritate, flagitióque teterrimi fuêre, quos ſacræ litteræ gigantes nominant: iis perſimiles, quos Poëtæ ferunt bellum Diis immortalibus intuliſſe, id eſt, univerſæ repugnaſſe naturæ. Quorum ſcelera ſecuti alii, qui architectari & in cœlum uſque tollere turrim tentarunt Babylonicam, videntur aliam dediſſe Poëtis materiem transferendæ iſtius ad eandem fabulam hiſtoriæ, & divinum temerantes imperium plus illis humano nocuiſſe generi. Nam illorum flagitia ſui tantum ſeculi mortalibus offecerant, nec omnibus eodem modo: ſed ita, ut impii eluvione perierint: pii, excepto cum ſuis Noë, ultra centum viginti annos, qui diluvium præceſſerant, vitam non produxerint, decreto illo tremendo Numinis: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: erúntque dies illius centum viginti annorum. Hunc enim numerum D. Auguſtinus de centum viginti interpretatur annis, qui proximè anteceſſerant diluvium: Hieronimus de præfinito tempore ad agendam pœnitentiam: neuter, ut plerique de vita humana in centum viginti annos contracta. Poſ-

teriorum

teriorum temeritas ad infinitam posteritatem redundavit. Siquidem omnes omnium seculorum gentes pœnam illam sustinuerunt & sustinent, à qua linguarum profluxit dissimilitudo & varietas, quæ dirimit humani generis societatem, & hominem, ut ait D Augustinus, sic alienat ab homine, ut libentiùs homo sit cum cane suo, quàm cum homine, quem non intelligit, alieno. Ab altera tunc constituta pœna, quæ immutationem priscæ communis induxit linguæ: libera quidem fuit familia Heber, in qua sola hæc remansit, & abs Heber Hebræa dicta est: nec tamen omnes ex ea familia liberi: quia lingua vetus orbis non est ad cunctos transmissa ejus posteros (nedum ad alios, ut voluit Goropius, contendens Germanicam primam in orbe fuisse) sed ad eos solummodò, qui, ut ait D Augustinus propagati per Jacob insigniùs & eminentiùs in Dei populum coalescentes Dei testamenta & stirpem Christi habere potuerunt. Intereà nemo non videt hos etiam ipsos cum cæteris mortalibus pœnam, quæ à diversitate linguarum profecta est, pertulisse, & perferre. Ita primis jam mundi seculis à cultu Numinis recessum est, & impietas cum pietate certans superabat: & primùm in ea orbis parte, in qua profugus Cham consederat, abs eo Chananæa dicta, & posteri ejus Chananæi. quorum impietas latius serpens vicinos populos infecerat, & inde progressa est per orbem. Dominationum verò, si investigetur quæ orbe crescente forma fuerit, reperietur regia, aut quasi regia. Etenim cùm respecto vetera, cursúsque rerum, & ordinem sequor temporum, etsi expressa non reperiam dominationum principia, tamen in progressionibus reperio originum indices non obscuros, & antecessionum vestigia in antiquissimis impressa regnis: quæ acervata mihi persuadent primam in orbe cœptam, & ad posteros transmissam administrationis atque disciplinæ formam fuisse regiam, aut instar

regiæ. Inter indicia certa, quæ obſervo varia, præter univerſi Monarchiam, cujus ſimulacra regna ſunt, & naturæ vim, quæ ad perfectiora dirigit: occurrit Caïni principatus in civitate Henochia, inſtar regalis: potentia eorum, quos Moſes in Gen. ait potentes fuiſſe à ſeculo, & famoſos viros: Noë propago diſtincta familiis, conjunctionibus propinquorum ſociata, & orbe diviſo, terris aſſignatis, quaſi ordinibus diſpoſita ſtirpium: in quibus nemo non conjecerit principes familiæ præfuiſſe cæteris: item principatus Aſſur in Ninive aliiſque civitatibus, & ditioni ſuæ nomen abs eo datum Aſſyriæ: Regia dominatio Nembroth, & principium regni ejus in Babylone: Reges plures ibidem & in Aſſyria, Ægypto, Scythia, ante Abrahamum & Ninum: Nini regnantis in Aſſyria res geſtæ: Reges Sicyoniorum, Bactrianorum, Cretæ, Mediæ: Rex Salem Melchiſedech: Reges Sodomorum & finitimi: Abrahamus Rex dictus à Philone, & Nic. Damaſceno: Abimelech Rex Geraræ: duces in terra Edom, poſtea Reges; tres amici Job Eliphaz, Baldad, & Sophar Reges appellati à ſeptuaginta Interpretibus, & Ariſtæo in Judaica hiſtoria: omnes denique Provinciæ, in quas Joſuè introduxit Iſraëlitas adminiſtratæ per Reges: nulla iis, aut primis ſeculis memoria Reip. ut uſquequaque apparuerit illud Eccles. 17. In unamquamque gentem præpoſuit rectorem.

De primo statu Regum & Regnorum: præstantia tertia status mortalium, primi post divisum orbem: legibus, & disciplina civili.

CAP. III.

PROPHANI, & in his Aristoteles & Justinus, in notatione rerum insignium diligentes, suggerunt alia de prima regia, non solùm dominatione, sed etiam disciplina: qua reges suis erant contenti finibus, suis quisque mortalium bonis, nemo invaserat aliena. Et certè, si ullum fuit seculum, in quo res sic sunt constitutæ, ut nihil earum defuerit ulli, quas natura desiderat: & sic amputata omnia, ex quibus odia, discordiæ, contentiones, bella nascuntur: ut nulla cuiquam causa esse potuerit, aliorum incommodis sua commoda augere: omninò illud fuit, quo omnium consensu æquabilis partitio orbis facta est, & singulis utilitates traditæ, quibus possent cum suis benè, lautè, conjunctissimè vivere: sine cura, metu, ambitione esse, & finitas habere cupiditates. Easdem habuere, qui præerant, beatè vivendi causas, & fortasse præstantiores: nullo impediente populari metu, nec bello impediente, nec formidine insidiarum eos deterrente: cùm propinquis & volentibus imperarent, omnibúsque fruerentur bonis, quæ adversa obruerent, circumciderent errores, tranquillarent animos, vitæ et principatus statum, non modò præsentem firmarent, sed etiam ad spem erigerent temporis consequentis. Quis non dixerit hos fuisse, quos Aristoteles scribit heroïcis floruisse temporibus, voluntarios rexisse, res definitas tractâsse & præscriptas: sic administrâsse regna, ut duces essent belli, juris interpretes ac judices, necnon divini juris, sacrorúmque principes, cujusmodi fuit, & in sacra describitur pagina Melchisedech: ut opinione Senecæ, officium olim fuit imperare, non regnum: summáque felicitas gentium:

in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior, quum animo rector eligeretur. unde fabula aurei ſeculi, quo penes ſapientes fuiſſe regnum Poſſidonius judicavit. Quicquid ſit, poſt innovatum orbem, non modò repreſſa eſt confuſione linguarum temeritas turrim ædificantium, ſed impreſſa in animis, ut apparet, mortalium, agnitio Dei, notio ſui: & ab hujuſmodi initiis monitíſque ſapientium defluxêre in orbem mores, ad capienda præcepta molliores: temperata & exculta vita manſuetudine, humanitate, civilibus officiis, & actionibus virtuti congruentibus. A quibus ne recederetur, utque eſſet vita munitior, leges ſunt conditæ, tum certa juris forma, variis in provinciis. Nam, etſi datæ non fuerint divinitùs ante Moſem aliæ, quàm naturæ leges, niſi de abſtinentia, conjugio, & homicidio commemoratas, Gen. 2. & 9. exceperis, civilis tamen vita civiles vivendi flagitavit accepítque leges, & primis mundi ſeculis, & mox poſt renovatum ac diviſum orbem: ad minus ante Abrahami profectionem in Ægyptum. Siquidem, eò cum veniret, Ægyptios reperit de legibus diſſentientes: ejúſque ævo, Phoronæus Rex ſecundus Argivorum leges & judicia conſcripſiſſe traditur. Attamen, qui alii legum iſtiuſmodi veterum latores exſtiterint ante Moſem, aut quænam illæ fuerint, in nullo reperitur monumento vetuſtatis: ut non dubitemus cum Joſepho aſſerere, legem Moſaïcam omnes, quarum certa eſt memoria, præceſſiſſe. Obſcuræ quidem, ignotæque aliarum ſunt origines, ut rerum penè omnium: nec tamen dubitandum eſt, quin prima ſocietas humani generis, & quæ eam eſt conſecuta, qualiſcumque illa exſtiterit, per civilem ſit inita diſciplinam, ſive veram, ſive adumbratam: ut ſine ea, quam ipſis tyrannis, ut omninò neceſſariam, commendat Ariſtoteles, Caïn diſperſos non congregârit in unum, ut par fuit, locum, ad urbem Henoch conſtituendam: nec domiciliis junctis eos officiis ſociârit vitæ: nec illam rexerit, quam condidit civitatem; nec

Aſſur

Assur Ninevem, Chale & Rosen: nec Nembroth regnaverit in Babylone: nec alta Noë progenies orbem diviserit, gubernâritque terrarum.

De quarto Statu mortalium, secundo post divisum orbem: origine populi Hebraici: Abrahamo, Josepho, Mose, lege divina.

CAP. IV.

JAM verò renovati orbis incolæ didicerant de Deo & natura rerum, quæ disci potuerunt: & crebra auditione acceperant, de immanitate & flagitiis priorum mortalium: de ira Numinis & diluvio: de temeritate Babylonica, & confusione linguarum: & nihilominus in eadem sunt delapsi vitia, errores, flagitia. Inde serpere & prodire cœpit impietas, quæ omnia inficiens, quum semel disseminata esset, crevit: & in omnes totius est diffusa partes orbis. Attamen bonus, misericors, in omnibus immensus Deus delere iterum noluit humanum genus: sed in sparso sic per orbem scelere, & amplexa ab omnibus ferè impietate, ad Abrahamum se convertit, & ejus sobolem: ut hanc sibi asciseeret, populum eligeret, tueretur, ornaret, ac sacris cæremoniisque institutis ad cultum erudiret suum. Abrahamus tantæ prolis parens, septimo ab Heber (unde Hebræi) gradu in Chaldæa, Chananæa, & Ægypto varia edidit exempla virtutis, bonarúmque artium & prudentiæ: quæ in plurimorum animis tanquam semina in aratis à se sparsit agris, qui fructus ederent ad alendos plurimos mortales: ac postmodùm à Josepho, Mose, & aliis Hebræis iterati, sulco altius impresso, fruges effunderent uberiores, posteris

poſteris profuturas ſeculis. Joſephi, qui Abrahami fuit pronepos, clarum fuit nomen, fama perennis, collecta ex prudentia, qua in ſumma annonæ ſterilitate, & frugum penuria, famem depulit ab Ægyptiis aliiſque gentibus, & patrem, atque fratres accivit in Ægyptum. Ex quibus propagati Hebræi, ibi ſedes fixerant annis quadringentis triginta. Hunc ſecutus ab undis ſervatus Moſes, eodem abs Abrahamo, quo is ab Heber gradu, vir ſummus fuit, & primus ſui temporis mortalium, à Domino electus, ut populum regeret Hebræorum divinis imperiis, conſiliis, cæremoniis, legibus. quas ipſemet Deus, adminiſtrationi, quam optimam eſſe, & à ſe pendere voluit, dedit conſentaneas: ne quid omitteretur, aut deeſſet, quod tantum imperium moderari, unumquemque in officio continere, res privatas atque publicas florentes reddere poſſet. Hinc 4. Eſdr. 5. Ex omnibus multiplicatis populis, acquiſiviſti tibi populum unum: & ab omnibus probatam legem donaſti huic, quem deſideràſti populo. Atque in eo divina benignitas elucet, & ſimul progreſſus diſciplinæ ab eo traditæ mortalibus, quòd principio humanæ conſulens, & ſe accommodans naturæ, ipſam homini naturam dedit magiſtram, ducem, & legem, quam ſequeretur & teneret. At is cupiditatibus parens ſuis, à natura erudiri noluit, nec curricula tenere, quæ illa circumſcripſerat, ne à civilis vitæ & in cœlum via declinaret. Itaque immemori, ingrato, & erranti pravitate atque inſcientia, aliam dedit magiſtram, nempè legem, quæ eſſet emendatrix vitæ, & pædagogus in Chriſto, ut loquitur D. Paulus, doceret atque cogeret deſcendere in curricula, ad quæ natura direxerat, ut divinam omnes vitam viverent. Lactantius ſecutus, uti apparet, B. Clementem, cauſam & originem legis derivat ab impietate & ſcelere converſi ad idololatriam populi, cùm Moſes aſcendiſſet in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur.

De

De statu Hebraici amplitudine, conversionibus, occasu.

CAP. V.

NON potuit esse non augusta illa administratio atque dominatus, nec nisi divina, & regia ejus forma & disciplina: quæ à Deo sic constituebatur, ut ab ipso penderet, ipsius firmaretur imperiis, nomine teneretur, regeretur legibus, consiliis administraretur, armis propagaretur & victoriis. In hoc statu constanter mansit annis 70. sub Mose & Josue. Posteà varia est facta rerum conversio, mutatúsque sæpè status: nunc insolescens, velut Anarchia: nunc velut Aristocratia sub judicibus annis plus quingentis: sæpè velut interregnum, sine duce, sine judice, secundum illud Jud. 18. & ultimo: In diebus illis non erat rex in Israële: sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat: etsi, ut habetur ibidem 2. & 4. Dominus reliquisset gentes quasdam, ut in eis erudiret Israëlem, atque in ipsis experiretur, utrum audirent quæ præceperant patribus eorum per Mosem, an non. Tandem avaritia filiorum Samuelis, pravitatéque & fastidio populi, divinum imperium in humanum regnum transiit, regnorum instar gentium. deinde in duo regna abiit, nimirum Israëlis & Judæ. Hinc iræ domini, alienatio Israëlis ab ejus domo in Jerusalem: à Religione, & cultu vero sæpè discessum: scisso regno status varius, dominatio plurium unde quæritur & quærit Esdras 1. Cap. 5. Et nunc Domine, ut quid tradidisti unum pluribus? & præparâsti super unam radicem alias, & disperdidisti unicum tuum in multis, &c. Sæpè misertus est Dominus eorum, propter pactum cum Abrahamo, cum Isaaco & Jacobo, ut habetur 4. Reg. 13. At cùm nec mores, quibus assueverant, mutari, nec voluntates

tates ſanari, nec impietates tolli potuiſſent, Iſraël tranſlatus eſt in Aſſyriam, ejúſque deletum regnum. Juda anno à Saüle 533. traductus in Babylonem, ubi ſerviit annis ferè 70. Inde rediens fuit veluti Ariſtocratia ſub Pontificibus: poſteà principatus ſub Aſſamoneis. Iterum in forma regni ſub Ariſtobulo, Alexandro, Solina, Hircano annis 46. Pòſt ſub Romanis velut provincia annis 3. Tertiùm in forma regni ſub Antigono, Herode, Archelao annis 83. Iterum velut provincia annis 23. Quartùm in forma regni annis 10. Tertiùm in forma provinciæ annis 22. & tunc ſub Veſpaſiano Hebræorum ſtatus omninò conciſus & deletus eſt. Siquidem Juda, qui ſolus cum reliquiis Benjaminis ex omnibus tribubus remanſerat, ita ſuccubuit, ut omnia ejus inſignia atque ornamenta occiderint: gens deleta, regni ſublatum nomen, ſolium, ſolum, atque imperium: urbs direpta, Templum æquatum ſolo, nec unquam poſteà inſtauratum. exemplum mortalibus relictum immortale, de cultu & præſcriptis ſervandis totius orbis Domini: monumentúmque poſitum ad memoriam ſempiternam eorum, quæ illémet præmonuit, cùm Salomoni appäreret poſt ædificatum Templum: Si averſi fueritis vos & filii veſtri non ſequentes me, &c. auferam Iſraël de ſuperficie terræ, quam dedi eis: & Templum, quod ſanctificavi nomini meo, projiciam à conſpectu meo: erítque Iſrael in proverbium & in fabulam cunctis populis, & domus hæc erit in exemplum. Omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit & ſibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? & reſpondebunt: quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, &c. Dignum eſt obſervatione, & in omnium etiam figendum animis mortalium, quod Euſebius notat in Chronico: Titus, inquit, Judæa capta, & Jeroſolymis ſubverſis ſexcenta millia virorum interfecit: Joſephus verò ſcribit undecies centena millia fame & gladio periiſſe, & alia centum millia captivorum publicè venundata. Ut au-

tem

tem tanta multitudo Jerosolymis reperiretur, causam Azymorum fuisse refert: ob quam ex omni parte Judææ ad Templum confluentes, urbe, quasi carcere sunt inclusi: oportuit enim iisdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerant: hæc Eusebius. Stupendum etiam, quòd sic attrita fuerit ipsa stirps regia, Davidis Soboles, & ad tantam paucitatem inopiámque redacta: ut Imperatore Domitiano, qui Tito successit, jubente perimere regiam illam progeniem, duo tantùm sint reperti, qui ad eum, ut scribit Hegesippus, perducti, cùm de facultatibus interrogarentur, responderunt, utrisque non esse, nisi triginta novem jugera: quæ ære obstricta alieno, ipsimet suis excolebant manibus, ut alerentur, & tributa penderent. Quorum utilitatem Domitianus contemnens, abire eos jussit liberos. Hi autem fuêre nepotes Judæ, qui secundùm carnem frater Domini dicitur.

Casus Gentilium graviores, quàm Hebræorum: tria præcipua firmamenta status ignorata à Gentibus.

CAP. VI.

IN hoc vario & instabili statu cùm res verterentur Hebræorum, tanquam in tempestatum moderatione, & procellis mare: orbis etiam regna, gentes, & Resp. fatales motus, conversiones, casus habuêre suos, & in plerísque longè graviores: in Religione verò, unde pendent omnia, gravissimos, miserrimos. Siquidem, etsi apud Hebræos ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio fuerit varia, hi autem afflicti ad unius cultum Dei, & susceptas de eo religiones revertebantur. Nationes autem aliæ superstitionum confusionibus sic involvebantur, ut ex iis nunquam se evolverent: cùm sua cuíque civitati, ut ait Cicero, religio esset, & cuíque

& cuique sua Theologia, quæ civilis appellabatur, innumeri in orbe Dii. Hinc in re divina cæcitas, varietas, dissolutio, quæ Gentilium obsederat animos, & imperia facilè commoverat, quia præcipuis caruêre firmamentis dominationis, atque status. Hæc verò sunt, unius agnitio Dei, una Religio, cultus conformis sine varietate, dissimilitudine, mutatatione, neglectu. In quibus ipsi cùm labarent Hebræi, in illas inciderunt acerbas inclinationes conversionésque rerum, quas summatim à me percursas sacra Regum exprimit historia, & Josephus pluribus. Interim tamen firmior exstitit, atque diuturnior eorum, quàm Gentilium status: ut à nobis ostendetur post illa, quæ mox interponemus de loco & ratione, cultus, ab eis, aut retenta, aut variata. Unde Numinis nunc favor, nunc iræ: status nunc firmitudo & quies, nunc motus, fluctus, & procellæ. Quæ omnia curiosus poterit ex sacra pagina & Josepho repetere, iis prægustatis, quæ nos ex fontibus illis libavimus, non tam monitores, quàm indicis fungentes munere.

De forma & ratione cultus Divini Hebræis præscripta, interdum servata, interdum remissa, sæpè neglecta: unde salus aut ruina: De Tabernaculo: Arca Fœderis: Templo Ierosolymitano. Templo Samariæ: Templo Judæorum in Ægypto: Excelsis: Synagogorum institutione, & usu.

CAP. VII.

JOSEPHUS pro suis Hebræis contra Appionem: Modus, inquit, divinæ placationis sanctissimus est, unum Templum unius Dei, commune omnium communis Dei. Gratum namque semper est omne, qnod simile est. Et

verò,

verò, inter plurima memoranda Judæorum, id memorabile & memorandum maximè est, quòd non nisi unicum in toto orbe Templum haberent, eóque ab extremis orbis partibus venirent ad sacrificandum, vetante lege, ne offerrent sacrificia, nisi in loco, quem elegit Dominus. Is verò fuit Mose imperante incertus, ubicunque ponebatur Tabernaculum, in quo erat arca fœderis : pòst verò certus in Silo oppido Ephraim, in quo fixum est Tabernaculum, & mansit Arca, à temporibus Josue, usque ad illa Pontificis Heli, quibus à Philistæis capta est. Pòst verò ab his remissa, in domo fuit posita Aminnadab in Gabaa, oppido Benjamitarum. Inde sub Saule Tabernaculum sine Arca delatum est in urbem Nobe. Posteà, regnante Davide, translatum in Gabaon, & Arca illata abs eo in Jerusalem : tandem Templo à Salomone condito, posita cum Tabernaculo in loco suo, id est, in Sancto Sanctorum. Intereà, & multò ante Mosem, gentes Deos coluerunt suos in montibus excelsis, collibus, & lucis. hos verò Dominus subvertere jusserat, vetuítque in iis sacrificare. Attamen, ut D. ait August. consuetudinem populi sui, qua præter ejus Tabernaculum, non Diis alienis offerebant, sed Domino suo, sustinebat potiùs quàm vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Istud verò primus inchoasse Gedeon censetur: quum, ut habetur 6. Jud. Tulit omnia sub quercu : quod posteà usurpatum est à populo, ante extructum templum, ut 3. Reg. 3. apparet. Ubi tamen satis innuitur, id non placuisse Domino, cùm à principe fieret : Dilexit autem Salomonem Dominus, excepte quod in excelsis immolabat, & accendebat Thymiama. abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi. illud quippè erat excelsum maximum. hæc sácra pagina. Sed tanta fuit, etiam templo condito, pertinacia populi, ut in excelsis sacrificârit : & Jeroboam regis Israël tanta impietas, atque dementia, ut Templum Jerosolymitanum omninò spreverit, fana fecerit in excelsis, altare in Bethel, & Deos sibi populóque

lóque conflârit duos vitulos aureos, quibus immolaret. Cujus exemplum fecuti Ifraëlitarum reges alii, ædificârunt fibi excelfa, & adolebant ibi incenfum fuper aras more Gentium, ut 4. Reg. 17. perhibetur. Hinc regni Ifraëlis excidium. Excelfa permiferunt etiam reges Judæ omnes, præter Ezechiam, qui ea diffipavit: & Jofiam, qui mundâffe dicitur Judam & Jerufalem ab excelfis, lucis, fimulacris, fculptilibus: infuper altare diruiffe Bethel, & fana omnia excelforum Samariæ. Hic ea dé caufa omnibus præfertur Regibus: nec tamen placatus eft Judæ Dominus, Manaffis irritatus fcelere & idololatria. Unde Templi incendium, & captivitas Babylonica. Quâ fic fapere cœperunt Judæi, ut poft libertatem recuperatam, ad excelfa non reverterint, Templum inftaurârint: ac majore, quam anteà, habuerint fanctitate & honore, inde fpe & expectatione rerum erecti meliorum. Sic quippè intelligebat, ut ait D. Auguftinus, populus ille carnalis, quod prænunciatum eft per Aggæam Prophetam dicentem: Magna erit gloria domus iftius noviffimæ, plus quàm primæ. propter hoc ergo (fubjungit ipfe) nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens, fed multis cladibus afflicta eft ab alienigenis regibus, ipfifque Romanis, ne hanc Aggæi Prophetiam in illa inftauratione Templi opinaretur impletam. Atqui (fi modò revocare quid fimile ad conjecturam liceat) eadem forfan de caufa, & quòd anteà non quanti debuerat, feciffet facris commendata, ex his præcipua defierant: nimirum divina præfentia, & refponfa ad propitiatorium edita: ignis facer, quo holocauftum incendebatur: lux lapidum Urim & Thurim, qui in rationali erant Pontificis, & ad occulta à Sacerdotibus intelligenda, tradendáque populo, plus folito lucere confueverant: prætereà evanuit Arca fœderis: nec propitiatorium cum duobus Cherubim Arcæ adhærentibus inventum eft. Poft hæc, tranflati multò antè, Ifraëlitarum loco, in Samariam oppidum tribus Ephraim Affy-

rii,

rii, qui & legem Dei susceperant, & idolis servierunt suis, & Judæos in odio habuerunt hostili, ac Templi instaurationem impedire tentârunt, sed frustrà, Alexandri magni permissu, Templum ædificârunt in Gerizim monte Samariæ. Ex quo, de verò adorandi loco, cum Judæis certârunt, prætexentes Dominum primum cultus locum in Silo urbe Ephraim delegisse. Sed causa coram Ptolemæo Philometore acta, pro Judæis pronunciatum est: & multò pòst, ab Hyrcano Rege Judæorum Samaria subjecta, Templúmque illud dirutum. Exstitit et aliud Templum ab Onia, Oniæ pontificis filio profugo conditum in Ægypto, Judæis urbe pulsis Jerosolymitana, quibus ipse velut Pontifex præfuit: quod à Paulino proconsule clausum est, eodem tempore, quo à Tito Jerosolymitanum est incensum. Habuerunt etiam Judæi Synagogas Jerosolymæ, & in provinciis: de quarum institutione prima non est certa memoria. Quidam eam referunt ad tempora captivitatis Babylonicæ, & in urbe posteà sic acceptas tradunt, ut in usum cesserint peregrinorum, Templum verò civium. De urbanis, quas ad numerum 480. ex Hebræorum repetunt commentariis, non liquet. Quicquid sit, Templo Sacerdotes & Pontifices præerant, Synagogis scribæ, quorum princeps Archisynagogus nominabatur, ipsi Doctores legis. Judæi tam in Synagogis, quàm in Templo convenerant, ad legem audiendam: nec istas improbavit Dominus: Ego, inquit, Joan. 18. Semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt: & Luc. 5. Intravit secundum consuetudinem suam in Synagogam, & traditus est illi liber Is. Prophetæ. Item Matth. 4. Circumivit Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum. Jam ad intermissa redeamus.

Hebræorum Status, cur præſtantior, firmior, & diuturnior aliis: Ortus & Occaſus plurium Regnorum, & Rerumpub. Orbis.

C A P. VIII.

CUM, fundamentis Religionis & diſciplinæ firmiſſimis, Hebræorum Status niteretur: cæteris, in ratione imperii, adminiſtrationis prudentia, & forma Reip. præſtitit omnibus. Et quamvis tempeſtatibus quateretur variis, tamen everſit: atque in ipſa tremefacta libertate, inclinationibus temporum, adverſis caſibus, leges retinuit; imò in his potiùs, quàm ſecundis. quòd longè ſecus apud Gentiles contigerat, etiam ipſos publicæ diſciplinæ retinentiſſimos Lacedæmonios. Nam, ut obſervat Joſephus, ſimul atque vis, & tempeſtas oblata eſt Reip. legum penè omnium obliti ſunt. At electus ille populus, cùm religione contrarium cenſeret, legem violare: hac periclitante, nec turbinibus pacis & otii, nec procellis temporum, mutabatur. Quinimò pro illa tuenda, ſic ſæpè exarſit, ut bella moverit periculoſiſſima: omnia, quæ alii præclara putant, contemſerit: nec tam metuerit arma, juſſa, minas imperantium, ſuáſve & ſuorum calamitates: quàm contaminata ſpectare ſacra, pollutum Templum, violatam legem. Equidem, ut Scipio cenſuit non poſſe felicem eſſe Remp. ſtantibus mœnibus, ruentibus moribus: ita Hebræus, nec ſe, nec ſuos beatos haberi, aut ſupereſſe debere crediderat, perruptis legibus. Hinc divinus ille ſtatus firmior fuit, & diutiùs multò ſtetit, quàm Principatus, Imperia, & Reſp. Gentilium. Babylonis ſive Chaldæorum regnum omnium antiquiſſimum cenſetur: huic proximum Aſſyriorum, in quo Rex Belus haberi cœptus eſt pro Deo: utrúmque

utrúmque sæpè eodem sub imperio, & Hebræorum statu antiquius, uti etiam Ægyptiorum. Hoc illo apud gentes illustrius, quòd Monarchiæ ornatum nomine, & robore firmius, illi jura daret: sed neutrum in diuturnitate dominatus cum Hebræorum statu conferendum. Siquidem Assyriæ imperium, ab Arbace Medo eversum est, & ad Medos translatum anno 1300. post ejus originem, ut scribit Justinus. Pòst verò Cyrus Persarum tunc regulus, avunculi jussu Darii, Babyloniæ Regnum Mediæ regno adjecit, cæso Balthazare ultimo Chaldæorum Rege: & aliquan̄ò pòst Medos, qui Asiæ imperaverant annis 130. necnon Lydos, quorum regnum stetit 230. Persico subjecit imperio. Inde ex domitis Regnis Chaldæorum, Assyriorum, Lydorum, Medorum, & aliarum Gentium junctis Persidi, Monarchiam in Asia Persicam constituit. quæ cùm fortuna conflixit variè, pluribus implicata bellis: nimirum primo Scythico: in quo Cyrus occubuit: Ægyptiorum defectione, & commisso cum iis prœlio, in quo Persa superior fuit: bello Scythico secundo, quo in fugam se conjecit Darius, Hystaspis filius: bello abs eodem oblato Græciæ, in quo ducenta Persarum ceciderunt millia: & altero à Xerxe, cui terra & mari infausta fuerunt omnia: bello ultimo, in quo duobus commissis prœliis, utróque Darius ab Alexandro magno victus est: & primo cæsa Persarum equitum decem millia, peditum centum millia: secundo, millia quadraginta, fractáque & deleta Monarchia Persiæ, anno ab ejus origine 230. Inde vis illius imperii, & regnorum omnium Orientis, ad Alexandrum translata, subactáque pòst India, composita est Monarchia Græciæ, prioribus multò amplior, sed longè brevior: ut quæ mortuo Alexandro anno ætatis 32. dominatus tanti sexto, à successoribus ejus, in quinque, ut scribit Josephus, divisa partes, in plures, opinione Q. Curtii, dissipatis amisit viribus famam, nomen, splendorem:

 ipsáque

ipſáque tandem Macedonia, cui tot accreverant orbis regna, Perſeo ejus rege 38. & ultimo, victo à Paulo Æmilio, & in triumphum ducto, cum tribus filiis, in provinciam redacta eſt à Romanis ann. urb. 586. ab ejus origine, & Rege primo Cranao ann. ferè 700. Reliqua Græcia regiis quondam nobilitabatur imperiis, diverſis tamen & modicis, ut ipſa olim Macedonia: primúmque ſe extulit Regnum Sicyoniorum, regnante Nino in Aſſyria, & 862. duravit annis. Iiſdem ferè temporibus Cretæ cœpit regnum: in quo poſteà Meliſſæus Rex, pater Amaltheæ & Meliſſæ nutricum Jovis, primùm Diis ſacrificâſſe traditur, ac ritus novos eorúmque pompas introduxiſſe; quod alii Ægyptiis, alii Æthiopibus tribuunt. Deinde regnum Argivorum exortum eſt, quod 544. reperitur floruiſſe annis. Exin Theſſaliæ Regnum; vivente Moſe: atque etiam Athenienſium, & Athenæ in Eubœa conditæ, judiciúmque conſtitutum Areopagi. Diis etiam ſacra, uti ſcribit D. Auguſtinus, inſtituta à Regibus Græciæ, ab exitu Iſrael ex Ægypto, uſque ad mortem Jeſu Nave. Seculis ſequentibus regna Mycenarum, Lacedæmoniorum, & Corinthiorum cœperunt: quæ tamen, ut cætera regna Græciæ, defecerunt omnia: nec diu ſteterunt, paulatim converſa in Reſp. Quarum tempora, etſi ab origine regnantium repetiveris, nullam reperies, uti nec regnum, ut dixi, ullum ad diuturnitatem accedere ſtatus Hebræorum: qui, ut notat Joſephus, amplius duobus millibus annis ſtetit. Nec ab hac ſupputatione abeſt Euſebius: qui à promiſſione facta Abrahæ, ad Moſem & egreſſum ex Ægypto, annos numerat 430. ab eo tempore, uſque ad Salomonem, & templi ædificationem, annos 480. ab hac, ad excidium & ruinam ſub Veſpaſiano, annos 1102. Quæ tempora, in unum coacta, numerum conficiunt annorum 2012.

Gentiles

Gentiles ignari rerum antiquissimæ memoriæ: superstitio, confusio Religionum, Deorum multitudo, & triplex Gentilium Theologia unde profluxerint.

CAP. IX.

HÆC Hebræorum incrementa, antiquitates, res gestas, & rationes vitæ, necnon illa, quæ repetivi primordia, & progressus rerum, Gentiles ignorârunt: & propterea majorum secuti deliria, in iis, quæ veteris erant memoriæ sacræ & profanæ, omninò deerrârunt: inventionésque utilitatum vitæ, seris tribuerunt seculis. Philo Judæus, auctor gravis, libro de meritis & pœnis, inania Græcorum exagitat commenta, de sparsis in terram frugibus à Triptolemo: ostendítque omnia ad vitam necessaria fuisse principiò à Deo apparata, datáque omni animantium generi, præcipuè homini: in nullo tardatum opere divino: cuncta, quæ artibus studiísque hominum perfecta videntur, in natura latuisse: & quæ ab iis ediscuntur, dici posse, humanis inde eruta ingeniis. Jejuna est, ut dixi, in multis antiquitas: attamen, qui ad hanc se converterit, & examinaverit percursa in sacris historiis de longa vita primorum mortalium, rerum gnara omnium, quæ ad ipsam pertinerent: facilè deprehendet, quàm sint inania, atque falsa pleráque gentilium, ignorantium initia, & progressus humanæ vitæ. Cujusmodi (ne congeram, quæ volumen implerent) est illud Senecæ: Nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiæ nata sunt. Quod irridens Lactantius: Multis ergo, inquit, seculis humanum genus sine ratione vixit. At ille, alioqui scientissimus, quum nequiret doctrinæ luminibus, quæ à Græcis acceperat, tam retrò respicere: sapientiam & bonas artes, cum Græca putavit cœpisse sapientia: sibíque persuadere non potuit, virtutem primis floruisse seculis, quamvis fraus aberat: aut eos, à quibus vita hominum

inſtructa primò ſit, fuiſſe ſapientes. Non tamen, inquit, negaverim fuiſſe alti ſpiritus viros, &, ut ita dicam, à Diis recentes. Ignorantiâ rerum innocentes erant. deerat illis juſtitia, deerat prudentia, deerat temperantia, ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat ſimilia quædam rudis vita. Hæc ille, ep. 90. Hortenſius apud Ciceronem urget hujus magiſtros erroris, percunctando: Quando Philoſophi eſſe cœperunt? Thales (ut opinor) primus: recens hæc quidem ætas. Quid plura? Nemo in ſacra memoria verſatus, & de bonitate providentiáque divina rectè ſentiens, non agnoverit cuncta ratis ordinibus moderata, primóſque mortales ante & poſt inundationem orbis, beneficio divini Numinis, naturæ adjumentis, uſu plurimarum rerum, adhibitis ſapientium conſiliis, & præſcriptis imperantium, omnia conſecutos, quibus piè, civiliter, benè, tutò, tranquillè, & feliciter vivere poſſent: ut miſerabilis ſtupendáque fuerit inſcitia Gentilium: qui tot inventa rerum, tot vitæ & humani cultus artes, à commentitiis derivârunt fontibus; ipſáque victus initia, tam fera putârunt, ut à Cerere & Libera reperta dixerint: quas tamen ad antiqua tempora retulerant, etiam ipſo priora Moſe. At Euſebius hanc diluit, & refellit fabulam: uti Philo illam Græcorum de Triptolemo: aliam Athenienſium de frugibus & legibus apud ipſos repertis, atque in omnes terras diſtributis Ariſtoteles: qui, hæc irridens lepidè, ait Athenienſes frumenta & leges inveniſſe, frumentis quidem uti, non autem legibus. Sed, ut horum deliria à vanitate, ſic illorum error ab ignoratione manavit barbara, & cæca opinione: qua priſci gentiles, rerum tam utilium præſtantiam admirantes, eam conſentaneam putârunt cujuſdam Numinis excellentiæ: & hujus generis omnia aſcripſerunt Diis, vel hominibus, quos, propter iſtiuſmodi inventa, Deorum honore dignos exiſtimârunt. Ad abſurdiora etiam delapſi, rebus, quæ magnas utilitates afferrent, aut vim haberent majorem, Deorum

orum tribuerunt nomina, atque sacra. Fragilis, inquit Plinius, & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus coleret quísque, quo maximè indigeret. Itaque nomina alia, aliis in gentibus, & Numina in iisdem innumerabilia reperimus. Josephus, observator non indiligens errorum gentilium, hujusmodi tradit varia profluxisse, à malè composita disciplina civili, incuria legislatorum, negligentium statuere de cavendis, & præcidere, quæ maximè depravarent. Siquidem in mutis legibus, & oscitante cura magistratuum, immoderata atque insolens licentia irrepsit in respublicas, & imperia. Unde poëtæ finxerunt, pictores adumbrârunt, fabricantes signa formârunt, quos vellent, Deos : Oratores liberè de republica scripserunt, & de peregrinis decreta interposuêre Diis, præcipuè in Græcia. Ubi etiam unusquisque Philosophorum, quod de Diis conjiciebat, sequebatur, ut ait Eusebius. Et tamen qui puriori dabant operam Philosophiæ, ridiculam suorum agnoverunt impietatem : ejúsque multos puduit, in primis Pythagoram, Anaxagoram, Socratem, Platonem : etsi Pherecydes Syrus, de Diis scribens Græcis, cum vulgo delirârit. Erunt etiam alii, qui, tametsi non omninò frangerentur pudore impietatum hujusmodi : sic tamen eo afficiebantur, ut Poëtarum fabulas in allegorias verterent, quas scitè Eusebius appellat remedia turpitudinis Deorum. Sed illos eruditos, neque superiorum quidpiam latuit, neque frigidæ ignoraverunt causas allegoriæ. Romani etiam, istiusmodi nugas & mysteria Græcorum penitus repudiârunt : uti Theodoretus, illorum auctoritate, ex Dionysio repetita Halicarnasseo, urget Græcos. apud quos, cùm plures essent Respublicæ, & singulis sui Dii, plures in Græcia reperiebantur Dii, quàm in ulla orbis parte : nisi exceperis Ægyptum, quò refugere putabantur Dii peregrini & exsules, atque salvari migrantes in effigies animantium. De Ægyptiorum Diis Leo scripsit, necnon Plutar-

 chus.

chus. Scythæ, quum non nisi suos Deos, & usitata mysteria putarent retinenda, advenientem interemerunt Anacharsim, quòd videretur ad eos venisse Deorum Græcorum plenissimus. Ab his de religione commentis, tripartita manavit illa Theologia, fabulosa, naturalis, civilis: quarum prima fuit Poëtarum, secunda Philosophorum, tertia singularum civitatum. Gentilium verò de hisce judicium, memoratur ab Eusebio lib. 4. de Præpar. Evang. & velut quædam sanctio, sic lepidè exprimitur: Primum & fabulosum, & historicum Theologiæ genus: & secundum naturale scilicet, atque allegoricum, unusquisque, sicuti placet, interpretetur, atque improbet: Tertium autem, quod singularum Civitatum legibus recipitur, nec Poëta quisquam, nec Philosophus moveat, nisi velit tanquam impius jure patrio puniri. Pleráque ejus generis, velut inventa juniorum, Sanchuniatho, scriptor antiquissimus, ut qui ante Trojana tempora floruit, exagitâsse dicitur. Et verò, nemo dubitaverit, quin innumera, multis post primos gentiles seculis, fuerint excogitata, jam latè proseminata varia de Diis opinione: quæ, necnon Templorum moles, idola, simulacra, aræ, hostiæ, sacra, serò in orbem introducta sunt. Nam prisci illi Gentiles, motus corporum cœlestium admirantes, ea sola Deos putârunt, atque illis herbarum litârunt fumo, non thure, aut victimis, ut scripsit Theophrastus, & eum secutus Porphyrius. Posteà Dæmones, Idola, Gigantes, Magi, Tyranni, homines præstantes & benefici, coli cœpere, & in numerum referri cœlestium: atque his fabricari Templa, aræ, statuæ, simulacra, & hæc primùm ex ligno: atque sic tandem progressum, ut vi majore cujúsque rei, & animantibus plerísque in Deos relatis, mirari non oporteat, si, jam suis temporibus Hesiodus censuerit Deorum triginta fuisse in orbe millia: Eusebiúsque addiderit, se multò plures lapideos & ligneos hominum creatores, ac Dominos videre: indéque fluxerit Theologia, vel potiùs impietas, non modò illa tri-

plex,

plex, aut cuíque regioni propria, ut Phœnicia, Ægyptiaca, Græca, Atlantica, Phrygia, de quibus Eusebius: sed cuíque ferè civitati sua. Par est credere, Numam Pompilium, & sua, & aliorum de Diis commenta detexisse, libris illis septem Latinis de jure Pontificio, & totidem Græcis de sapientia, quos repertos ab arante, juxta ejus sepulcrum, Senatus in Comitio protinus cremandos censuit: quod iis, religiones, non modò, quas ipse instituerat, sed omnes dissolvisset.

Qui sapere putabantur apud veteres, & quæ Gentes plus aliis: omnia Græcorum recentia: in quibus posita eorundem sapientia.

CAP. X.

AMBUSTIS per Prætorem Numæ libris, suppressa sunt, quæ celaverat mysteria religionis abditæ, & simul incognitæ decreta sapientiæ. D. Augustinus scribit eum usum Hydromantia: quod genus fuit divinationis allatum à Persis: quorum sapientes, necnon Chaldæorum, & Assyriorum Magiam profitebantur, indéque Magi nominati sunt: veluti sapientes Indorum, Gymnosophistæ, Brachmanes, Sarmanæ: Ægyptiorum, Sacerdotes, Prophetæ, Arpedonaptæ: Bactrorum, Semanæi: Celtarum, Druides. Numæ ævo, Græcia nondum agnoverat pòst jactatam à suis sapientiam. Nam Thales Milesius, qui primus cœpit eam profiteri, & Ionicæ fuit auctor Philosophiæ, regnante vixit Anco Martio. Postmodùm, Tarquinio Superbo dominante, Pythagoras exstitit, Italicæ auctor Philosophiæ. Ita Numæ sapientia, nec hujus, nec illius censeri potest generis: nisi fortè eadem acceperit, quæ illi ab Ægyptiis, principia doctrinæ. Ut ut sit, illa ejus scripta, tam curiosè tectéque asservata, videntur quarundam con-

continuiſſe initia ſcientiarum : quibus imbuti veteres, aliis plus ſapere putabantur, non ſolùm in Phœnicia, Ægypto, & Aſſyria : ſed in Chaldæa, Perſide, India, Gallia, & ubicunque lux aliqua affulſerat vitæ humanioris : & ab iis percepta doctrina nomen obtinuit ſapientiæ. quod ipſe D. Auguſtinus obſervavit cap. 37. lib. 18. de Civit. Dei, & ſuum judicium ſic expreſſit : Fatendum eſt, non quidem in Græcia, ſed in Barbaris gentibus, ſicut in Ægypto, jam fuiſſe ante Moſem nonnullam doctrinam, quæ illorum ſapientia diceretur : alioqui non ſcriptum eſſet in libris ſanctis, Moſem eruditum fuiſſe in omni ſapientia Ægyptiorum. hæc ille. Præſtitiſſe autem cæteris, Orientales videntur, & Ægyptii : qui, necnon Ethan Ezraïtes, & Heman, & Chalcol, & Darda filii Moël, velut omnium mortalium ſapientiſſimi, memorantur 3 Reg. 4. ut quantus fuerit, qui his præfertur Salomon, innoteſcat. Qua in hiſtoria, nemo Græcos, licet Orientales ſint, deſignari putaverit : cùm non niſi quadringentis ferè poſt Salomonem annis, invecta ſit in Græciam per Thaletem, illa nova rerum ſcientia : ex qua, oſtentata à Græcis ſapientia profluxit. ut non abs re Ægyptius apud Platonem dixerit Sacerdos : O Solon, Solon, Vos Græci eſtis ſemper pueri, nullam penitùs habentes doctrinam, auditione acceptam vetere : ex Græcis autem nullus eſt ſenex, nec ulla diſciplina cana tempore. Ipſe etiam Joſephus, ſe ait omnia Græcorum nova reperire, ac recèns facta : & in his conſtitutiones civitatum, inventiones artium, editáque de legibus, atque rebus geſtis : nihil apud ipſos inveniri vetuſtius poëmate Homeri, hiſtoriis Acuſilai & Hellanici, ſcriptíſque Pythagoræ, Pherecydis, & Thaletis, qui Ægyptiorum & Chaldæorum fuêre diſcipuli, ac primi in Græcia de naturalibus diſſeruere cauſis. Nec ſunt tamen poſteriores à prioribus contemnendi : nam Dominus, ut ait Clemens Alexandrinus, terræ agricola ſingularis, ex alto ſeminavit à conſtitutione mundi,

&

& unoquoque tempore explevit singula: tempora autem & loca, quæ ea susceperant, peperere differentiam. Ut nunc prædicatio, sic antè data lex est & Prophetia Barbaris, Philosophia Græcis, aures assuefaciens ad prædicandum. Hinc ipse Dominus: Tempore, inquit, placito exaudivi te, Is. 49. Ita providentia, quæ cuique pro meritis distribuit ea, quæ conveniunt, Judæis dedit legem, Græcis Philosophiam, usque ad adventum. Siquidem ipsa Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex Hebræos ad Christum: atque erat ante adventum Domini, eis necessaria ad justitiam, nunc autem est utilis ad cultum & pietatem iis, qui fidem colligunt per demonstrationem. Quinetiam velut liberales artes conferunt ad Philosophiam, quæ earum est domina ita Philosophia ad parandum sapientiam, quæ ipsius est domina Philosophiæ. hæc ille lib. 1. & 6. Stromaton, Est intereà (ut intermissa repetamus) inanis illa Græcorum ostentatio, de antiquitate scriptorum: quum non nisi serò notas acceperint litterarum, si veterem respexeris earum usum: qui fuit ante diluvium, ut patet ex incisis tunc in columnas, lapideam & lateritiam: & mox post diluvium, multò ante Taautum (huic Philo Biblius apud Eusebium, litterarum inventionem tribuit) qua de re singulare reperio indicium, ante illum & Cadmum, in civitate Dabor, cujus nomen vetus erat Cariathsephat, id est, civitas litterarum, ut habetur Jud. 1. Et Græci tamen, ut primi haberentur rerum scriptores, nihil intelligi voluerunt scriptum ante Cadmum, à quo se litteras didicisse gloriabantur: cùm potiùs meminisse debuerint, inter ipsos quæsitum. An Trojanis temporibus essent usi litteris? Quo planum fit, eos nullam potuisse memoriam prodere Cadmi scriptam ævo: nedum de antiquitate scriptionum, cultæve apud ipsos sapientiæ, & abstrusarum artium, cum Hebræis contendere, aut Ægyptiis. etsi non dubitem, quin vetustissimis coluerint seculis studia liberalium artium, & disciplinæ civilis: non tamen ullius

doc-

doctrinæ, quæ ſapientiæ merebatur nomen : uti ex iis, quæ ex Auguſtino repetivi clarè patet. Philo Judæus auctor eſt, Moſem cura filiæ Pharaonis in omni inſtitutum fuiſſe digna nobili ingenio doctrina : ab Ægyptiis in Geometria, Muſica, Aſtrologia, & Hieroglyphicis : ab Aſſyriis & Chaldæis in ipſorum diſciplinis : à Græcis in artibus, quas τὰς ἐγκυκλοπαιδίας appellant. Hæ verò, cùm ſint vitæ civilis comites & miniſtræ, nemo non cenſuerit, hanc etiam in Græcia tunc floruiſſe, atque inde manâſſe eorum primam ſapientiam : quæ non niſi prudentia fuit illa, de qua Craſſus apud Ciceronem : Veteres, inquit, Græci cogitandi pronunciandíque rationem, vímque dicendi, ſapientiam nominârunt : hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones : atque ab hac ſimilitudine Coruncanii noſtri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortaſſe docti, ſed impetu mentis ſimili & voluntate. Quo ille elogio, non deſignat forenſem eloquentiam (hæc enim, non niſi ſerò, in Græcia & Roma ſe extulit) nec nudam vim dicendi ſine rebus, aut jejunam ſine vi verborum cogitandi rationem : ſed ex utríſque conſtitutam diſciplinam actuoſam, heroïcam : qua apud antiquos plerique Rerumpublicarum rectores, & publici auctores conſilii (veluti hoc etiam, & omni ævo non pauci) nitebantur, Imperiáque & Reſpublicas gubernabant, ante delatam ad Græcos ſapientiam, poſitam in rerum naturalium cognitione, auguſtum iſtud aſſumente nomen, à novitate rerum, verborum magnificentia, arte recondità. Quam nemo tribuerit regibus Sicyoniorum, Argivorum, Theſſaliæ, Mycenarum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, vel ipſis Areopagitis : qui, ut indicat Ariſtoteles, cap. 10. lib. 2. Politic. in Græcia floruerunt, multò ante Thaletem & Solonem, licet aliter ſentiat Plutarchus in Solone : nec aliam, quàm civilem coluerunt ſapientiam : ne quis putet hanc ſcientiam eſſe, quæ arte nititur, & ſine Græca non paratur doctrina. Quam

ipſi

ipsi domitores orbis Romani non agnoverunt ante ann. urb. DXCVIII. quo Athenienses ad Senatum legatos de suis rebus miserunt tres illius ætatis nobilissimos Philosophos, Carneadem, Critolaum, & Diogenem. Quid quod in ipsa Græcia, à summis imperatoribus, & ab ipsis Lacedæmoniis, quorum Respublica firmior fuit, diutiúsque stetit, quàm ulla Græcorum, non tam est culta hæc nova, quàm illa vetus doctrina, usus alumna gravissimi? Hinc Agesilaus Xenophonti, quem dilexit unicè, persuasit, ut eò liberos arcesseret, & curaret educandos, uti parêre discerent atque imperare. Hinc etiam in Græcia, nullis bonarum artium magistris majores habiti honores, quàm hujus disciplinæ doctoribus, his antiquiores nulli. Hos enim reperio, in desideriis & gratia fuisse principum, atque hujus tradidisse instituta doctrinæ viris clarissimis, ante septem Græciæ sapientes. Qua etiam in laude versati post hos sunt nobiles Philosophi, & ab eorum disciplinis, summi viri ad Remp. ornatiores accesserunt. Nam erudierunt multos, inquit Cicero, quo utiliores rebus, & suis, & publicis essent: ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoræus, Syracusanum Dionem Plato, Timotheum præstantissimum Imperatorem, Cononis maximi Imperatoris filium Isocrates, Agesilaum Xenophon, Alexandrum magnum Aristoteles: à quo ille & agendi præcepta acceperat & loquendi.

Cultores primæ Græcorum sapientiæ: posterior à Thalete introducta, in quibus posita: vera à nemine nota Gentilium: Sophistæ unde nominati.

CAP. XI.

ANTIQUIORUM non tam nota est memoria: quam tamen dum repeto, & exquiro qui inter primos Græcorum exstiterint hujus cultores disciplinæ, occurrit Iphiclo datus comes Jason,

Non

Non operum in partem, monitus sed tradat ut acres;
Præclaris juvenémque ut laudibus urat avorum.

Deinde, ille fama celebri apud Homerum Phœnix, qui à Nestore delectus legatus cum Ajace & Ulysse, ad placandum infensum Agamemnoni Achillem, se à Peleo patre Achilli comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum, & actorem rerum. Hæc ducentis ferè annis ante Lycurgum, & trecentis, plus minus, ante Thaletem: qui ortu vel Phœnix, vel Milesius, Phœnissa prognatus matre, ab Ægyptiis institutus sacerdotibus, primus in Græcia incognitam antè sapientiam, id est, rerum naturalium scientiam, professus est: notam veterem, in civili positam disciplina, non attigit, nec Rempublicam, ut Solon & cæteri, tunc habiti sapientes, qui omnes civitatibus suis præfuerunt. Imo fuêre, qui, ne prudentiam quidem, quæ in utilitatibus versa tur vitæ, illi tribuerent: sed sapientiam quandam, id est, rerum scientiam, quæ tamen longè abs ea absuit, quam Cicero nominavit principem omnium virtutum, & rerum divinarum humanarumque scientiam: Aristoteles exactissimam scientiarum. Qualem certè nemo assecutus est gentilium: ne ipsi septem, ab iis nominati sapientes. quos idcircò, qui ista subtiliùs quæsiêrant, in sapientium numero non habuerunt: ut nemo non censuerit studia, unde hoc manavit nomen, minora fuisse, quàm fama feruntur, veluti omnia Græcorum. de quibus, non vereare cum Josepho, D. Augustino, & aliis eruditis, tale facere judicium, quale Sallustius de Athenienfibus: quorum ait facta, quia provenêre ibi Scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem pro maximis haberi. Quod omninò in Græcorum sapientiam convenit. Namque veram non agnoverunt, iis (si ullis) notam solis, qui aut naturæ, aut Mosis, aut gratiæ legem tenuêre. quarum nullam Græci attigerant: quia naturæ repugnârunt: gratia nondum apparuit: Loquimur, inquit Aposto-

Apostolus, Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est: Mosaïcæ arcana assequi non poterant. Hinc Pythagoras, qui, de his audierat in Ægypto, quæ intelligentiæ vim fugerant, sibi conscius, sapientiæ nomen non assumsit, sed Philosophi: & Socrates, mentis cernens aciem in innumeris hebescere, ad confessionem ignorationis adductus est: ultráque progressus è cœlo devocavit Philosophiam, & in terra collocavit: quòd animadverteret profitentes cœlestia, vix umbras tenere cœlestium: susceptas de religione opiniones, plenas esse, ut diximus, errorum: peccatum esse in moribus & doctrina, lapsu multiplici. ad quem excutiendum dispositè, repetenda priùs est intermissorum series, & perstringenda quæ supersunt, de prima Græcorum sapientia. Post ætatem illorum septem, aliquot annis, fuit Themistocles, quem constat, prudentia & dicendo valuisse: ut, qui illa vetere sapientia institutus fuerit à Mnesephilo Phræario: quem Plutarchus scribit cujusdam fuisse professorem sapientiæ, quæ non nisi rerum fuit prudentia civilium, ac ratio benè ordinandæ, gubernandæque Reip. hanc tamen ait appellatam tunc fuisse sapientiam, & à Solone per ætates ductam, quasi scholam & disciplinam quandam Philosophiæ ad Mnesephilum manâsse: qui se tamen, nec ad naturam investigandam, nec ad eloquentiam applicuerat: sed posteriores hanc pervertisse disciplinam, & cum illa tradidisse litigandi artes, ac pedetentim res ad inania verba transtulisse: indéque nominatos Sophistas, id est, speciem præ se ferentes sapientium. In his primi fuisse videntur, & posterioribus iter aperuisse, Thrasymachus, Gorgias, & alii, quos λογοδαιδάλους appellat in Phœdro Socrates, qui tamen ejusdem sapientiæ doctores erant, sed docere se etiam profitebantur, quemadmodum causa inferior, dicendo fieri superior posset.

Labes in moribus, quibus facta modis in Græcia, & Italia.

C A P. XII.

HORUM arrogantiâ, vetus disciplina deflexit à suo cursu, uti, quæ cum illa jungi cœperat recentior, novitatibus Pythagoræ: maximè, cùm, ut fieri solet in solutis legum vinculis, & licentia effrena, jam contagio invasisset mores, & tabes undíque deflueret à curiositate, luxu, & deliciis: quæ cum litteris & splendore civilioris vitæ influxerant in civitates, & cum iisdem creverunt, ut cum frugibus agrestes solent herbæ, multáque admiscuerant perniciosa. Nam Ægyptii, cùm Græcos doctrina imbuerent, idololatriam auxerunt: & Phœnices in Græciam, Græci in Latium intulerunt voluptates, & illecebras corruptelarum. Herodotus scribit Ægyptios primos duodecim Deorum cognomina posuisse, & ab illis Græcos fuisse mutuatos. Cicero auctor est Phœnices primos mercaturis, & mercibus suis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum supportâsse in Græciam. Noluit culpam conferre in litteras & artium disciplinas, quas inde etiam ad Græcos pervenisse Herodotus, Diodorus Siculus, Josephus, & Eusebius tradunt. A Græcis ad Romanos Philosophia sola non penetravit, sed simul splendidior vivendi ratio: unde Persius, veluti Horatii

——Bestius urget
Doctores Graïos: ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers:
Fœnisecæ crasso vitiârunt unguine pultes.

Et, quod magis mirabere, Epicuri Philosophia, quæ patrocinium suscepit voluptatis, ante alias sparsa est per Italiam,

&

& Latinis mandari cœpta litteris: ejúſque cultor primus, aliis, ut narrat Cicero, ſilentibus, C. Amafanius exſtitit, dicens & ſcribens. Cujus libris editis, cuncta multitudo contulit ſe ad eandem potiſſimum diſciplinam: ſive quòd erat cognitu perfacilis: ſive quòd invitabatur illecebris blandis voluptatis: ſive etiam, quia nihil prolatum erat melius, illud quod erat, tenebant. Poſt Amafanium autem multi ejuſdem æmuli rationis, multa cùm ſcripſiſſent, Italiam totam occupaverant. hæc ille de Philoſophia Epicuri: à quo non ſolùm, inquit, Græcia & Italia, ſed etiam omnis Barbaria commota eſt. Quid, inquies, à boníſne artibus pravæ opiniones, mores corrupti, depravata ingenia? non equidem: ut nec à nobilitate ſeditiones, & converſiones rerum. Sed blandæ voluptates ſe ubíque inſinuant, & mollibus in animis implicatæ inſident: in altis ambitio honorum excitat ſtudia, & contentiones. Adhæc nobilitas & litteræ, ut obſervat Ariſtoteles, comitantur ſæpenumero ditiores: divitias luxus, elegantia & potentia: quæ omnibus inſolenter abutuntur. Ex quo fit, ut in Rebuſpublicis & Imperiis ſerpant cum diſciplinis & humanitate vitia, quæ inficiunt animos deliciis, regna & principatus permiſcent motibus, niſi, ne emanent, diligenter caveant rectores Reip. atque diſperdant in his incluſa malorum ſemina. Prætereà cum reconditioribus litteris, in civitates non raro influunt, & curioſa fallunt ingenia falſæ religiones, novi mores: atque in deſiderio ſunt familiaritates peregrinantium, & peregrinationes apud exteros: quorum conſuetudine plerique delectantes, voluptatibus inquinantur, ut olim Romani in Aſia: in qua pauci continenter vixerunt, pauciores inde ſine ſuſpicione luxuriæ Romam revertebantur. Itaque non mirandum, ſi quæ depravant animos, leges violant, motus concitant, in Gentilium irrepſerunt mentes, Principatus, civitates, maximè Græcorum: qui ineptiis cumulabantur penè anilibus, immoderatis excita-

bantur concionibus, variis regebantur legibus, Imperiis, Diis: atque ipſi, ſic natura ad luxum proni, ut non dubitet Hortenſius Ciceronianus, quin quæcunque fuerit Socratis Philoſophia, lautum victum & elegantem, magnificè, neque minus quàm deceret, colere inſtituiſſet. Et quidem, is ab Ariſtotele ex iis cenſetur, qui parcius & minus, quàm ſit, loquuntur: & moribus elegantiores videntur eſſe. Ipſe Ariſtoteles veſte inſigni & annulo uti, atque oleo ſe ungere ſolebat calido. Lepidè Plinius: Tripatinum, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia: una erat Murænarum, altera Luporum, tertia Myxonis piſcis. inclinatis jam ſcilicet moribus, ut tamen eos præferre Græciæ etiam Philoſophis poſſimus. Siquidem in Ariſtotelis hæredum auctione LX. patinas venîſſe traditur. Juſtinus Scytharum laudat continentiam & juſtitiam, ac prorſus admirabile ait videri, hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptíſque Philoſophorum conſequi nequeunt: cultóſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari. tantò plus in illis profecit vitiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis: etiam Philoſophis. quorum videre licuit alios, ut ſcribit Cicero, tanta levitate & jactatione, iis ut fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos: multos libidinum ſervos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnaverit oratio: & ſapientia, ut ait Lactantius, non exciderit vitia; ſed abſcondiderit.

Quomodo,

Quomodo, & à quibus facta labes in doctrina apud Græcos: Philosophia antiqua & nova: doctrinarum divortia: unde Philosophorum sectæ variæ.

CAP. XIII.

HÆC de labe facta in moribus: in doctrina facta non minor. Antiqua sapientia, inquit Seneca, nihil aliud, quàm facienda & vitanda præcepit. & tunc longè meliores erant viri. postquam docti prodierunt, boni desunt. simplex enim illa & aperta virtus, in obscuram & solertem scientiam versa est, docemúrque disputare, non vivere. tanta facta est in disciplinis, & rationibus vitæ mutatio. Nam Græci à veteribus excepta sic depravârunt, ut orbem infecerint opinionibus novis, impiis, repugnantibus: quod (ut, quæ Lactantius & alii scriptores Christiani tradiderunt, sileam) ipse Porphyrius, pietatis & piorum hostis acerrimus, agnovit in tractatu de Electorum Philosophia, & in libris de anima ad Boëthum. ubi disertè laudat Ægyptios, Phœnices, Lydios, atque Hebræos inventores sapientiæ: in Græcos invehitur, quòd eam corruperint, & à veterum recedentes institutis sapientium, omnibus in rebus, quasi modò nascentes, hæsitârint. Quod illorum vitium pluribus antè seculis Aristoteles notavit, & scripsit contigisse, quòd otium nacti divitiis abundarent, atque auctis animis erectiores ad virtutem, jam ante res gestas in Medos, & posteà, quum magnificè de se sensissent, elati rerum gestarum gloria, omnem tractarent disciplinam, nec perficerent quidquam, sed semper inquirerent. Accessit institutio confusa, vaga, disjecta, incomposita, semper nova, privata: non, quam ille desideravit, publica, ad cujúsque naturam accommodata, atque in iisdem præceptis, atque in una ratione formata: non Hebraïcus ille in ediscendo

ordo, & ætatibus conveniens librorum lectio, à Gregorio laudata Nazianzeno: nec illa ordinata Ægyptiorum doctrina, ipsorum repræsentata mysteriis, à Clemente recitata Alexandrino: nec (quæ origo est & fons, à quo omnis fluit scientia, sapientia, virtus, atque veritas) agnitio veri Dei. Hinc utraque antiqua Græcorum sapientia, cùm prima ad usus apta vitæ, tum posterior de natura cum nomine ferè antiquata: novi sapientes, Philosophi ad disputandum projecti, in ratione vitæ errantes, de principatu contendentes, & in sectas abeuntes varias: quum alii alia arriperent ex diffusis disputationibus Socratis. A quo Philosophia à rerum cognitione ad mores, à consiliis de Repub. ad scholæ acumina traducta est: cùm sese opponeret & illis Sophistis, à quibus de re omni disserebatur, & antiquis Philosophis, à quibus numeri, motúsque tractabantur: causæ, ortus & interitus, siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, & cuncta cœlestia. Quibus ille rejectis omnibus, & simul ornatè dicendi scientia, coëgit de vita & moribus, rebúsque bonis & malis quærere. Hinc etiam alia nomina, antiqua Philosophia & nova: illa Pythagoræa, hæc Socratica. A qua facta etiam alia doctrinarum divortia, aliúsque in re civili lapsus: Philosóphi eloquentiam despexerunt, à rebus gerendis abhorruerunt, & oratoribus Rempub. & res civiles reliquerunt, ut Judæorum Caballistæ Talmudistis rerum gerendarum curas: oratores Philosophiam aspernabantur, se à re forensi subducentem. Ad hanc rationem mutata etiam nomina: Socratici à communi Philosophiæ nomine oratores separaverunt, sed quod Philosophorum proprium erat, perdiderunt. Nam olim, ut scribit Cicero, propter eximiam rerum maximarum scientiam à Græcis Philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur. Sed, quòd orti à Socrate dissentirent inter se, & plura genera efficerent Philosophorum: posteà ex particula parva urbis, ac loci, vel ab auctore, no-

men

men habuerunt: & Academici Philosophi, aut Peripatetici, aut Stoici, aut Cyrenaici, aut aliter nominabantur. Hinc Aristotelis querela de neglecta civili disciplina: hinc etiam illa Porphyrii de corrupta à Græcis sapientia, & apud Ciceronem Crassi de Græcorum ineptiis, disputationibúsque non necessariis.

De vindicata à confusione Philosophia, & illustrata parte politica.

CAP. XIV.

HÆC Philosophorum vitia & contentiones, maximam aspserserunt labem Philosophiæ: quæ certè omnem splendorem amisisset, nisi veteres Academici & Peripatetici, qui re non differebant, eam à confusione vindicassent, composita certa disciplinæ forma, quâ constitutus est rerum ordo: discussa caligo omnium partium Philosophiæ: locus, quem Cicero civilem, Græci πολιτικὸν appellant, graviter & copiosè tractatus: nec ullus prætermissus, qui ad mores, qui ad leges, qui ad Reipublicæ disciplinam pertinet. Quæ omnia, ut antè multò perceperint Hebræi, videndus Eusebius lib. xi. de præpar. Evang. atque ut ea Græci abs Hebræis, Phœnicibus, Chaldæis, & Ægyptiis hauserint lib. 10. Sin quæritur, quis inter Gentiles excelluerit, Aristoteli palma danda est, qui differendi & Philosophiæ penè totius, quam Socrates minimè probavit, perpolivit artem: varia, quæ ad naturam pertinent, illustravit: disjecta de moribus confecit in ordinem: & quod alienatis plerísque à re civili, & ad alia conversis in Lycæo non potuit, in aula fecit atque libris, quos scripsit varios de rebus politicis. In quibus, omnes rei civilis partes sic tractavit, ut Platonis, Speusippi,

Speusippi, Xenocratis, & superiorum omnium, qui de re scripserunt civili, luminibus obstruxerit, ac suis lucem prætulerit Peripateticis, qui hoc in genere præstiterunt omnibus. Inter primos Theophrastus, Cassandro charus & Ptolemæo, honoratus ab Atheniensibus, clarúsque auditorum celebritate duorum millium, & illis litteratis monumentis politicis, quorum memoriam Laërtius collegit. Hujus auditor Phalereus Demetrius omnes sui ævi Peripateticos peritia, rerum usu, librorum multitudine, & versuum numero superâsse traditur; ac scriptis de re civili, rebúsque præclarè gestis in Repub. excelluisse. Is (si quis alius) adversa, alto, magno, & invicto tulit animo. Nam post decennalem administrationem Reip. Atheniensis, cùm in invidiam raptus absens damnatus esset, indéque incursum in bona, & statuas eversas acciperet, dixisse fertur; At virtutem non everterunt, cujus gratia illas erexerant. Hos tres lubens commemoro, principes illius scholæ, quæ in re civili diligenter & utiliter elaboravit. vetera recensuit acta, & formas plurium Rerumpublicarum: usus aperuit vitæ; eventuum perquisivit causas: atque docuit, quibus regna & Respublicæ stetissent legibus & consiliis, erroribus concidissent: ac simul de Rebuspublicis ordinandis monita præclara dedit, ducta ab humanæ naturæ principiis, vitæ utilitatibus, moribus hominum, institutis gentium.

De varietate civilis difciplinæ: diffimilitudine Rerump. exiguitate plurium Regnorum: multitudine Rerumpub. Græciæ: amplitudine Romanæ: fcopo conftituentium & adumbrantium regna, & Refpub.

CAP. XV.

QUIBUS tamen in rebus, ut cunctis in humanis, cùm dominentur caufæ mutabiles, depravationes confuetudinum, opiniones variæ, viciffitudines eventúfque rerum: nullus unquam in his tenenda ad artem revocare potuit, & præcepta conftantia: nec nifi, quæ plurimùm eveniunt, fpectare in concinnanda difciplina civili. Hinc à variis multa tam variè, ut eadem de re diverfi diverfa ftatuerint; ac tanta diffimilitudine, ut nulla exftiterit five vera, five adumbrata Refp. quæ alteri fuit in legibus & magiftratibus fimilis. Ariftoteles, quo nemo plures collegit examinavítque Refp. [defcripfit enim CVIII. urbium Refp.] nemo obfervavit melius Rerumpub. errores, virtutes, varietates: tres folùm animadvertit in legibus atque moribus, non ita diffimiles, Cretenfem, Laconicam, Carthaginienfem: quas pari ornat laude, atque effert, ut cæteris multò præftantiores: & tamen diffimilitudines agnofcit in iifdem varias, errores in Laconica XVI. in Cretenfi VII. in Carthaginienfi IV. Scitè Craffus de oratoribus: Si omnes, qui ubique fuerunt oratores complecti voluerimus, quot oratores, totidem ferè reperientur genera dicendi. Similiter, fi omnes in urbibus conftitutas, & eruditorum ingeniis atque libris formatas Refpub. haberemus, tot formas ac fpecies cerneremus, quot auctores, & nullam alii fimilem. tanta eft in omnibus velut innata diffimilitudo. An ab ipfis legum, Rerúmquepub. conditoribus, quorum funt diffimiles & habitus animorum, & ufus rerum? An à natura locorum, propter cœli ac foli

 diffimi-

diſſimilitudines, in variis diſſimilium? unde diſſimilia procreantur corpora, formantur ingenia, mores induuntur, effunduntur fructus, commoditatéſque vivendi: quibus accommodare oporteat inſtituta atque leges: & in his ferendis duo ſpectari monito Ariſtotelis, nempè locum & homines. nec malè addideris vicinos finitimóſque, ut præſidiis muniatur omnibus vita civilis. Idem agnoſcit omnia ferè, quæ eò pertinent, adinventa: ſed alia non eſſe collecta & coacta: alia in uſum non adducta ab iis, qui ea noverunt. Quibus ſatis indicat, & imperfectam adhuc fuiſſe ſua ætate civilem diſciplinam, & neminem alterius inventa ſecutum. tam eſt difficile ea, quæ utilitate & propè naturâ diverſa ſunt, voluntate conjungere. Idcircò, ne mirere, diſſimilitudines civitatum, varietatem juris habere maximam: & Remp. non potuiſſe ullam formari, nec ferri leges, quæ omnibus convenirent locis, populis placerent: ne finitimorum quidem finitimis, aut ſociis ſociorum, aut bello domitis dominantium. Ipſi domitores orbis Romani bello victis gentibus ferendi ſolùm imperii leges dabant, non vivendi. De civili diſciplina, de moribus, de legibus, de religione, de majorum inſtitutis nihil immutârunt. Siquidem proſpiciebant his non ſolutis firmari ſatis imperium, majorem eſſe affectionum vim, quàm armorum: ſubjici armis provincias, ſub jugum mitti corpora: vinci non poſſe animos, voluntates flecti, mutari ingenia, naturas, mores. Heraclitus à ſuis rogatus Epheſiis, ut ipſis daret leges, contemſiſſe dicitur, quod jam eſſet aſſuefacta civitas peſſimis inſtitutis. quibus planè indicavit aſſuetis vim fieri non poſſe: quicquid enim leges jure vinciunt, mores uſu relaxant. Ex quo intelligi poteſt, integra fuiſſe ingenia: nóndum corruptas naturas, quæ prima iniverant conſilia conjunctionis humanæ, ac licentiam libertatémque ſibi præciderant vivendi, ut vellent: quaſi præſentientes veriſſimum, & illud Philonis: Quemadmodum urbes, ſic

cives,

cives, qui bonis se patiuntur regi legibus, liberi sunt: & istud Aristotelis: Vita ad Remp. accommodata, non est putanda servitus: nec est contra naturam se astringere vitæ civilis, & legum vinculis: quæ certè in constituendis Rebuspublicis non injiciuntur invitis. Arcades ferunt atque Thebanos, civitate condita justæ magnitudinis, Platonem rogâsse, ut in ea formaret Remp. sed eò non profectum, quòd intelligeret illos æqualitatem nolle: in qua, & in communione bonorum, uxorum, liberorum, ipse leges & Remp. fixit, & fundavit suam: eóque omnia, tanquam ad scopum direxit; quem Aristoteles ait perperam abs eo propositum: quia naturæ fundamenta pervertit, atque in primis libertatem: quæ ab animi non sejungitur affectione, qua quisque se diligit, avétque sibi semper aliquid tanquam proprium asciscere: deinde liberalitatem, quam, qui nihil suum possidet, exercere nequit: postremò honestatem, quæ cum pudore juncta libidinosas aversatur voluptates, incestas & promiscuas refugit, & abhorret conjunctiones: cogítque etiam permissarum dissimulare desiderium, & occultare usum propter verecundiam. His igitur & aliis cumulata vitiis illa Platonica, ab Aristotele omninò improbatur, & cæteris postponitur omnibus, tam adumbratis, quàm constitutis. Non est prætereundum, quod ipse tradit, veteres nominâsse rectiones populares, quas posteri Respub. Quæ certè principio, & exiguæ fuerunt, ut ipsa regna, ex quorum ruinis creverant, & plures numero in Græcia, quàm in ulla ora, partéve terrarum. Hinc plura de Rebuspub. à Græcis scripta leges, quàm à cæteris totius orbis gentibus. at nulla antiquissimæ memoriæ: quia nullam penitùs reperies primis seculis, florentis aut constitutæ Reip. mentionem, in ullo monumento vetere. ut non sit qnod mirere, regna tunc fuisse plurima, & ferè omnia, si Assyriam, Mediam, Persidem, Ægyptum, & Macedoniam post Philip-

pum

pum Amyntæ filium exceperis, modicis terminata finibus: veluti illa XXXI Regum, qui Josue ceciderunt armis Jos. 12. & LXX. qui captivi colligebant reliquias sub mensa Adonibezech. Judic. 1. & XXXII. qui ad Benadab regem Syriæ in auxilium venerant contra Achab regem Israël 3. Reg. 20. & XII. Regum Arabiæ, de quibus Melo apud Eusebium: & regna Regum, quos Sesostris Rex Ægypti superbissimus solebat, ut scribit Plinius, annis quibúsque sorte singulos jungere ad currum, & sic triumphare. Quid ipsa Roma?

Parva fuit, si prima voles elementa referre.

Sed, & in eo conveniunt ejus primordia cum Græcis, quòd fuerit primò regnum, deinde Respub. licet postmodùm à prima Græcorum, & suis principiis longè discesserit: fueritque omnium, quæ in orbe exstiterunt, dominationum (Hebræam semper excipio) perfectissima: sive usum, diuturnitatem, & eventa observes, monito Aristotelis: sive formam ex mediis fere compositam civibus (hæc illius judicio optima est) & sic ex tribus temperatam generibus regali, optimatum, & populari: ut quo fuerit ex genere oculati nóndum viderint sapientes, nec augures divinârint politici. Hanc Polybius describit exquisitè, & eleganter ostendit, quibus fuerit composita ordinibus, firmata viribus, astricta retinaculis, ligata vinculis, librata ponderibus: & quemadmodum fuerit tanquam paribus examinata lancibus, ut staret rectà, nec in hanc aut illam inclinaret partem. At casus tandem vicissitudinésque sensit rerum: & quæ orbis excitavit incendia, aliorum strage steterat, arma fregerat, vires debilitârat: suis conflagravit ardoribus, concidit motibus, armis, mole, viribus. Qua de re stupenda, quæ sagax præsensit Cicero, copiosè satis diximus libro de statu Urbis imperantis Orbi: ubi domitricis ostendimus Reip. & imperii libertatem perditam per potentiam translatam, primùm ad paucos, deinde ad unum, posteà ad armatos.

Cujus

Cujus secuta conversio, aut potiùs interitus, planum facit, nihil esse rebus in humanis certum, constans, perenne. Etenim, ut vita hominis, sic Respub. quæ vita quædam civitatis est, fato debetur. quod ne veniat, nullis potest legislatorum provideri consiliis, nedum extremum, dum venit, flecti. Qua cogitatione Sulpicius se confirmatum scripsit, cùm ex Asia rediens regiones circumspiceret, in quibus olim fuerat Ægina, Megara, Pyræus, Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima, tunc prostrata & diruta jacebant. Hinc tum ille: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco, tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Hæc & similia qui meminerit, mirari desinet, nihil eruditam Græciam, nihil domitricem orbis Romam, contra suos potuisse casus & interitus. Cicero monumentum positurus filiæ, quam tantoperè dilexerat, ad Atticum scripsit de ratione ineunda, quemadmodum in omni mutatione dominorum, in infinita posteritate illud quasi consecratum remanere posset. & addidit: Si modò hæc stabunt, Romanam intelligens Remp. & Imperium: de cujus diuturnitate non sine causa dubitabat. Et nihilominus voluit in eo, quod sacrare statuerat, simulacrum quoddam æternitatis fore. Non secus illi, qui Respub. vel in civitatibus constituerunt, vel scriptis formârunt, & expresserunt libris, vel leges tulerunt, etsi fluxa novissent omnia: illas tamen, veluti permansuras, & nullo perituras ævo, ad omnem æternitatem conformabant. Hoc enim spectârunt, hoc voluerunt omnes, æternas esse Respub. leges æternas, æternam esse civium conjunctionem, utilitates, salutem. Hoc sibi spatium constituerunt omnes, & in eo cucurrerunt, alii licet alios sic tenuerunt cursus, ut à variis variæ prodierint leges, regna, Respub. ut diximus in Tractatu de Processu & Scriptoribus Rei Politicæ.

In summa, rerum humanarum Status à Deo pendet, & divina in animis sparsa sunt semina: quæ non in omnes

similia

ſimilia inciderunt, nec eandem reperêre concipientem naturam, & materiem. Sunt enim mortalium ingenia atque mentes, inſtar agrorum.

Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque immenſa vireſcunt
Gramina. nónne vides croceos, ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?

At Chalybes nudi ferrum——

Iſta, inquit Seneca, in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi invicem alius ab alio aliquid peteret. Idem fuit Apoſtoli judicium de data unicuíque ſecundum menſuram gratia, & D. PETRI de ea exercenda monitum: Unuſquiſque inquit, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtret, ſicut bonus diſpenſator multiformis gratiæ Dei.

Qui multa in cunctas diſpenſat fœdera partes:
Altera ut alterius vires faciátque, ferátque:
Summáque per varias maneant cognata figuras.
Exemplum inde Dei quiſque eſt in imagine parva.

GULIELMI BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM

Augusti Regis Magnæ Britanniæ, &c.

De Statu *liber secundus inscriptus* Ciceronis Princeps, sive, De Statu Principis et Imperii.

Hic liber II. & III. in nomine apparuerunt Serenissimi Principis Henrici, Principis Scotiæ, et Walliæ : qui nunc ævum degit immortale.

——— *Uno avulso*, Non Deficit Alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Principis est virtus maxima,
nosse suos.

AD SERENISSIMUM

PRINCIPEM HENRICUM,

Principem Scotiæ, & Walliæ.

QUI clavum Imperii tenuêre (Princeps Sereniſſime) rem complexi fuiſſent gravem, ſe dignam, multis utilem : ſi, non acta modò, ut Reges Perſarum, ſed obſervata in uſu & ratione imperandi, naturáque populi, & à ſucceſſoribus tenenda, ſcriptis tradidiſſent. Nam, quæ præclarè gerunt Imperantes, ævi putantur unius : quæ uſu, tractandóque percepta ſcribunt, & adornant monitis, utilitatem habent permanentem, & plenam auctoritatis. Sed qui hæc præſtiterit, in annalium monumentis quæro, non invenio Principem. Auguſtum video Cæſarem libellum ſua ſcripſiſſe manu de viribus, atque opibus Imperii : ejus exemplo Caligulam, & Coſmum Ducem Hetruriæ ærarii tabulas confeciſſe : Imperatorem Baſilium, in decurſu ætatis, monita dediſſe filio : Caroli quinti admonitionem factam filio, in regnorum renunciatione celebrem haberi : plures in morte præcepta dediſſe liberis. At qui valetudine firma, ætate florente regnandi præſcripta filio tradiderit, aut in iis, quæ deſideramus, elaborârit, ſi ab Auguſto Parente tuo diſceſſerimus, habemus, qui exſtet, neminem. Hæc ſingularia ſuſpicimus, illa omiſſa deploramus : relictámque à Conſtantino Porphyrogeneta filio memoriam, actis illuſtratam & conſiliis ſuorum temporum, adhuc latere, nec in lucem prodire orbis, dolenter ferimus : & ſimul querimur nulla exſtare de Rep. & Imperio ſcripta veterum, qui pub-

lica tractârunt gubernacula, præter quædam vagè sparsa in Cicerone: quæ, ne inhonorata maneant, se efferunt: & velut animulæ relictis corporibus in lucem excedunt: ad tuam festinant, ductu principis, qui iis, quasi manipularibus dispositis sub signis XXIV. agmine quadrato ad te proficiscitur: ut te Imperatore mereat, ac testetur, mihi non deesse voluntatem, ad ea præstanda, quibus obstringor, ut

Omni nexu, & usu tuus

G. BELLENDENUS.

Idibus Mart. CIↃ. IↃCIIX.



A. Ramsay pinxit 1761. — J. Jones fecit

"secundis
Temporibus dubiisque rectus;

Consulque non unius anni,
Sed, quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili."

HONORATISSIMO VIRO
FREDERICO DOMINO NORTH

Qui in æquabili et temperato dicendi genere
facilè primas tenet:
Quem ſciunt omnes, tum in ſermone tum moribus
Gravitatem ſervare,
Non triſtem illam ac tetricam,
Sed comitate quadam et lepore
ſuaviſſime conditam:
Qui optimorum et Civium et Virorum
Amicitia digniſſimus,
novit ſimpliciter et candide ponere inimicitias:
Cujus nunquam in Clientium turbam infidelem
ingratamque
juſta exarſit ira;
Nunquam in legibus inſtitutiſque Majorum defendendis
Induſtria elanguit;
Nunquam perturbatis temporibus, ſua cum res
ageretur,
Fides Virtuſque contremuit,
Librum huncce in ſummæ Obſervantiæ,
Admirationis, et Pietatis
teſtimonium.

D. D. D.

A. E. A. O.

INDEX CAPITUM.

LIB. II.

D 2 *De*

GULIELMI BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM

Augusti Regis Magnæ Britanniæ, &c.

DE STATU *Liber secundus, inscriptus Ciceronis Princeps, sive de Statu Principis & Imperii.*

De Excellentia Principatus & Imperii: causa, atque origine vitæ civilis, juris, Rerump. civitatum, urbium.

CAP. I.

OMNEM naturam necesse est, quæ non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio conjuncta atque connexa, habere aliquem in se principatum: ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus: in Republica magistratum, ut præsit præscribátque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Principatus aliquis in omni ferè natura.

Nihil porrò tam aptum est ad jus conditionémque naturæ, quàm imperium: sine quo, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominum vita jussis supremæ legis obtemperat, ac se regi patitur imperiis. Imperium ad naturam ¶súmque vitæ aptum, & necessarium.

Principatus firmamentum, & vinculum, benevolentia.

Ad hæc verò, quum ſe benevolentia applicat, & adjungit, firmamentum affert ſtabilitatis ejus, quam in principatu quærimus. Non eſt enim inhumana virtus, neque immanis, neque ſuperba, quæ adjutrix naturæ populos univerſos tueri, eíſque optimè conſulere ſoleat: velut ſalutare dominatus regii, & ſocietatis humanæ præſidium, conciliatrix, & vinculum à natura conſtitutum.

Vita agreſtis ſine religione, jure, & principatu.

Fuit quondam tempus, cùm in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quidquam, ſed pleráque viribus corporis adminiſtrabant. Nóndum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo legitimas viderat nuptias, nec certos quiſquam inſpexerat liberos: non jus æquabile, quid utilitatis haberet, acceperat: ita propter errorem atque inſcientiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam, viribus corporis abutebatur, perniciofiſſimis ſatellitibus. Qui igitur primi virtute & conſilio præſtanti exſtiterunt, ii perſpecto genere humanæ docilitatis, atque ingenii, diſſipatos unum in locum congregârunt, eóſque ex feritate illa ad juſtitiam atque manſuetudinem traduxerunt. Tum res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus, cùm conventicula hominum, quæ poſteà civitates nominatæ ſunt, tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus, invento & divino jure, & humano, mœnibus ſepſerunt.

Initia vitæ civilis, juris, Rerumpub. civitatum, urbium.

De Præſtantia Regalis Imperii: cauſa, & origine Regum, atque Legum.

CAP. II.

Imperium regium in uſu apud omnes veteres;

ATQUE, ut ad citeriora veniam, & notiora nobis; Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt. quod genus imperii, primùm ad homines juſtiſſimos defe-

deferebatur, ídque in Republica noſtra maximè valuit, quóad ei regalis poteſtas præfuit: deinde etiam deinceps poſteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet, cum purpura & ſceptro, & illis inſignibus, quæ ad regum ſtatum pertinent.

Ac mihi, quidem non apud Medos ſolùm (ut ait Herodotus) ſed etiam apud majores noſtros fruendæ juſtitiæ cauſa videntur olim benè moderati Reges conſtituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem: qui cùm prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis, pari jure retinebat. Eadémque conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ Regum: jus enim ſemper eſt quæſitum æquabile, neque enim aliter eſſet jus: id, ſi ab uno juſto & viro bono conſequebantur, eo erant contenti: cùm id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis: adjuncto verò, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.

Cur Reges conſtituti.

Eadem cauſa legum, quæ Regum.

Juſtis & prudentibus imperia data apud veteres.

De Difficultate regnandi: fundamentis, & artibus Reip. atque Imperii.

CAP. III.

QUIBUS autem regia poteſtas non placuit, non ii nemini, ſed non ſemper uni parere voluerunt. Quare cùm permagni hominis eſt, & ipſa natura moderati, tum

Qualis, & quantiſit Principis, firmum & diuturnum reddere imperium?

verò etiam doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, ut nulla alia poteſtas ab iis, quibus præſit, deſideretur. Eſt enim ars difficilis, rectè Rempub. regere, imperio præeſſe.

Fundamenta Reip. & Imperii.

Hujus autem hæc fundamenta ſunt, hæc membra, quæ tuenda Principibus, & vel capitis periculo defendenda ſunt: religio, poteſtates magiſtratuum, Senatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, juriſdictio, fides, provinciæ, ſocii, imperii laus, res militaris, ærarium.

Duæ artes politicæ.

Duæ ſunt artes, quibus hæc præſtari, & omnia, quæ ſunt in imperio atque ſtatu defendi putantur, ſcientia imperandi, & adminiſtrandæ Reip. diſciplina.

Ars Imperatoris.

Quarum altera utilem, & valde neceſſariam Principi continet doctrinam, de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidiis faciendis, atque vitandis: de reliquis rebus, quæ ſunt propriæ belli adminiſtrandi.

Ars Rectoris Reip.

Altera neceſſitatem habet non minorem, utilitatem ſæpè majorem: cùm ei quaſi materies, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta ſit rerum civilium prudentia, juris publici auctoritas, monumenta rerum geſtarum, vetuſtatis exempla, & res cæteræ, quibus Reip. utilitas paratur, augetúrque.

Uſus vitæ politicæ.

Jam verò iſta licet poſita ſint in præceptis, tamen his in omnes partes uſus vitæ politicæ conformari nequit: cùm oporteat, quæ ſunt in fortuna, temporibus regere, conſiliis providere, more noſtrorum: qui ſemper ad novos caſus temporum, novorum conſiliorum rationes accommodârunt.

Prudentia politica, quibus modis paretur.

Ita hæc, quæ ſtatuitur prudentia in rebus publicis, paratur, & acquiritur, non alicujus quotidiana loquacitate, non ex ſcholis cantilena, non in libris adumbrata

Rep.

Rep. ſed rerum notitia maximarum, multarum memoria, uſu plurimorum negotiorum, exercitatione aſſidua, & illa graviſſimi uſus diſciplina, quæ perficitur obſervatione diuturna rerum, quæ prodeſſe ſolent, aut obeſſe Reip.

De Principis officio in genere: quæ is ſcire, præſtare, cogitare, debeat.

CAP. IV.

HABENT, quæ eò pertinent, varios actus, & conſiliorum, & temporum, in ſumma rerum adminiſtranda: & hæc gravem curam diligentiámque deſiderat, quam ipſe Princeps ſuſtinet. Principis cura in ſumma rerum.

Nam cùm dirigi formaríque debeat conſiliis atque factis honeſtis, & utilibus: eluceat in iis oportet Principis ingenium, atque virtus.

Etenim, ut ſalvum ſit imperium, prudentia, quæ in delectu bonorum & malorum cernitur, acuenda erit in conſiliis advocandis, habendis, dimittendis, petendis, dandis, capiendis, communicandis, mutandis, abjiciendis: atque etiam in actionibus, & negotiis ſuſcipiendis, exſequendis, committendis. Prudentia in quibus acuenda.

Quæ omnia, cùm ſint de Rep. caput eſt noſſe Rempub. ídque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios Reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum, cauſam Imperii, jura publica, mentem, morem, diſciplinam Reip. Quid ſit noſſe Remp. A Principe tenenda.

Ut enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic moderatori Reipub. beata civium vita propoſita eſt: ut opibus firma, copiis locuples, Quid moderatori Reip. propoſitum?

ples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines atque optimi, Principes esse effectores volo.

Quando contrahitur culpa?

Non animadverterunt omnia: si scientes prætermittunt, magna culpa est, & rei fiunt alienæ, si provideri potuit, ne existeret. Culpa autem nulla est, cùm id, quod ab homine non potuerit provideri, evenerit. Quod persæpè sapientissimis viris accidit, ut quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis: sic illi fortunæ impetum superare non possent. Sed hanc pauci ducunt rationem: omnia desiderantur ab eo; tanquam nihil denegatum sit ei, quominus omnia posset, qui publico negotio præpositus est.

Quæ desiderantur à Principe.

Conditiones administrandarum provinciarum.

Quid referam oculos ad conditiones miseras administrandarum provinciarum? in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa: frons omnium familiaris: multorum animus iratus: iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ: venientes Prætores expectant, præsentibus inserviunt, abeuntes deserunt.

Virtus à Principe præstanda.

Multa hujusmodi eveniunt summis Principibus. Sed ipsorum est, quod virorum fortium, virtute præstare tantùm, ut possint fortunæ culpam non extimescere, rectè veréque sentire, & sapienter facere, non minus multa, quàm fortiter.

Virtus non ponderanda eventis.

Nam etsi plerique consilia eventis ponderent: & cui benè quid processerit, multùm illum providisse: cui secus, nihil sensisse dicant: mihi semper persuasum fuit, non eventis, sed factis, cujúsque virtutem & fortunam ponderari.

Quis poterit omnia perpetuà præstare Reip.? quis sic clavum imperii tenere, & gubernacula tractare in omni cursu & fluctibus, ut adversa tempestate in alto non jactetur, & fluitet?

Tu da operam, ut navem rectam teneas: utinam prospero cursu. Sed ubicunque venti erunt, sat, si ars tua non aberit. quid enim aliud præstare virtus potest? Ars à virtute præstanda.

Nunquam desine, sive intendas rebus animum, sive relaxes, & remittas, considerare, quem teneas principatum: qua partum, auctum, & retentum majorum virtute, solicitudine, gloria: qua servandum, administrandum, & firmandum tua. Cogitatio Principis in tribus desigenda.

Virtutis disciplinam meliorem reperies nullam, quàm contemplationem, atque imitationem clarorum Principum. Disciplina optima.

Noctu ambulabat in publico Themistocles, quòd somnum capere non posset: quærentibúsque respondebat, Miltiadis trophæis se è somno excitari. Cur de nocte vigilet Themistocles?

De Prudentia tenenda in deliberationibus, consiliis, & actionibus.

CAP. V.

UT benè provisa, & diligenter explorata principia ponantur, de re gerenda delibera accuratè, & considera, quàm illa res honesta sit: & si habeas efficiendi facultatem. Principia & media deliberanda, consideranda.

Priusquam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens, & aliquantò antè constituendum, quid accidere possit in utramque partem: & quid agendum sit, quum quid evenerit: ne committas, ut aliquando dicendum sit, non putâram. Præparatio necessariorum, & futurorum præmeditatio.

In consiliis saniora putentur ea, quæ perpetuæ pacis rationem habitura sint, nihil insidiarum: in quo, si mihi obtemperatum esset, si non optimam, at aliquam Remp. quæ nunc nulla est, haberemus. Consilia saniora.

Sententiam sententia vincat melior.

Nec

Agentis sinceritas, & considerata cogitatio.

Nec agas quicquam, cujus non habeas causam probabilem. Nihil enim per se amplum est, nisi in quo judicii ratio exstat. Et diu sanè cogitandum est in eo, quod semel admissum, coërceri, reprimíque non potest.

Honesta cautis præponenda.

Malo interdum multi te non cautè, quam pauci non honestè fecisse existiment: atque omnibus te in factis, re potiùs, quàm teste moveri: ut habeare dignus, QUICUM IN TENEBRIS MICES: & nostri imitator Senatus: qui nunquam utilitatem à dignitate sejunxit.

Pudeat sentire, quod pudeat dicere: nec committe, ut videaris facere, quod scias non licere, vel omninò nescire quid liceat. Hoc enim inertis est.

Injuria quando inest in dubitatione?

Benè præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat injuriæ.

Et piè judicant, qui sceleratum & impium censent deliberare, utrum id sequare, quod honestum esse videas, an te sciens scelere contamines. in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non perveneris.

Quando facinus?

Regium non esse puta, sic vivere, ut velis: nec omnes esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est, non adipisci quod velis, quàm adipisci velle, quod non oporteat.

Quid vivere, ut velis?

Magnis imperiis & provinciis præes. Gere igitur animum laude dignum: & regium existima, ita vivere, ut non modò homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias: contemnere omnes libidines: sentire liberè: populi utilitati magis consulere, quàm voluntati: contra periculosas hominum potentias conditioni omnium civium providere: nemini in his cedere: multis obsistere.

Animus Principis.

Vita regia.

Semper memineris, quod dignitas tua facit, ut animadvertatur quicquid facias.

Aurea cohortatio.

Quæ

Quæ multùm ab humanitate difcrepant facilè apparent in omnibus: quæ parva videntur, neque in aliis tam notantur, ea in principe eminent, & animadverti folent. Quo in genere non eft incommodum, quale quidque eorum fit, ex aliis judicare, & privatis, & Principibus: ut fi quid dedeceat in illis, vites ipfe.

Cogita, quàm non fit facilis virtus, quàm verò difficilis ejus diuturna fimulatio. nemo enim poteft perfonam, quam fictam induit, diu ferre.

Nihil fiat quod periculofam imitationem exempli aliis in pofterum prodat. Multi, quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant: & aliquid, atque adeò permulta addunt, & afferunt de fuo. Exempla periculofa.

Principis autem magni eft facere, quod non folùm ad tempus maximam utilitatem affert, fed etiam ad exemplum: nec quid agere, cui famam, liberrimam Principum judicem, vellet ignofcere. Principis magni facta ad exemplum utilia. Fama judex Principum.

De Prudentia tenenda in malis præcavendis: & incidendis motuum principiis, mediis, reliquiis.

CAP. VI.

VIGILANDUM eft femper ad præcavenda mala, & ne quid intra cutem fubfit vulneris: quod prius nocere poteft, quam fciri, curaríque poffit. Vigiliæ ad præcavenda mala.

Plurimùm ratio poteft, & diligentia, tum ex re, & ex tempore confilium. Eft non alienum à dignitate regia, quod ipfi Agamemnoni Regum Regi fuit honeftum, habere aliquem in confiliis capiendis Neftorem. Apud Homerum fæpiffimè ille dux Græciæ nunquam optat, ut Ajacis fimiles habeat decem, fed Neftoris: quod fi acciderit, non dubitat, quin brevi Troja fit peritura. Quatuor Principi in rebus gerendis adeffe debent. Optatum Agamemnonis.

Nunquam

Nunquam tibi defit hujufmodi, quocum omnia, quæ te cura aliqua afficient, unà communices, qui te amet, qui fapiat, quîcum loquaris, nihil fingat, nihil diffimulet, nihil obtegat.

Princeps quando fibi Senatus.

In rebus fubitis, & anguftis, hoc animo effe debes, ut nihil aliò rejicias : ipfe tibi fis Senatus.

Celeritate utendum in principiis feditionum.

Nihil eft periculofius, quàm fpatium confirmandi fefe iis dare, qui novari aliquid volent.

Media incidenda.

Incidere femper oportet media, ne nimis ferò ad extrema veniatur. Omne malum nafcens facilè opprimitur, inveteratum fit plerúmque robuftius.

Non augenda impunitate.

Improbitatem itaque retundere, & non pati impunitate augeri, non folùm utile eft, fed etiam neceffarium: ut audaciæ perditorum, & folicitudinis tuæ finem reperias.

Planci confilium.

Sapienter Plancus in bello Antoniano, maturandum priùs cenfuit, quàm hoftes corroborarentur, & purturbarentur noftri : in quo, fi celeritas fuiffet adhibita, Refp. in poffeffione victoriæ, deletis fceleratis, permanfiffet.

Momenta temporum.

Non ignorabat ille in Rep. verfatus, quanta momenta fint in ea temporum : & quid interfit, idem illud, utrum antè, an pòft decernatur, fufcipiatur, agatur.

Omnia quæ feverè decreta funt illo tumultu, fi aut quo die dixi fententiam, perfecta effent, & non de die in diem dilata : aut ex quo tempore fufcepta funt, ut agerentur, non tardata & procraftinata, bellum nullum habuiffemus.

Cautio in ulcifcendo.

In nefariis civibus ulcifcendis, cùm poffis, quàm pertimefcendis, diligentior cautio eft.

Quatuor moderationis regulæ.

De his illud valdè confiderandum eft, ne quid temerè, ne quid diffolutè. Ejúfque rei moderatio Principis magni

I. eft : ut in duces & fontes vehemens fit : liberalis in multitudinem, fortunâ magis, quàm culpâ peccantem.

II. Omnia publico confilio, præfidióque : ne videatur vi, atque impreffione evertere.

Non

Non ex alieni ſenſus conjectura, aut cæca ſuſpicione: ne vel obterantur malevolorum obtrectatione & invidia innocentes: vel aperiantur ad ſordes eluendas venæ omnes, atque viſcera. III.

Et quod caput eſt, excitanda erit animadverſio, & prudentia: ut ſit, non modò conſilium in providendo, ſed etiam judicium in conficiendo: ne id ipſum, quod vereatur, ita caveat, ut cùm vitare fortaſsè potuerit, ultrò arceſſat, atque attrahat. quæ ſtultitia timoris magna eſt. IV.

Futura explorando.

Semper in præſentibus malis prohibendis, futura quoque niſi antè occurſum ſit, explores, ne ſe inſinuent.

Reliquiis providendum.

Ne ſint reliquiæ providendum: impolitæ enim res & acerbæ, ſi erunt relictæ, quamquam fuerint abſciſſæ, tamen efferent ſe aliquando, & ad renovandum bellum revireſcent.

Eſt non minùs tutum extrema depellere, quàm prima repellere.

Dilata pernicies periculoſa.

Utrúmque judicio, neutrum diſſolutè: ne in breve tempus dilata ſit pernicies. Ut enim gravius ægrotant ii, qui cùm levari morbo videntur, in eum de integro inciderunt: ſic vehementiùs laborant, qui profligato bello, ac penè ſublato, renovatum bellum gerere conatur.

Cautio graviſſima.

Cavendum etiam: ne vindex unius mali, auctor ſit alterius, fundamentum & radices habituri altiores. Noſtris tumultibus ſemper primi cujúſque mali cauſa excidendi, cauſa fuit, cur aliud renaſceretur illo pejus.

De cautionibus adhibendis, in variis motuum, & seditionum causis.

CAP. VII.

Cautio in obscuris odiis.

STULTITIAM puta, aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut in quo nihil noceas, ostendere voluntatem nocendi.

Consilia tegenda.

Illius probantur consilia, qui se muniendum putavit aucto exercitu, auxiliísque multiplicatis: ut cùm præferret sensus apertè, tum etiam invitis quibusdam, sciri quid defensurus esset, non esset periculosum. Is multa, ut ad effectum horum consiliorum perveniret, simulavit: quòd præmatura denunciatio imparati, quàm pericnlosa esset, ex casu collegæ vidisset.

Cautio contra conventus.

Providendum, ne viri nobiles simulatione communium negotiorum, officiorúmve coëant, & arma parent ad cædem, aut tumultum.

Concordiæ consulendum.

Si qua est inter populos, sive ordines dissensio, elaborandum, ut ex ea ad concordiam evocentur. Et, si qui fervor mentium inveteravit, ut in opinionum æstu, studiísque honorum evenire solet (horum enim quisque retinens est, nec cedit facilè) fit sine progressu ad acerba: nec ita dissentiant, ut de communi salute non idem sentiant: sed potiùs certent de amore Reipublicæ.

Liberi nobilium.

Nobilium virorum liberos his opinionibus imbuendos cura, ut ne quas maximas inimicitias residere in suis familiis arbitrentur.

Conciones moderandæ.

In concionibus adsit moderatio, ne turbulenti, aut temerarii cujusque lingua, quasi flabello seditionis, populus incendatur, ut ille Græcorum: quorum totæ Resp. sedentis concionis temeritate administrantur. Itaque, ut hanc Græciam,

Græciam, quæ jam diu ſuis conſiliis perculſa & afflicta eſt, omittam: illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata, ac licentia concionum. Cùm in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignaríque conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant, tum ſeditioſos homines Reip. præficiebant, tum optimè meritos cives è civitate ejiciebant. Quòd ſi hæc Athenis tum, cùm illæ non ſolùm in Græcia, ſed propè cunctis gentibus enitebant, accidere ſunt ſolita: quam moderationem putatis in Phrygia, aut in Myſia concionum fuiſſe?

Græcia periit licentia concionum.

Athenarum fama celebris.

Sæpè videmus, ut mare, quod ſua natura tranquillum ſit ventorum vi agitari, atque turbari: ſic et populum ſua ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum vocibus, ut violentiſſimis tempeſtatibus, concitari. id ne fiat providendum.

Ut mare, ſic populus.

Danda etiam opera, ne diſſeminatis diſperſiſque ſermonibus, tua lædatur exiſtimatio. nec ſatis erit, eum, qui ſic peccârit, pœnitere: ut & ipſe, ne quid tale poſthac, & cæteri ſint ad ſimilia tardiores.

Exiſtimationi conſulendum.

Coërcendi ad exemplum, libellos aut carmina probroſa qui emiſerint. XII. tabulæ, cùm perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt. *Si quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam afferret flagitiúmve alteri.* quid Principi?

Curandum etiam, ne quis de Statu temerè loquatur, rumoréſ-ve ſpargat in ullo caſu Reip. præcipuè in bello, ac maximè civili: quod opinione plerumque & fama gubernatur

Nil temerè de Statu.

P. Vatienus, cùm è præfectura Reatina Romam venienti noctu, duo juvenes cum equis albis dixiſſent, Regem Perſen illo die captum, Senatui nunciavit: & primò, quaſi temerè de Rep. locutus eſſet, in carcerem con-

Hiſtoria ſingularis.

jectus eſt: pòſt à Paullo litteris allatis, cùm idem dies conſtitiſſet, & agro à Senatu, & vacatione donatus eſt.

Cautio in accuſationibus, & contra delatores.

In his tamen omnibus adhibenda prudens cautio, ne auris detur infenſis, qui inimicos ſuos morte affici volent, vel quòd eos metuant, vel quòd oderint: nec iis, qui ut canes venatici odorantur omnia: & inopia criminum falſa inferunt: quæ in metu & periculo cùm creduntur faciliùs, tum finguntur impuniùs. Hoc genus hominum aliis exitia parantium, ſcire deberet ſibi paratam peſtem, ut participet parem.

Non danda materies ſermonis, aut rumoris improbi.

Non detur malevolis probabilis materies ſermonis: hanc enim nacti, conabuntur alienare voluntatem ſociorum, aut civium.

Non danda etiam occaſio improbioris famæ: cùm ratio ſalúſque omnium, qui ad Remp. accedunt, non veritate ſolùm, ſed etiam fama nitatur: nam licet è macello laus petenda non ſit, eſt tamen ſæpè populo & ſcenæ, ut dicitur, ſerviendum: & omninò expetenda bona fama bonorum: ut libenti animo, ſtudioſéque Principis voluntati, commodis, opinioni in gubernanda Rep. ſerviant, & obtemperent. Non enim mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet benevolentiam. Fundamenta illius ſunt juſtitia, liberalitas, conſtantia: ſine quibus nihil poteſt eſſe laudabile.

Expetenda bona fama.

Fundamenta famæ.

De condecentia à Principe tenenda, & ejus novem adminiſtris; quibus felix, & auguſtus redditur Princeps, atque Principatus.

CAP. VIII.

Decora Principi.

OMNI in re quid ſit veri, videre, ſentire, & tueri decet: imperii dignitatíſque ſuæ retinentem eſſe: omnia facere forti ac libero animo: quem ſine conſtantia & æqua-

æquabilitate nullum esse putâris. Omnino, si quicquam est decorum, nihil est profectò magis, quàm æquabilitas cum universæ vitæ, tum singularum actionum.

Præclara certè ea est in omni vita, & idem semper vultus, eadémque frons: ut de Socrate, itémque de Caio quoque Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus gestis & gloria superatum à filio, facilitate & humanitate video superiorem esse. Itaque alter semper magnus, alter sæpè turpissimus fuit. ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius, & perspiciamus rerum humanarum imbecillitatem, varietatémque fortunæ. I. Æquabilitatis præstantia. II. Facilitas. III. Humanitas. Comparatio Philippi & Alexandri.

Theophrastus interitum deplorans Calisthenis sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur. Itaque dicit Calisthenem incidisse in hominem summa potentia, summáque fortuna, sed ignarum, quemadmodum rebus secundis uti conveniret. Theophrasti judicium de Alexandro.

Laudabilior Cyrus ille à Xenophonte, non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii, cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim prætermissum in iis officium diligentis & moderati imperii. Cyrus Xenophontis. IV. Gravitas. V. Comitas.

Atque ille quidem Princeps ingenii & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent: aut ii, qui regerent, omne studium in doctrina ac sapientia collocâssent. hanc conjunctionem videlicet potestatis ac sapientiæ, saluti censuit civitatibus esse posse: quod fortasè quondam universæ Reip. nostræ contigit, ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina, cui in virtute, atque humanitate percipienda, plurimùm à pueritia studii fuisset, & temporis collocatum. Quæ Resp. beatæ? VI. Doctrina. VII. Sapientia. Salus civitatis.

Socratis opinio de felicitate Principum.

In Gorgia Socrates, cùm eſſet ex eo quæſitum, Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatiſſimus haberetur, nónne beatum putaret? haud ſcio (inquit) nunquam enim cum eo locutus ſum. Ain tu? An aliter id ſcire non potes? nullo modo. Tu igitur ne de Perſarum quidem Rege magno potes dicere, beatúſ-ne ſit? An ego poſſum, cùm ignorem quàm ſit doctus, quàm vir bonus?

Qui Rex beatus. VIII. Bonitas.

IX. Altitudo animi.

Ad hæc tibi propone altitudinem illam animi, unam eſſe omnium rem præclariſſimam, & maximè dignam Principe, quæ nihil à ſtatu naturæ diſcedit, nihil à dignitate ſapientis: réſque gerit pro ſalute communi magnas, & vehementer arduas, plenáſque laborum, & periculorum.

De Imperii moderatione, & rationis uſu Principibus conveniente, à Barbaris neglecto.

CAP. IX.

Quale debet regentis eſſe imperium?

SIC Principum, ſic magiſtratuum, ſic populorum imperia civibus ſociiſque præſint, ut parentes liberis, corporibus animus. Munus autem animi eſt, ratione benè uti: & ut ſapientis animus, ſic Principis ita ſemper affectus eſſe debet, ut ratione optimè utatur. Qualis ille ſit, quem tum moderatum, alias modeſtum, & temperatum, alias conſtantem continentémque dicimus. Nonnunquam hæc vocabula ad frugalitatis nomen, tanquam ad caput, referre volumus: quod niſi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud ita pervulgatum eſſet, ut jam proverbii locum obtineret, *Hominem frugi omnia rectè facere.* Hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Frugi hominem dico, non multum habet laudis in Rege: fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt regiæ laudes, illa privata eſt. Ut volet,

Ut affectus debet eſſe animus Principis.

Homo frugi.

Regiæ virtutes, atque laudes.

volet, quiſque accipiat: ego tamen frugalitatem, id eſt, modeſtiam, & temperantiam, virtutem eſſe maximam judico. non ita Xerxes: qui refertus omnibus muneribus, donísque fortunæ, non equitatu, non pedeſtribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium ei propoſuit, qui inveniſſet novam voluptatem: qua ipſe inventa, non fuit contentus. neque enim unquam finem inveniet libido. Hinc Diogenes diſputare ſolebat, quanto Regem Perſarum vita fortunáque ſuperaret: ſibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis unquam fore: ſe ejus voluptates non deſiderare, quibus nunquam ſatiari ille poſſet, ſuas eum conſequi nullo modo poſſe.

Xerxes nunquam contentus.

Fortuna Diogenis, & Regis Perſarum.

Porro, ſolere aiunt barbaros Reges Perſarum, ac Syrorum, plures uxores habere: his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo: Hæc civitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent univerſos, non ſolùm conſcios libidinis ſuæ, verùm etiam adminiſtros.

Mos regum Perſarum, & Syrorum.

De Principum moribus: ut exemplo nocent, aut proſunt.

CAP. X.

QUO perniciofius de rep. merentur, qui ſic peccant quòd non ſolùm vitia concipiant ipſi, ſed ea infundant in civitates: quamvis in Principibus facilior ſit exiſtimatio, quàm reprehenſio: ideò quòd eos, ſi hoc faciunt, immoderatos poſſumus exiſtimare, crimen in eo conſtituere non poſſumus.

Quomodo infundantur vitia in civitates.

Exiſtimatio Principum lædi poteſt, non reprehendi vita.

Imò, quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum, atque infixum eſt, facilè intelligo, non modò reticere homines Principum culpas, uti parentum, ſed etiam animo æquo ferre oportere.

Principum & parentum vitia reticenda, ferendáque.

Principis eſt modum ſibi apponere, leges aliis.
Morum mutatio à Principe pendet.

Ipſorum verò eſt, ſibi modum apponere, leges aliis. Nam licet videre, ſi velint replicare memoriam temporum, qualeſcunque ſummi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuiſſe: quæcunque mutatio morum in Principibus exſtiterit, eandem in populo ſecuturam.

Multùm itaque in exemplo eſt, ſtudioſè enim plerique facta Principum imitantur. ut cupiditatibus Principum, & vitiis, infici ſolet tota civitas: ſic emendari & corrigi continentiâ. Quid eſt negotii, continere eos, quibus præſis, ſi ipſe contineas, & maneat gravis & conſtans diſciplina?

Barbarorum vita.

Barbarorum eſt in diem vivere: tua conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent.

Ut præparatio neceſſariorum, lenitas, & continentia ſervant: negligentia, acerbitas, & avaritia evertunt Imperantem, & Imperium.

CAP. XI.

Ærarium non ſit inops.

DANDA etiam opera eſt, ne (quod apud majores noſtros ſæpè fiebat) propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatémque bellorum, tributum ſit conferendum: ídque ne eveniat, multò antè erit providendum (nam obſurdeſcunt etiam boni ad vocem tributi) nec committendum, ut aliqua ſit in rebus gerendis expectatio, aut dilatio temporis. Breve tempus longum eſt imparatis: dies enim affert, & hora potius, niſi proviſum eſt, magnas ſæpè clades. Certus autem dies, non ut ſacrificii, ſic conſilii expectari ſolet.

Sin qua neceſſitas hujus muneris alicui obvenerit, danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum: atque etiam omnes, qui Remp. gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia

ſit,

ſit, quæ ſunt neceſſariæ. quarum qualis comparatio fieri ſoleat, & debeat, non eſt neceſſe diſputare. Eſt enim in promtu, tantum locus attingendus fuit. Rerum neceſſariarum copia paranda.

Da te ſemper ad lenitatem, æquitatémque, ut tui rebus agitatis uſui tibi eſſe poſſint, & velint. Etenim, ut abs te affecti fuerint, ita in te animatos reperies. Lenitas Principi utilis.

Cùm exercitum in Ciliciam ducerem, & regis Parthorum filius cum permagno exercitu tranſiſſet Euphratem, reperi ſocios infirmè animatos eſſe, & novarum rerum expectatione ſuſpenſos. Nam eorum auxilia propter acerbitatem, atque injurias imperii noſtri, aut ita imbecilla fuerant, ut non multùm nos juvare poſſent, aut ita alienata à nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quicquam eſſe videretur. Acerbitatis incommoda. Averſis & imbecillis ſubditis nihil committendum.

Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur, etiam minima ſuſpicio. Utinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora me fortuna reſervaviſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani accipere dona cœpiſſent: non eſſem paſſus diutiùs eos imperare. næ illi multa ſæcula expectanda fuerunt. modò enim hoc malum in hanc Remp. invaſit. Itaque facilè patior tunc potiùs Pontium fuiſſe, ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Avaritiæ vitanda ſuſpicio.

Nullum igitur vitium tetrius, quàm avaritia. præſertim in Principibus, & Remp. gubernantibus: habere enim quæſtui Remp. non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia, eſſe perituram: id videtur, non ſolùm Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. nulla autem re, faciliùs conciliare benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui Reip. præſunt, quàm abſtinentiâ, & continentiâ. Avaritiæ mala. Bona continentiæ.

Ab hoc genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui Remp. tuebuntur. Nam propter hoc injuriæ Genus largitionis perniciosum.

riæ genus, Lacedæmonii Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin Regem (quod nunquam anteà apud eos acciderat) necaverunt: ex eóque tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut & tyranni exiſterent, & optimates exterminarentur, & præclariſſimè conſtituta Reſp. dilaberetur: nec verò ſolùm ipſa cecidit: ſed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmoniis profecta, manârunt latiùs.

De liberalitate conveniente Principi.

CAP. XII.

Liberalitate utendum juſta & moderata.

VIDENDUM igitur eſt, ut ea liberalitate utatur, quæ noceat nemini. Quare L. Syllæ, C. Cæſaris tranſlatio à juſtis dominis ad alienos, non debet liberale videri. nihil enim liberale, quod non eſt idem juſtum, atque moderatum.

Philippus Alexandri exagitat largitionem.

Præclarè in epiſtola quadam, Alexandrum filium Philippus accuſat, quòd largitione benevolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te malum! (inquit) ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupſiſſes? An tu id agis, ut Macedones, non te Regem ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem putent? Benè miniſtrum, & præbitorem, quod ſordidum Regi: melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit eſſe: fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio, ſed præceptum putemus omnibus. malè enim ſe res habet, cùm quod virtute effici debet, tentatur pecuniâ.

Philippus adverſus exteros à ſuis diſcedit conſiliis, & monitis. Philippi dictum, & opinio de vi munerum.

Philippus tamen non ſic cum exteris: nam diffidit urbium portas, & ſubruit æmulos Reges muneribus: atque omnia caſtella expugnari poſſe dixit, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere.

Ariſto-

Ariſtoteles graviter, & verè reprehendit effuſiones pecuniarum, quæ fiunt ad multitudinem deliniendam, immanibus jacturis, infinitíſque ſumtibus: quum præſertim neque neceſſitati ſubveniatur, neque dignitas augeatur: ipſáque illa delinitio ſit ad breve exiguúmque tempus: in quo tamen ipſo, unà cum ſatietate, memoria quoque moriatur voluptatis. Benè etiam colligit, hæc pueris & mulierculis, & ſervis & ſervorum ſimillimis liberis eſſe grata: gravi verò homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari nullo modo poſſe.

Effuſiones pecuniarum ab Ariſtotele reprehenſæ.

Illæ impenſæ meliores ſunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniáque, quæ vel ad uſum Reip. pertinent, vel ad utilitatem publicam: ut redimi è ſervitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi ſcriptum copioſè videmus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longè antepono: hæc eſt gravium hominum, atque magnorum: illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quaſi titillantium. Convenit etiam non uno modo in diſparibus cauſis affectum eſſe: alia cauſa eſt ejus, qui calamitate premitur: & ejus, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate.

Sequuntur 4. liberalitatis genera digna Principe.

I. In uſum Reip.

II. Ad utilitatem eorum, quibus benignè fieri Reip. eſt utile.

Cautio tenenda.

Imitandus etiam Cyrus, qui præclara molientes donis & honoribus auxit: atque in omnium excitavit mentibus ardorem ad gloriam: ſimul ſtudia, quibus ſinguli enitebantur in iis, quæ ille probaret, & elaborare, & excellere.

III. Erga præclara conſectantes.

Hoc autem in genere benignitatis excelluiſſe, regium fuit, nec mirandum, cùm eſſet opulentiſſimus: ſed Regem cum ſuis contendiſſe, ac dignitatem cum humilitate de officiis, id non mediocrem Xenophonti admirationem movet.

Cyri mira comitas.

At

Astyagis monita.

At hæc ille, ex avi monitis atque disciplina, ne exhauriretur largiendo ærarium, nec deessent alii ad virtutem, & obsequia stimuli : cùm non esset facilè semper donare : nec vellet regia pervagari munera, armillas, torques, fræna aurea : quæ apud Persas nemini habere licuit, cui non ea Rex tribueret.

Dona regia apud Persas.

Præmia virtutis & officii non pervulganda.

Id certè maximè tenendum est, præmia virtutis & officii sancta & casta esse oportere : neque ea, aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. Etenim minùs erunt homines virtutis cupidi, virtutis præmio pervulgato. Et qui ob egregia facta honorem adepti sunt, si pari indignos affici viderint, de sua gloria putabunt delibari.

Cæsar, cùm quosdam ornari voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit, & viris displicuit clarissimis.

IV. Erga benè merentes.

Sit semper officiorum memoria, atque ratio : nec appareat usquam remunerandi, aut deesse voluntas, aut non suppetere facultas. Benè meritos enim, quin colas, neque exorari fas est, neque est excusatio difficultatis : neque æquum est tempore & die memoriam beneficii definire, aut differre : sed potiùs antevertere, ne liberalitatis fructu priveris & gratiæ, ídque omninò faciendum, si quid in modestos & verecundiores conferendum sit.

Beneficia quando antevertenda.

Grave est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se benè meritum putet : ne id, quod petat exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potiùs, quàm beneficii loco numerare videatur.

Principi ingrato esse non licet.

Sin benè merentes sint hujusmodi, quorum memoria posteris prodatur, his ingrato esse non licet. Omnes enim immemorem beneficii oderunt: nec est tibi horum solis utendum existimationibus, ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed eorum etiam, qui futuri sunt. Quamquam illorum erit verius judicium, obtrectatione & malevolentia liberatum.

Omnes

Omnes tuere, quos mirificè de Rep. meritos eſſe animadvertes: & effice, ne quem pœniteat, Remp. quàm ſpem prædæ, & rapinarum ſequi maluiſſe.

Omninò cavendum, ne ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem & dignitatem, immoderata ſint. Modus eſt optimus, decus ipſum tenere: & prudentia non parva, ſentire quid ſit ſatis: neſcire inertia, barbaries: prætergredi effuſio, probrum.

Videndum, ne obſit benignitas, & iis ipſis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris: tum, ut pro dignitate cuíque tribuatur. Benignitas ne obſit.

Faceſſant ii, in quibus neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque reliquarum cupiditatum: quas nulla præda unquam improbè parta minuit, ſed auget potiùs, atque inflammat, ut coërcendi magis, quàm dedocendi videantur. Inſatiabiles coërcendi.

Scire & meminiſſe expedit, facilè traduci ad mala conſilia, non modò corruptum, ſed inhiantem largitionibus animum.

De Præmiis & Pœnis.

CAP. XIII.

SOLON, qui & ſapientiſſimus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem, Remp. duabus rebus contineri dixit, *præmio, & pœna.* Eſt ſcilicet utriúſque rei modus, ſicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas. Ne ſis in honoribus decernendis nimius, & tanquam prodigus: nec in animadverſione, pœnáque durior. Sed ſceleris pœnam prætermittere, periculoſum puto; ne quis talem amentiam vellet imitari. Ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur Reip. cauſa ſeveritas,

Reſp. continetur præmio, & pœna.

Mediocritas illa tenenda, quæ eſt inter nimium & parum.

ſeveritas, ſine qua adminiſtrari non poteſt. Salutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.

Regula in ſeveritate, & clementia tenenda.

In his, ut in cæteris, optandum eſt, ut ii, qui præſunt, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum, non iracundia, ſed æquitate ducuntur: atque omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt.

De Principis prudentia, moderanda temporum, rerum, & perſonarum ratione: & poſitæ de his tribus variæ cautiones, atque regulæ.

CAP. XIV.

Communis prudentia.

OMNIBUS artibus volumus attributam eſſe eam, quæ communis appellatur prudentia: quam omnes, qui cuíque artificio præſunt, debent habere: Principi eam, quæ verſatur in perſpiciendis rationibus conſtituendorum, & regendorum Imperiorum: necnon illam, quæ eſt ſcientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Nam res geruntur auctoritate, ſententia, conſilio: quod ex re, perſona, tempore capiendum eſt: & tanquam navigium, & curſus, ex Reip. tempeſtate moderandum: cùm oporteat non ſemper eaſdem ſententias, rationéſve, ſed quaſcunque Reip. Status, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtulat, tenere: in magno motu, in converſione rerum, & perturbatione, temporibus potiùs parere, quàm moribus: & tamen idem ſemper ſpectare, nempè Dei cultum, ſalutem populi.

Platonis præſcriptum.

Id enim jubet Plato, quem ego auctorem vehementer ſequor, TANTUM contendere in Rep. quantum probare tuis civibus poſſis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ Reip. fuiſſe, quòd cùm offendiſſet populum Athenienſem, propè jam deſipientem ſenectute, tum eum

eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, cùm perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur.

Vides quanta vis temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates: quid verò inſidiarum, quid vanitatis in vita, tecum cogita.

Cato optimo animo utens & ſumma fide, nocuit interdum Reip. dixit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce ſententiam: & nimis præfractè ærarium, atque inſtituta majorum defendens, à Senatu, & Equeſtrem ordinem, & homines clariſſimos abalienavit. Cato nocuit interdum Reip.

Præſtare hoc Senator debet, quantum poteſt, ne quis vir clarus, aut potens Principi, vel Ordini jure iraſci poſſe videatur: atque hoc, ſi inimiciſſimus alicui eſſet, ſentire tamen deberet Reip. cauſa. quæ maximè cenſenda eſt contentionem cum ejuſmodi viris nolle fieri, & ne fiat recuſare. Senator neminem clarum offenſum reddat.

Si intellexeris ſubeſſe quid opinionis incommodæ, imprudentiâ, aut artificiis quorundam viro inculcatum acri, ſauciúmque eſſe ejus animum, & incidiſſe quaſdam odioſas ſuſpiciones: iis mederi ſtude, & fluctuantem ad te converte. Fluctuantes firmandi.

Non minùs puta eſſe probandam medicinam, quæ ſanabit vitioſas partes Reip. quàm quæ exſecabit.

Imitare bonos & alto Principes animo, qui malunt commemorare ſe, cùm perdere poſſent, pepercisſe, quàm, cùm parcere poſſent, perdidiſſe. Conſuetudo bonorum imitanda Principum in ignoſcendo.

Et qui, cùm parcere, vel lædere poſſunt, ignoſcendi quærunt cauſas, non puniendi occaſiones: quod, uti judicis lenti & conſiderati, ſic Principis clementis eſt proprium.

Eos, quibus peperceris, omni metu libera, ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicentur.

De

Cautiones de privilegiis & honoribus.

De privilegiis & honoribus illud valde considerandum, ne injuria detrahantur.

Multis nocuit alienâsse eos, qui valuere, aut ingenio, aut gratia, aut potentia, aut militari virtute.

Est gravius spoliari honore, quàm non augeri dignitate: & acriores morsus sunt intermissæ libertatis, quàm retentæ.

Insuetus contumeliæ, insolens infamiæ, acer in ferro, ægrè omni animi impetu, dolori, & iracundiæ paret, cùm ex amplo statu concidit.

Nunquam dederis hominem magnis facultatibus ingenii, consilii, gratiæ, imò ne parùm sanum nobilem potentem, perditis hominibus, quò concurrant.

Cæsar alienatus perdidit Remp. Romanam.

Cæsar Pompeio contendente, ne ipsius ratio haberetur, descendit ad extrema: & concitata juventute, dignitatem labefactavit veteris Reip. & Imperii.

Mutatio rerum magnarum sensim facienda.

Si facienda est alicujus magnæ rei mutatio, eam, si tempora adjuvabunt, faciliùs commodiúsque facies: sin minùs, sensim erit, pedetentímque facienda: ut amicitias, quæ minùs delectent, & minùs probentur, magis decere censent sapientes sensim diffuere, quàm repentè præcidere.

Cautiones firmæ, ut Princeps recta præstet suis, hi non declinent ab officio.

In omni fortuna recta & honesta retine. Nihil cuiquam fieri, dari, auferríve debet, quod malè cogitantibus exemplo, aut præsidio sit.

Noli tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incendere possint.

Quæ res Cæsarem ad summum extulerant imperium?

Senatus multos decrevit eximios honores C. Cæsari, & propè singulares: provinciam extra ordinem: supplicationes numero, ut nemini ullo ex bello: honore, ut omninò nemini: quinquennii imperii prorogationem, ut absentis ratio haberetur: his ille rebus ita convaluit, ut exercitum & provinciam invito Senatu teneret, impendiò magis oderit Senatum: Rex populi Romani, dominúsque omnium gentium esse concupisceret, ídque perficeret. Sed horum omnium fons unus. Imbecillo resistendum fuit, & id

erat

erat facile. Pompeius Cæſarem ſerò cœpit timere: qui mallem tantas ei vires non dediſſet, quàm poſteà tam valenti reſtitiſſet.

Quatenus, & quibus Principum committenda negotia, & quibus imperium.

Quanta ſit in quoque fides, tantum cuíque committe: imperium verò iis ſolùm, quos poſſis rectè facientes facilè diligere, minùs conſulentes tibi, facillimè coërcere.

Humana natura ſecundis inſoleſcit.

Singularis homo privatus, niſi magna ſapientia præditus, vix facilè ſeſe regionibus officiorum magnis in fortunis, & copiis continet: nedum in magna fortuna natus, & educatus, ſemper in laude verſatus, circumfluens gloria.

Alexander Rex appellatus ſuperbit, & fit immanis.

Non vides ipſum illum Ariſtotelis diſcipulum, ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſtquam Rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? hunc de pompa Quirini contubernalem, qui ſibi opinionis errore finxerat Principatum, cùm omnes opes & ſuas, & populi Rom. Pompeius ad eum detuliſſet, exercitu populi Rom. populum ipſum Rom. Pompeiúmque oppreſſiſſe: & civitatem non modò liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſervire ſibi coëgiſſe? Nos malè cavimus Reip. qui ulli majores opes, & majora præſidia, quàm libertas pati potuit, conceſſimus.

Cæſar à Rep. ornatus Remp. opprimit.

[1] Septem [2] hominum [3] genera, quibus nil committendum.

Nihil ei commiſeris, [1] qui omnia ad ſuam utilitatem refert: [2] aut cui prudentia in conſilio deeſſe ſolet. [3] Si quis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationis tuæ commiſeris.

Nemo unquam ſapiens proditori credendum putavit.

[4] Culpa illa, BIS AD EUNDEM vulgari reprehenſa proverbio, in Statu valdè periculoſa habetur. 4.

Qui caſus noſtri meminerit, nunquam cujuſquam [5] invidi, & [6] perfidi conſilio utetur, nec [7] inerti crediturus eſt. 5. 6. 7.

Ornandus, quem honeſtas ducit in pericula.

Illum verò ne rejeceris, cui acciderit, quod homini pudenti, & cupido ſatisfaciendi Reip. boníſque omnibus accidere ſolet, ut conſilium ſequatur periculoſum magis, dum ſe probârit, quam tutum, quod habere poſſit obtrectationem.

Pro

Vas de Statu, & falute Principis, non accipiendus.

Pro nemine, cùm agetur de tua falute, vel de fumma rerum, vadem acceperis. Eft enim gravior, & difficilior animi, & fententiæ, maximis præfertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ obligatio. Hæc enim folvi poteft, & eft rei familiaris jactura probabilis: tibi & Statui, quod quis fpoponderit, quemadmodum folvat, nifi is dependi facilè patitur, pro quo fpoponderit?

Cautio digna Principe.

Sic tibi femper cave, ut in eorum, à quibus cavendum erit, poteftate, non fis, fed illi potiùs in tua.

Etenim neque de ftatu tuæ dignitatis eft recedendum: neque fine tuis copiis intra alterius præfidia veniendum.

Aures dandæ veris.

Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, exiftimentur audire, non in quas fictè, ac fimulatè, quæftus caufa infufurretur.

Calumniæ quæftus turpiffimus.

Omnium autem eft turpiffimus, & ob perniciem, quam ftruit innocentibus, coërcendus maximè, calumniæ quæftus.

Peftes aulæ.

Evitandæ funt omninò, & obterendæ nefariæ peftes hominum, bono ac laude aliena dolentium: quæ principes nonnunquam à viris claris alienant, & hos immutant Principi.

Hos Agefilaus magis oderat, quàm fures: quòd gravius effe duceret amicis, quàm facultatibus fpoliari. Tum benè accidit, quum veritas emergit, & innocentiæ defenfio interclufa refpirat; quòd aut ii, qui ad fraudem callidi funt, non tantùm audent, quantum excogitant: aut ii, quorum eminet audacia, atque projecta eft, à confiliis malitiæ deferuntur.

Credulitatis error.

Credulitas error eft magis, quàm culpa: & quidem in optimi cujúfque mentem facillimè irrepit. Sed hoc vitio decipi in ftatu periculofum.

Epicharmea cautio.

Quocirca, ne credulitate res fumma fallatur, ἐπιχάρμειον, illud teneto, *Nervos atque artus effe fapientiæ, non temerè credere*, & tuum fit elogium, NEC DECIPI POSSE, NEC VINCI.

De

De Principis annulo, Senatu, Senatoribus, & Consilio.

CAP. XV.

SIT annulus, non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ. Annulus sacer.

Senatus sit ἄρειος παγός, constans, severus, gravis, fortis. Senatus quis.

Omnia tuus Senator præstet Reip. quæ præstare debet is, qui est in eo gradu collocatus: nec illa modò, quæ nimirum sola ab homine sunt præstanda, fidem, vigilantiam, patriæ charitatem: ea sunt enim, quæ nemo est, qui non præstare debeat. Ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de Rep. puto etiam prudentiam esse præstandam. nec me, quum mihi tantum sumserim, ut gubernacula Reip. prenderem, minùs putârim reprehendendum, si inutiliter aliquid Senatui suaserim, quàm si infideliter. Neque etiam me censuerim excusandum, si cùm Resp. erit tuenda, vel defatigatus requiem quæsierim ex magnis occupationibus, vel statuerim minùs bonis temporibus in Senatum non venire. quia *nulla lassitudo, aut timor impedire officium, & fidem debet.* Quæ à Senatore præstanda?

Utendum consilio fidelium, & sapientum: hísque tribuenda est auctoritas. Neutiquam ferendum, ut contemnantur. sin quis tanta improbitate usus fuerit, cogitandum, in illorum injuria te esse despectum, auctoritatémque tuam abjectam: omnia hujusmodi, ad exemplum esse perniciosa, & ne progrediantur, coërcenda. Serpit enim malum consuetudine peccandi: atque in audacibus crescit, cùm pœna abfuit, & licentia consecuta est. Quorum consilio utendum. Principi fit injuria, quæ fit iis, qui sunt à consiliis.

Non parùm proderit secretò in consilium arcessere, quos fide, & rerum usu cæteros anteire noveris: ut cum eis rerum eventa, acta, & agenda communices, & examines: ac quid sentiant, liberè proferre jubeas: vel in præsenti, si con- Singularis cautio in deliberationibus & consiliis.

convenit: vel ſi res gravior eſt, & differri poſſit, ea deliberata. Sic enim, quæ ab eis tractabuntur, maturitatem tibi dabunt diſcernendi vera à ſimulatis, atque animadvertendi, quid factu ſit melius: & tu magna cum laude ac fructu edes, quæ illi conſulta ad te, & exquiſita deferent.

In omnibus, quæ dubitationem afferunt, videndum eſt, non modò quid quiſque adhibitus ad deliberandam loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat: atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat: & ne qua affectione ducatur, aut motu animi.

De Aſſentatoribus vitandis.

CAP. XVI.

Aſſentatores vitandi.

CAVENDUM, ne Aſſentatoribus patefacias aures. Malè Pompeius, qui in bello, cùm omnium noſtrum conjunctum eſſe periculum ſuo cerneret, certorum hominum minimè prudentium conſilio utebatur.

Si tibi imponi non vis, oſtende levitatem, aſſentationem, & animos, non officiis, ſed temporibus ſervientes, tibi diſplicere.

Claudendæ ſunt aures blandis vocibus, & quidem primis. Nam cùm initium fecerunt, admiſſæque ſunt, plus audent.

Veritatis odium, quæ pariat mala.

Obſequium fraudulentum.

Neutiquam committendum, ut exiſtimeris veritatem odiſſe, in recta conſulentes iracundiam exercere, & odia: quæ ſunt venena fidelium conſiliorum, eſcæ pravorum, incitamenta perfidiæ, lenocinia obſequii: quod erroribus indulgens, præcipites multos ferri ſinit. Maxima autem culpa in iis eſt, qui & veritatem aſpernantur, & in fraudem obſequio impelluntur: quod illi potiſſimùm faciunt, qui ipſi ſibi aſſentantur, & ſe maximè ipſi delectant. Omninò eſt amans ſui virtus: optimè enim ſe ipſa novit, quámque amabilis ſit, intelligit. Ego autem non de virtute nunc

nunc loquor, ſed de virtutis opinione. Virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quàm videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluntatem ſermo, quum adhibetur, orationem illam vanam, teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. Nullum eſt igitur hoc obſequium, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt.

Cujus autem aures, ita clauſæ veritati ſunt, ut verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt. Vera aſpernantis ſalus deſperanda.

De auctoritate retinenda: & vitandis pravis animi affectibus, quibus hæc minuitur.

CAP. XVII.

Cautiones utiles, & neceſſariæ ad dignitatem, auctoritatémque retinendam.

CONSTANTIA eſt adhibenda, & gravitas, quæ abſit non ſolùm à levitate, verùm etiam à pertinacia, & arrogantia.

Sapiens etiam imitandus prætor, qui offenſionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate I. audiendi, & in ſatisfaciendo diligentia. II.

In ſumma, ea ſit gubernandi ratio & vita, in qua non III. reſideat inertiæ, aut levitatis ulla ſuſpicio.

Nunquam omninò committendum eſt, ut imbellis ti- IV. midúſque videare.

Si quid metuendum accidit, diſſimula: præſenti animo utere, & conſilio, nec à ratione diſcede: quod fecit noſtra V. Reſp. cùm ſæpè alias, tum maximè bello Punico ſecundo: quæ Cannenſi calamitate accepta, majores animos habuit, quàm unquam rebus ſecundis: Nulla timoris ſignificatio, nulla mentio pacis.

Neque enim decet, aut convenit Principi, periculo ulli ſubmittere animum.

Quemadmodum ſcalarum gradus, ſi alios tollas, alios incidas,

incidas, nonnullos malè cohærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: Ita, ſi in acerbis caſibus Reip. ipſam reliqueris diſſolutam, nec te oſtenderis in confirmanda tuorum ſalute, aut periculum morando fortem, perniciem accelerabis, non reparabis, quæ dilapſa ſunt.

Quæ conſilio provideri poterunt, cave: atque perfice, ut minùs ſapienter proviſa, diligentia tua corrigantur. Vidi Pompeium XIV. calendas Februarias, [1] plenum formidinis: illo ipſo die ſenſi, quid ageret: nunquam mihi poſteà placuit, nec unquam aliud in alio peccare deſtitit: [2] non animus erat, [3] non conſilium, [4] non copiæ, [5] non diligentia. [6] Mitto illam fugam ab urbe turpiſſimam, [7] timidas in oppido conciones, [8] ignorationem non ſolùm adverſarii, ſed etiam ſuarum copiarum. quid quæris? Nihil boni, præter cauſam, cauſam ſolam Cæſaris cauſa non habuit: cæteríſque rebus abundavit, vigilantia, celeritate, diligentia: qua ſi uſi eſſent noſtri, Remp. recuperâſſemus.

VI. Pompeii errores octo.

Ut in hoc gradu poſitum, [1] animo eſſe nolim fracto rebus in aſperis, [2] ſic nec communem naturæ ſenſum repudiante. hanc enim animi duritiam, ſicut corporis, quod cùm uritur, non ſentit, ſtuporem potiùs, quàm virtutem putârim.

[1] Animi
[2] tria vitia indecora valdè Principi.

[3] Fugiendum etiam illud, ne projiciat, & offerat ſe periculis ſine cauſa: quo nihil poteſt eſſe ſtultius.

3.

Gloriam in morte debent Principes, non culpæ reprehenſionem, & ſtultitiæ vituperationem relinquere.

Laudanda Planci ſapientia, qui per hanc temeritatem labi noluit. duobus enim exercitibus conjunctis objicere exercitum fideliſſimum, maxima auxilia, principes Galliæ, provinciam cunctam, ſummæ dementiæ, & temeritatis eſſe vidit: ſibíque, ſi ita oppreſſus eſſet, rémque pub. ſecum perdidiſſet, mortuo non modò honorem, ſed miſericordiam quoque defuturam.

Plancus pro imitandum.

Boni

Boni luxerunt mortem Trebonii. At fuère tamen, qui dixerint (durè illi quidem, ſed tamen dixerunt) minùs dolendum, quòd ab homine impuro, nefarióque non caverit. Mors Trebonii cur non dolenda?

Quæ ad ſe, & Principatum tuendum, facere, ac parata habere Princeps debeat.

CAP. XVIII.

QUI multorum cuſtodem ſe profitetur, eum ſapientes ſui primùm capitis aiunt cuſtodem eſſe oportere: ut ſui me monitore fuerat Rex Ariobarzanes. Rex Ariobarzanes Ciceronis conſilio ſervatus.

Nam, quum Senatus auctoritas intercesſiſſet, ut ejus Regis ſalutem & incolumitatem defenderem: Regi Regnóque præſidio eſſem: adjunxiſſétque ſalutem ejus Regis populo ſenatuíque magnæ curæ eſſe, quod nullo unquam de Rege decretum eſſet à noſtro ordine: judicium ſenatus ad eum detuli, & patefactis inſidiis, quas vitæ illius & Regno fieri intelligebam, monui Regem, ut omnem diligentiam ad ſe conſervandum adhiberet: amicóſque jam patris ejus judicio probatos hortatus ſum, Regis ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris ejus, omni cura cuſtodiáque defenderent: illum etiam cohortatus ſum, ut *in ſua vita conſervanda primùm regnare diſceret:* à quibus perſpexiſſet ſibi inſidias paratas, in eos uteretur jure regio: pœna afficeret eos, quos neceſſe eſſet: reliquos metu liberaret: præſidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa eſſent, timorem potius, quàm ad contentionem uteretur: ſic ego eum præſentibus inſidiis liberavi; neque ſolùm ei ſaluti fui, ſed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Decretum Senatus Rom. ſingulare.

Principis cautio, ſubditorum cautio eſt. ex unius plerumque vita, pendet ſalus omnium. Subditorum cautio.

Princeps imparatus ab armis esse non debet.

Nihil est magis necessarium, quàm parata habere semper arma, quibus vel ipse tectus esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus: item ornatas habere naves in provinciis, quæ exitus undíque habent maritimos. Siquidem in iis navalis apparatus, & mari plurimùm posse, cura debet esse antiquissima, consilio Themistocleo: quo, qui mare teneat, rerum potiri posse existimatur.

Apparatus navalis, quibus provinciis necessarius.

Firmamenta magna reputa Imperii, omnia explorare: monita non negligere: duces, magistratus habere fideles, ingenuos, continentes: urbibus, & limitibus, ut satis sit præsidii consulere & providere. Etenim facilè evertitur dissolutè & negligenter imperans: nec-non imparatus à militibus & pecunia.

Imò hoc amplius, existimo in regione atque provincia, quæ mari cincta, portubus distincta, insulis circumdata est, non solùm præsidii, sed etiam ornandi imperii causa navigandum esse. Hæc enim ratio, ac magnitudo animorum in majoribus nostris fuit, ut, cùm in privàtis rebus, suísque sumtibus minimo contenti, tenuissimo cultu viverent: in imperio, atque in publica dignitate, omnia ad gloriam, splendorémque revocarent. quæritur enim in re domestica, continentiæ laus: in publica, dignitatis.

De otiosis ad laborem traducendis: ut omnes sibi sint & Statui utiles: inertes, aut turbulenti nulli. Item de præcidendis suis & suorum vitiis.

CAP. XIX.

Deductio utilis Reip.

SI uspiam agri fuerint deserti à plebe, atque à cultura hominum, fiat in eos deductio, ut sentinæ provinciarum urbiumque exhauriantur, & solitudo frequentetur: idque sine injuria veterum possessorum, ut non alteros demovisse, sed utrosque constituisse videâre.

Omnis

Omnis tenenda ratio, qua ab otio traducantur animi, ad honeftas & utiles vitæ artes, ftudia, labores. Id variè fiet: [1] primò, fi velut certamina quædam conftituantur in fingulis, & iis præmia, qui cæteris præftiterint. Quæ enim rara & ardua funt, ea ex præmio pulchra & jucunda hominibus videri folent.

Ponuntur 4. modi, quibus ab otio ad labores traducentur cives.

[1] Præmia conftituenda excellenti.

[2] Magnam etiam habet vim Reip. difciplina. Cretum leges, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, efuriendo, fitiendo, algendo, æftuando. Illi enim, qui Græciæ formam Rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt: quod Spartiatæ etiam in fœminas tranftulerunt, quæ cæteris in urbibus, molliffimo cultu, parietum umbris occuluntur: illi autem voluerunt nihil horum fimile effe apud Lacænas virgines: quibus magis palæftra, Eurotas, fol, pulvis, labor, militia ftudio eft, quàm fertilitas barbara.

[2] Publica difciplina. Juvenum corpora labore firmata, Græcorum legibus.

Lacænæ virgines.

Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant, è quibus unus, cùm Perfes hoftis in colloquio dixiffet glorians, folem præ jaculorum multitudine & fagittarum non videbitis: In umbra igitur, inquit, pugnabimus. Viros commemoro. qualis tandem Lacæna, quæ cùm filium in prœlium mififfet, & interfectum audiffet: Idcirco, inquit, genueram, ut effet, qui, pro patria, morti non dubitaret occumbere.

Refponfum Spartiatæ.

Lacænæ refponfum.

Efto: fortes & duri Spartiatæ, quid Romani? noftri exercitus primùm unde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati menfis cibaria: ferre, fi quid ad ufum velint: ferre vallum. nam fcutum, gladium, galeam in onere noftri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus: arma enim, membra militis effe dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, ut, fi ufus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare poffint. Quid exercitatio legionum? Cur tantum intereft inter novum & veterem exercitum?

Exercitus Rom.

Milites Rom.

Exercitatio legionum.

ætas tironum plerumque melior: ſed ferre laborem, contemnere vulnus conſuetudo docet. [3] Quinetiam eſt intemperans militaris in forti viro gloria.

3. Gloria.

Omninò clari & nobilitati labores ſunt faciles.

[4] Quæ flamma eſt, per quam non currunt ii, qui honores ambiunt? Itaque ſemper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat; cujus in primis illud laudabat, quod diceret eoſdem labores non eſſe æque graves imperatori & militi: quòd ipſe honos laborem leviorem faceret Imperatorum.

4. Honores? Quid non deſignat honos?

Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt: quos lege quæſo ſtudiosè: quàm copiosè ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur: atque ut intelligas nihil ei tam regale videri, quàm ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, Perſarum Regem, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, quum Lyſander Lacedæmonius vir ſummæ virtutis veniſſet ad eum Sardis, eíque dona à ſociis attuliſſet: & cæteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe: & ei quendam conſeptum agrum, diligenter conſitum oſtendiſſe. quum autem admiraretur Lyſander, & proceritates arborum. & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus: tum eum dixiſſe, mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem purpuram ejus, & nitorem corporis, ornatúmque Perſicum multo auro, multíſque gemmis, dixiſſe: Rectè verò te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.

Xenophon legendus.

Studium regale.

Ager à Cyro conſitus.

Imitanda,

Imitanda, non Cyri modò, aut Scipionis facta fortia, ſed etiam conſilia Romani illius: qui leve eſſe judicans, non regium, nec magnificum, ſe ſolùm virtutis ſtudioſum præſtare, enitebatur continentes eos reddere, & in re militari præſtantes, quibus imperabat.

Prudentis & magnanimi Principis eſſe crede, naſcentia vitia, tum ſua, tum ſuorum præcidere, creſcentibus non indulgere. Qui enim vitiis indulget, ea nutrit, & partem ſuſcipit vitiorum: qui modum apponit, ſimiliter facit, ut ſe poſſe putet eum, qui è rupe præcipitaverit, ſuſtinere ſe, cùm velit. Vitiis non indulgendum.

De virtutibus, quæ animos Principi conciliant: & vitiis, quæ alienant.

CAP. XX.

VACANDUM eſt omni perturbatione, ut tranquillitas adſit, & ſecuritas, quæ afferat tum conſtantiam, tum etiam dignitatem. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. Tranquillitatis bona.

Difficile etiam dictu eſt, quantopere conciliet animos comitas affabilitáſque ſermonis. Exſtant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigóni ad Philippum, trium prudentiſſimorum (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, milităſque blandè appellando, ſermone deliniant. Affabilitas ſermonis benevolentiam conciliat.

Miſcenda cum his, & retinenda majeſtas, quæ reverentiam: auctoritas, quæ obſequium: gravitas, quæ obſervantiam parat.

O Dii immortales! quàm magnum eſt perſonam in Rep. tueri Principis! quæ non animis ſolùm debet, ſed etiam oculis & auribus ſervire civium: ne aſpera videatur natura, Res magna perſonam tueri Principis.

difficilis

difficilis aditus, ſeverior vultus, ſuperba reſponſa, inſolens vita, fides lubrica.

Mala iracundiæ.

Exercenda eſt facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne ſi iraſcaris, aut intempeſtivè accedentibus, aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidas: atque vincaris artificio benevolentiæ colligendæ ab iis, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Ageſilaum noverunt: quorum Regum, ſummo in imperio, nemo unquàm verbum ullum aſperius audivit. quod contrà fit à Barbaris: quorum ſunt hæc imperia: *Animadverte, & dicto pare: & præter rogatum, ſi loquare:* & illæ minæ: *Si te ſecundo lumine hic offendero, moriere:* quæ non, ut delectemur ſolùm legere & ſpectare debemus, ſed cavere etiam, & fugere diſcamus.

Nihil pulchrius in tanto faſtigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere.

Nullæ ſint vehementiores animi concitationes: nulla maledicta: nullæ contumeliæ: quæ cùm abhorrent ab humanitate, tum verò contraria ſunt Imperio, & dignitati. Nam ſi implacabiles ſunt iracundiæ, ſumma eſt acerbitas: ſin autem exorabiles, ſumma levitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda eſt. Quid Achille Homerico fœdius? quid Agamemnone in jurgio? Nam Ajacem quidem ira ad furorem mortémque perduxit. Alexander Rex, cùm interemiſſet Clitum familiarem ſuum, vix à ſe manus abſtinuit: tanta vis fuit pœnitendi.

Contumeliarum aculei pernicioſi.

Nihil eſt tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. Nec quicquam incendit magis odia, offenſionéſque hominum, quàm ad injurias omnia coæquare. Habet enim quendam aculeum contumelia, quem pati pudentes, ac viri boni difficillimè poſſunt, nedum factioſi, aut inſolentes, animo mobili, & elato.

In omni ſermone imitandi ſapientes, qui dicto aliquo, aut reſponſo neminem alienant, aut irritant: tum etiam oratores boni, qui non ſolùm, quod opus eſt, dicunt: ſed

etiam

etiam quod non opus eſt, non dicunt: quod obeſt, omninò cavent, & reticent.

Principis curæ, officia, ſtudia qualia ſint: & in quibus poſita.

CAP. XXI.

OMNINO qui præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus regni curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam inducunt, diſcordiam. Platonis præcepta duo.

Hinc non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia, quæ gravis & dignus principatu fugiet, atque oderit, tradétque ſe totum, ut omnibus conſulat: in primíſque operam dabit, ut juris, & judiciorum æquitate, ſuum quíſque teneat, & neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur: neque locupletibus ad ſua, vel tenenda, vel recuperanda obſit invidia. Juris & judiciorum æquitas.

Ac mihi quidem videntur omnia eſſe ab iis referenda, qui præſunt aliis, ut ii, qui eorum in imperio erunt, ſint quàm beatiſſimi: nullæ ſint ſeditiones, nullæ diſcordiæ, tollantur latrocinia, cædes reprimantur: removeatur à fama, & à fortunis, & ab otio locupletium, illa acerbiſſima miniſtra avaritiæ, calumnia. curandum, ut ſumtus & tributa, ab omnibus tolerentur æquabiliter: ne ſit æs alienum, quod Reipubl. noceat, providendum: facillimi ſint aditus ad te, pateant aures tuæ querelis omnium: nullius inopia, ac ſolitudo, non modò ullo populari acceſſu, ſed ne domo quidem tua ſit excluſa: toto denique in Imperio nihil acerbum ſit, nihil crudele, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis. Quo referendæ actiones Principum. Curarum ſtudiórumque varia ponuntur genera.

Eam

Eam legem tibi ſtatue, ut quocunque veneris, lux veniſſe, & ſalus videatur: & non te unum, ſed omnes miniſtros Imperii tui, præſtare videare. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum poteſt, quàm non itineribus tuis perterreri homines, non ſumtu exhauriri, non adventu commoveri; eſſe quocunque veneris, & publicè, & privatim, maximam lætitiam? cùm urbs cuſtodem, non tyrannum, domus hoſpitem, non expilatorem recepiſſe videatur.

Frangenda avaritia, ſcelera ponenda: viri deligendi graves, qui ad omnia advigilent: inſolentiam, luxum, exquiſitas voluptates, mores pravos coërceant: quâ curâ haud ſcio an ulla ſit dignior, aut magis è Rep. Catonem cenſorium tam Romano populo profuit naſci, quàm Scipionem; alter enim cum hoſtibus bellum geſſit, alter cum moribus; & vitam ſuam expoſuit ad imitandum omni ætati.'

Septem, à quibus Principis, & Principatus ruina, aut ſalus proficiſcitur, atque pendet.

CAP. XXII.

I. Benevolentia. RERUM autem omnium, nec aptius eſt quicquam ad Imperia tuenda, ac tenenda, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Præclarè enim Ennius "quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periſſe expetit."

II. Metus.

III. Odium.

Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere, ſi anteà fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Malus enim eſt cuſtos diuturnitatis, metus: contráque benevolentia fidelis, vel ad perpetuitatem. Et verò, qui metui volunt, Dionyſius tyrannus indicavit quàm ſint beati. Nam cùm quidam ex ejus aſſentatoribus commemoraret in ſermone copias ejus,

ejus, opes, majeſtatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negarétque unquam beatiorem quenquam fuiſſe: víſne igitur, inquit, ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandam deguſtare, & fortunam experiri meam? cùm ſe ille cupere dixiſſet: collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto: abacóſque complures ornavit argento, auróque cælato. tum ad menſam eximiâ formâ pueros delectos juſſit conſiſtere, eóſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores: menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur. fortunatus ſibi Damocles videbatur. in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti juſſit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ defluxerant coronæ: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet eſſe. Satíſne videtur declarâſſe Dionyſius nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat? Atque ei, ne integrum quidem erat, ut ad juſtitiam remigraret, civibúſque libertatem & jura redderet. iis enim ſe adoleſcens improvida ætate irretierat erratis, eáque commiſerat, ut ſalvus eſſe non poſſet, ſi ſanus eſſe cœpiſſet. Omni cultu & victu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinoroſis, cum barbaris: neminem, qui aut libertate dignus eſſet, aut vellet omninò liber eſſe, ſibi amicum arbitrabatur: omnes metuebat.

Vita & fortuna Dionyſii egregiè expreſſa.

Etenim qui ſe metui volent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. nec verò ulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Teſtes nos ipſi, qui vexatis & perditis exteris nationibus, bellis plectimur civilibus. ex quo parietes modò urbis ſtant, & manent, iíque ipſi jam extrema ſcelera metuentes, rem verò publicam penitus amiſimus: atque

Exitii Reip. Rom. cauſa.

in

in has clades incidimus, dum metui, quàm chari esse, & diligi maluimus.

Provisiones aptæ ad diuturnitatem imperii.

Nihil verò est ad diuturnitatem aptius, quàm providere, ne imperantis dignitas violetur, ne nomen Imperii in commune odium vocetur. grave enim est nomen Imperii: atque id etiam in levi persona pertimescitur: propterea, quòd missi cum imperiis, mittentium, non suo nomine abutuntur: & suas sordes cum istorum splendore permiscent.

IV. Existimatio.

V. Missi cum imperiis.

Quomodo debent ministri Principum sua exsequi officia, & se gerere.

Sit is, cui potestatem permiseris, non suæ, sed tuæ lenitatis minister: majoráque præferant fasces illi ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis.

Toti sit imperio cognitum, tibi omnium salutem, liberos, famam, fortunas esse charissimas.

Denique hæc opinio sit, non iis modò, qui aliquid turpiter acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicum, si id cognoveris, futurum. Neque verò quisquam dabit, cùm erit hoc perspectum ministros imperii, atque magistratus, ita laborare de existimatione sua, ut ista lex non perfringatur: *Vim ne faciunto: donum ne capiunto, néve danto, néve petenda, néve gerenda, néve gesta potestate:* nec te posse ferre, ut quisquam ea, vel potestate, quam tu ad dignitatem permiseris: vel officio, quod in beneficii loco detuleris: vel cura, quam laboris munerísque ratione dederis, ad quæstum abutatur: propterea nihil injurium, aut ad famam sordidum, per eos, qui simulant apud te multùm posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea hujusmodi, ut te in tuos, aut durum esse nimium, aut suspiciosum velim: sed in credendo cautum, ac diligentem in observando, ut quæ parârint, benè parta sint, nullo neque turpi quæstu, neque odioso: & magis liberalitate utantur tuo, quàm sua libertate.

VI. Ministri.

VII. Magistratus.

Neque sanè placet, præsertim, cùm hi mores tantùm jam ad nimiam levitatem, & ambitionem incubuerint, scrutari

ſcrutari omnes ſordes, excutere unumquémque eorum: ſed iis, qui & omnes vias pecuniæ ſequuntur, & omnia pecuniæ cauſa faciunt, nihil credere.

Pragmatici homines omnibus hiſtoriis, præceptis, verſibus denique cavere jubent, & vetant credere: ſtatímque, ut quiſque aliquid rectè fecerit, omnia dare, & permittere. Cautiones duæ pragmaticorum.

Præſidia IV. quibus Princeps ſe & Principatum firmare debet.

CAP. XXIII.

I. Lectiſſimi ad publica munera, & honores ab ipſo Principe prævehendi.

NIHIL tua magis intereſſe puta, quàm lectiſſimorum hominum, qui in aliquo genere laudis & induſtriæ excellunt, nomina tenere, ingenia nôſſe, ſtudia ad tuas & populi utilitates allicere, & excitare: ad honores vocando & munera, tuo delectos judicio, & uni tibi, à quo illa proficiſci debebunt, aſtrictos: ut habeas undíque pro te excubantes, ac velut in præſidiis collocatos, ne quid lædat, ne quid offendat.

II. Qui in Imperio plurimùm poſſunt, à Principe ſolo pendeant.

Ad tenendum etiam tranquillè in tuos imperium, caput eſt, providere, ut non modò, qui ſummis augentur honoribus, imperiis, poteſtatibus: ſed etiam qui præſidiis, ac propugnaculis præſunt, ex te uno pendeant: ídque in arcanis habendum eſt imperii: ut occaſionibus occurras, ſpes frangas, ambitionem prævertas eorum, qui violentas opes, ac potentiam non ferendam ſperabunt, aut concupiſcent.

III. Obeundæ provinciæ ſtatis temporibus.

Obeundæ ſtatis ſunt temporibus provinciæ, ut injuriæ, libidines, conatúſque nefarii comprimantur: atque iis Reip. partibus, quæ maximè laborant, medicina afferatur

Remotiora cur diligentius obfervanda.

feratur tempeftiva, & morbo fortior. Quæ enim procul funt à confpectu Principis, ftudio curanda funt majore, firmioribus munienda præfidiis, luminibus clarioribus illuftranda: cùm antè omnia commutari, quàm audiri poffint. In fede verò Imperii, in oculis Principis, nihil ferè poteft exiftere, quod non antè exftingui atque opprimi poteft, quàm planè exortum, ac natum fit. Neque tam hîc facilè à potentioribus, & miniftris imperii tenuiores violantur, fpoliantur locupletes, quàm in provinciis: in quibus vexati, hoc fæpè jure funt, ut iis ne deplorare quidem de fuis incommodis liceat.

Incommoda provincialium.

IV. A legibus non difcedendum.

Intereà, quoniam populus omnia commoda fua, jura, falutem, legibus obtinet, cavendum ne à legibus recedatur. Oportet enim omnia lege, quafi mente quadam regi, & adminiftrari: cùm, ut corpora noftra fine mente: fic civitas fine lege, fuis partibus, ut nervis, & fanguine, & membris uti non poteft.

De Prudentia in externis, & erga exteros cautiones XXXI.

CAP. XXIV.

I. AGE verò, ne quæ domi fiunt folùm meditere: exterorum ftatus, voluntates, vires, fœdera, pactiones, & confilia funt cognofcenda.

II. In primis, cave ne largitionibus ulli tuorum ab iis corrumpantur, fidem prodant, & tua confilia ad illos
III. deferant: ne fociorum mentes à te avertantur: ne co-
IV. piæ, quas fimulatione aliò fibi comparârint, fubitò ad tua convertantur pericula.

V. Magni præterea refert fcire, quid alii Reges, quid nationes, quid hoftes, quid focii de te, tuo Imperio, Statu, potentia

potentia exiſtiment: cùm ſoleant homines, in tantis rebus, ut, aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minùs famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri.

Colendæ ſumma benevolentia nationes officiis, vetuſtate, fide, periculis, fœdere conjunctæ. Novas neceſſitudines ſic aſciſce, ut veterum beneficia conſervari velis. VI.

Non his modò ſerventur æqua, ſed & aliis: ne quid exteris à cive fiat durum, agreſte, vel injurium: ne qua in re contra jus gentium peccetur.

Canibus, quæ ſunt canum relinquantur: adulatio erga domeſticos, & odium in externos.

Malè, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eóſque exterminant: quoniam dirimunt communem humani generis ſocietatem.

At neutiquam ferendi, qui ſpeculandi cauſa adveniunt, aut aliter declinant ab officio: quod eſt nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio anquirere, minimé que in aliena eſſe Rep. curioſos. VIII.

IX. Vitandæ ſunt inimicitiæ vicinorum, & poteſtatis otio conſulendum.

Non conturbaveris ea, in quibus ipſorum ſalus eſt: ne aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeant: aut commodis officiant tuorum. X.

Non ſunt illa, quæ forſitan ne ſentimus, parva: quòd in pace multò locupletioribus civibus utimur: quòd habent propinquas remotáſque regiones fructuoſas, quò facilè excurrant: ubi libenter negotium gerant: quos illæ, partim mercibus ſuppeditandis, cum quæſtu, compendióque dimittunt: partim ut negotiari libeat: ut denique ſedes ac domicilium collocare: quod commodum non mediocre populi, & Principis eſt, tantum civium numerum alibi, tam bonis fructuoſiſque rebus detineri. Pacis commoda.

Si quæ à tuis accepta eſt offenſio, inſcientià, aut perver- XI.

ſitate fœderatorum, lenem te præbe, ut violata expientur: & tua, quæ ſunt ſanctiſſimè conſervata, ſuam religionem obtineant.

XII. Curandum, ut à piratis mare ſit liberum, navigantibus
XIII. XIV. tutum: propugnacula imperii, & præſidia provinciarum
XV. firma: claſſes ornatæ: mercatores, & agricolæ, non modò à
XVI. calamitate, ſed etiam à metu calamitatis defendantur.

Nam in cæteris rebus, cùm venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in cultura agrorum, & in vectigalibus, non ſolum adventus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. Siquidem, cùm hoſtium copiæ non longè abſunt, etiamſi nulla irruptio facta ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit. Quare ſæpè totius anni fructus, uno rumore periculi, atque uno belli timore amittitur.

XVII. Non permittendum, ut apud exteros fiant injuriæ negotiantibus: quorum per ſe res, & fortunæ curæ eſſe debent: & multorum civium calamitas à Rep. ſejuncta eſſe non poteſt. Non poſſunt enim in civitate provincia, aut regno, multi rem atque fortunas amittere, ut non plures ſecum in eandem calamitatem trahant.

Ab hoc periculo prohibenda eſt Reſp. & omni ſtudio incumbendum, in quo vel gloria tui nominis & Imperii, vel ſalus ſociorum, vel fortunæ plurimorum civium, cum Rep. conſervantur, defenduntur, augentur.

Porrò, nihil eſt tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, dare ſalutem, liberare periculis (etſi difficilis ſit cura rerum alienarum) ídque etiam perutile, & opportunum eſt ad potiendum, ſi quid ex-
XVIII. pectas. Nihil in diſcrimine nimium videbitur. Sed non ſatis, verbis tum cavere. quia diligentius homines metuunt, quàm meminerint. & neſcio quomodo facilius in timore benigni, quàm in victoria grati reperiuntur.

XIX. Si verò ex fœdere auxilia petantur, prætermitti defenſio,
Fœdera ſervanda. deſeríque officium non poteſt: fœdus ſi quidem ſacroſanctum eſt:

eſt: Imperium gloria debet fultum eſſe, & benevolentia ſociorum. Quare, propter ſocios, nulla ipſi injuria laceſſiti, majores noſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt. Tibi verò nihil ad exiſtimationem eſſet turpius, quàm ſi tu, qui alieniſſimis à te, ſaluti exiſtimareris fuiſſe, ſociis auxilium ferre non poſſes.

Si præſidia tuis periculis fuerint ab exteris quærenda, non committe, ut eorum beneficio potiùs, quàm tua virtute, potentiáque tui ſalvi eſſe poſſint, aut videantur. XX. Cautiones duæ contra exterorum arma.

Eſt valdè cavendum, ne inter aliena vitia, vel auxiliarii milites, vel inimicæ gentes tuorum mala ſuam putent occaſionem: ut noſter populus, qui ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt: & victor dedit, ac detraxit regibus, atque ſociis, quod voluit. XXI.

Omninò Principis eſt maximè conſervare jura belli: nam cùm ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim: quúmque illud proprium ſit hominis: hoc belluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. De jure belli. XXII.

Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur: parta autem victoria conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt. Et cùm iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt: tum ii, qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi. in quo tantopere apud noſtros juſtitia culta eſt, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent more majorum. ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali pop. Rom. jure perſcripta eſt. ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod, aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè ſit & indictum. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.

Princeps ſuos tueri debet. majores enim noſtri mercatoribus retentis, vel injurioſius tractatis, bella geſſerunt. Legati, quòd erant appellati ſuperbius, Corinthum totius Græ- XXVII.

ciæ lumen exſtinctum eſſe voluerunt. ſiquidem exiſtimârunt legatos Senatus faciem ſecum afferre, auctoritatem populi, eorúmque jus, cùm hominum præſidio munitum eſſe, tum etiam divino jure vallatum.

XXVIII. De evertendis autem diripiendíſque urbibus, valdè illud conſiderandum eſt, ne quid temerè, ne quid crudeliter: niſi fortè in immanes, ut in Pœnos & Numantinos noſtri: qui Carthaginem & Numantiam funditùs ſuſtulerunt, nollem Corinthum: ſed credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci maximè, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari.

XXIX. Vitanda ſunt penitùs conditione & exemplo pertimeſcenda: veluti incendia: ne paria ab adverſariis exerceantur, quæ ad tuorum redundent perniciem.

XXX. Semper ſtatue non eſſe inſectandos imbelles, nec inimicorum amicos, qui tibi non nocuerunt.

XXXI. Fides ſervanda. Fides ſervanda diligentiſſimè: hanc autem qui violat, oppugnat omnium commune præſidium: & deceptos excitat, ut novarum ſe neceſſitudinum fidelitate, contra veterum perfidiam muniendos putent: ipſe notatur ſumma perfidiæ, & ſceleris infamia.

Concluſio.

Princeps tutor & patronus ſubditorum. Jam verò, cùm videas hæc omnia, pacem externam, otium domeſticum, ſalutem univerſorum, & cætera, quæ mortalibus chara, atque ampla ſunt, in tutelam, atque patrocinium tui Principatus eſſe collata: intellige, te in hac cuſtodia tanquam in ſpeculo collocatum eſſe, ut vacuum omni metu, atque malo, populum tua vigilia & proſpicientia reddas: tuum eſſe pro ſalute commodíſque omnium, pro univerſo Imperio vigilare: erecto animo, intentis oculis omnes Reip. partes intueri: in omnibus rebus, quas ſtatues, quas decernes, quas ages, quid Deo immortali, tantis hominum opinionibus, tantis de te judiciis, tantis honoribus debeas, cogitare.

GULIELMI BELLENDENI

MAGISTRI SUPPLICUM LIBELLORUM

Augusti Regis Magnæ Britanniæ, &c.

De Statu Liber tertius, inscriptus

Ciceronis Consul, Senator, Senatúsque Romanus, sive de Statu Reip. & Urbis imperantis Orbi.

O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! Punctum eſt illud, in quo Regna, & Reſpublicæ diſponuntur. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus niſi admitteretur, non fuerit operæ pretium naſci. Detrahe hoc inæſtimabile bonum, non eſt vita tanti, ut ſudem, ut æſtuem.

IN TRIBVS VNVM



Ser^{mis} Princ^{bus} HENRICO, CAROLO,
ELIZABETHÆ, liberis dulciss^{mis} Augusti
Regis Magnæ Britanniæ &c. *G. Bellendenus.*

Forma trium insignit Numen: Cor signat amorem:
Tres quia personæ Numinis, vnus amor,
Numine vester amor patriúmq; COR IN TRIBVS VNVM
Crescit: adunantur Regia corda trium.
Hinc Deus impertit vobis sua symbola: vestris
Vultq; sit in titulis, IN TRIBVS VNVS AMOR.

I. Gaultier incidit. 1612.

PRINCIPI MAGNANIMO,

OPTIMO, SERENISSIMO HENRICO

Principi Scotiæ & Walliæ, G. Bellendenus S.

CUM virtutis Regiæ & honoris amplissimi ornamenta intueor (Princeps Magnanime) aa quæ te numen extulit divinum, natura peperit, voluntas exercet, paterna & avorum accendit gloria: ac simul me refero ad tui suavitates animi, cogitóque positum apud te in gratia Ciceronis Principem*: mihi persuadeo te benignitatis adjecturum oculos ad* Consulem, Senatorem, Senatúmque Romanum, *Ciceronis expolitum doctrina, industria elaboratum, profecta ab otio: quo* Dei Opt. Max. *& Augusti Regis, chari tui patriæque parentis fruor munere. Hujus verò fructum in Romano collectum agro, fundéque vetere tibi offero: ut beneficio divino, regio, atque tuo, in usum publicum abeat, utilitatésque tradat juventuti patriciæ. Sin quæ manaverint in Britanniam, eas duces, opinor, tuas: cùm illius celebritatem & commoda existimes ad decus & splendorem redundare tuum. Fœcundus illo in imperio ager est honoris, magna seges gloriæ: clara senatorii, clara equestris ordinis progenies. Quæ ad res gerendas incensa, & secum ipsa certans, quoad virtus progredi poterit, perveniet: si, instar siderum, cursus sui vestigia nunquam inflectens, te, cujus in oculis habitant non nisi illustria, tanquam exemplar intueatur, tendátque patriæ sui lumen animi, ut*

Accipiat patris exemplum, tribuátque nepoti
Filius: & cœptis ne desit fascibus hæres,
Decurrat trabeata domus, tradátque secures
Mutua posteritas: servatóque ordine fati,
Dignus avis patrio natus succedat honori.

Vale. Kal. Sept. M.DC.XII. *Parisiis.*

CAROLO JACOBO FOX

Quòd veram illam & abſolutam eloquentiam
non modò coluerit, ſed cultam, qua potuit,
ad Salutem Patriæ Dignitatemque tuendam contulerit;
Quòd in ſuſcipiendis ſivè amicitiis, ſive inimicitiis,
has ſemper voluerit Mortales
habere, illas Sempiternas;
Quòd Mente ſolida invictaque permanſerit in propoſito,
atque improborum ſpreverit minas;
Quòd in Cauſa, quæ maxime popularis eſſe debuiſſet,
Non populariter ille quidem,
ut alii ficte et fallaciter populares,
ſed ſtrenue ac fortiter verſatus ſit;
Quòd denique, in fœdiſſimo illo
Optimi prudentiſſimique Senatus naufragio,
Id demum, imò id ſolum,
quod turpe eſſet,
Miſerum exiſtimârit, atque adeò cum bonis
Libere πολιτευτέον ſtatuerit,
potius quam periculoſe & ſimulate & cupide
inter malos,
Librum huncce ea, qua par eſt, Obſervantia.

D. D. D.

A. E. A. O.



Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Published as the Act directs Feb.y 6th 1787, by J. Jones, No. 63, Great Portland Street.

INDEX CAPITULORUM.

ritus,

tacere,

nis

CICERONIS

CONSUL, SENATOR,

SENATUSQUE ROMANUS, &c.

De Origine, dignitate, præstantia Romani Senatus: & necessario senum in omni dominatione consilio.

CAP. I.

[1] CUM multis locis nostrorum hominum ingenia virtutésque soleo mirari, tum maximè in [2] descriptione civitatis à majoribus nostris sapientissimè constituta. 3 Nam cùm à primo urbis ortu, partim regiis institutis, partim etiam legibus auspicia, cærimoniæ, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditúmque descriptio, tota res militaris divinitus esset constituta: tum progressio admirabilis incredibilísque cursus ad omnem excellentiam factus est dominatu regio rep. liberata. 4 In quo quantum præstiterint nostri prudentia cæteris gentibus, tum facilè intelligetur, si cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone nostra conferatur respublica. 5 quæ ex tribus generibus, regali, optimo, & populari confusa modicè, nec puniendo irritat animum immanem ac ferum: nec omnia permittendo, licentia cives deteriores reddit. *hæc enim fuisse video fundamenta civilis disciplinæ, & vincula reip. per nostros constitutæ.* 6 qui cùm regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reip. proponerent sempiternum: deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditúsque in illum summum ordinem omnium civium industriæ, ac virtuti pateret: senatum reip. custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt:

1 4. Tusc.
2 pro Sext.
3 4. Tusc.
4 1. de Orat.
5 6. de Rep.
6 pro Sext. an. CCXLIV.

verunt: hujus ordinis auctoritate uti magistratus, & quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt: senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem & commoda tueri, atque augere voluerunt. 7 id est enim professò, quod constituta religione remp. contineat maximè. *Hinc lex nostra.*8 EJUS DECRETA RATA SUNTO. Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quódque is creverit defendant omnes: &, si ordines reliqui principis ordinis consilio remp. gubernare velint: possit ex temperatione juris, cùm potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus, & concors civitatis status. 9 ut in fidibus ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis: quem immutatum ac discrepantem aures conditæ ferre non possunt: ísque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors efficitur & congruens: sic ex infimis, mediis, interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum, atque optimum omni in rep. vinculum incolumitatis: quæ sine justitia nullo modo esse potest: *nec ista, ni sit, quod omnia moderetur, principis ordinis consilium:* 10 sine quo Romæ ne Reges quidem esse potuerunt. *hi enim* 11 senatum habebant, *& in honore senes: quorum à Romulo institutus ordo* 12 proximè accessit, ut secundus esset ad regium principatum. 13 Mens & ratio, & consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omninò civitates fuissent. 14 Non enim viribus, aut velocitate, aut celeritate corporis, res magnæ geruntur: sed consilio, auctoritate, sententia: quæ cùm essent in senibus, summum consilium majores nostri appellabant senatum, *& lectos in hunc ordinem senatores.* 15 Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur

7 2. de leg.
8 3. de leg.
9 2. de Rep.
10 In Pis.
11 3. Phil.
12 3. de fin. ap.
13 In Cat.
14 Ib.
15 Ib.

nantur ſenes. Quod ſi legere, & audire voletis externa, maximas reſp. ab adoleſcentibus labefactatas, à ſenibus ſuſtentatas, & reſtitutas reperietis. Cedo qui veſtram remp. tantam amiſiſtis, tam citò? ſic enim percunctanti, ut eſt in Nævii ludo, reſpondentur & alia, & hæc in primis: *proveniebant ad res novi, ſtulti, adoleſcentuli.* temeritas eſt videlicet florentis ætatis, prudentia ſenectutis. Ille dux Græciæ nunquam optat, ut Ajacis ſimiles habeat decem, at, ut Neſtoris: quod ſi accideret, non dubitat, quin Troja brevi ſit peritura. *Hi autem parantur ab illis,* [16] qui putant ad ſe præceptum illud Atrei pertinere: [16] 5. Tuſc.

Proinde ita parent ſe in vita, ut vinci neſciant.

Igitur & Epaminondas princeps meo judicio Græciæ *clarus victoriis non tam de viribus aut armis, quàm de conſiliis* [17] gloriatur *hoc noto carmine:* 1. Tuſc. [17] Ib. & Pauſan. lib. 9.

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum,
Pubéque Meſſene floret adaucta nova
Jam valido armorum ſeptæ munimine Thebæ,
Legibus & fruitur Græcia tota ſuis.

[18] Quamvis etiam Themiſtocles jure laudetur, citetúrque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ: eſt tamen bellum geſtum conſilio ſenatus ejus, qui erat à Solone inſtitutus: & Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo Areopagum adjuverit: at ille verè à ſe dixerit adjutum Themiſtoclem. Parvi ſunt foris arma niſi ſit conſilium domi. [19] nec tantum Carthago habuiſſet opum ſexcentos ferè annos ſine conſiliis & diſciplina: *nec noſtri niſi inſtitutionem retinuiſſent Romuli,* [20] hanc remp. tam præclarè fundatam nobis reliquiſſent. [18] 1 Off. [19] 1. de Rep. [20] 1. Parad.

[21] Moribus antiquis res ſtat Romana viríſque. [21] 5. de Rep.

Quem quidem ille versum, vel brevitate vel veritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. nam neque viri nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam, & tam longè, latéque imperantem remp. Itaque ante nostram memoriam, & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & veterem morem, ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra verò ætas, cùm remp. sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate: non modò eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus, & extrema tanquam lineamenta servaret. quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modò non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? mores enim ipsi interierunt virorum penuria. Cujus tanti mali non modò reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo remp. verbo retinemus, reapse verò jampridem amisimus. [22] veri juris, germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur: feruntur enim ex optimis naturæ principiis. *quæ cùm nostri majores spectassent,* [23] remp. bonis temperaverunt & institutis, & legibus. [24] ex iis autem, qui magistratum ceperunt, senatus constituebatur: *quod & adhuc manet:* [25] sed dignitas in sententiis dicendis, libertas in rep. capessenda sublata tota, *ut suo dicetur loco. Interea hæc habe:*

[22] 3. Off.
[23] 1. Tusc.
[24] 3. de leg.
[25] ep. 9. l. 1. f.

Annus erat, decimum cùm luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Inde patres centum denos secrevit in orbes

Romu-

Romulus, hastatos instituitque decem.
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.
Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosque vocant Rhamnes, Luceribusque dedit.

De Consulibus institutis *Romæ, & jure primo consulari penè regio imminuto variè.*

CAP. II.

[1] *Fallitur egregio quisquis sub principe credit* [1] Claud. lib.
Servitium: nunquam libertas gratior exit, 3. in Stilic.
Quàm sub rege pio.

[2] MIHI nihil unquam populare placuit: [3] regale nomen magnum ac sanctum semper visum est. [4] omnium rerum-publicarum nostram illam veterem, [5] eámque, quam consul constitui, quæ sit in potestate optimorum, remp. duco esse optimam. [6] Cùm consilium principes cepissent cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni esse tollendam, [7] atque non nemini, sed non semper uni parere voluissent, [8] instituerunt annuos consules: [9] civitatemque perpetuo dominatu liberatam legibus judiciísque devinxerunt. [10] Quæ si fuissent extrema, *resp. permansisset in potestate optimorum: nec* [11] convaluisset jus multitudinis. [12] Sed ea natura rerum fuit, ut hæc non potuerint esse extrema: [13] non enim jus illud *consulare* solùm superbius populo, sed violentius videri necesse erat. [14] Omninò est hoc populi, maximéque nostri in eo potissimùm abuti libertate, per quem eam consecutus sit. *Et vero tam fuit ab omnibus desiderata libertas,* [15] ut anno XVI. post reges exactos,

[2] [3]. de leg.
[3] pro Man.
[4] 2. de leg.
[5] 3. de leg.
[6] 3. off. Anno CCXLIV.
[7] 3. de leg.
[8] 1. de rep.
[9] In Bruto.
[10] ep. 17. l. 2. At ap.
[11] 3. de leg.
[12] d. ep. 17.
[13] l. 3. de leg.
[14] ep. 12. l. 11. fa.
[15] 1. pro Corn. an. CCLIX.

actos, propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos Tribunos crearent, montem illum Anienem, qui hodie Mons Sacer nominatur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ consecrarent. Itaque auspicato postero anno, x. Tribuni pl comitiis curiatis creati sunt per pontificem,
[16] pro Sext. quòd magistratus nullus erat: 16 Sacratis legibus sancitum est, ut NEVE PRIVILEGIUM IRROGARI LICERET, NEVE DE CAPITE NISI COMITIIS CEN-
[17] de Pro. cons. TURIATIS ROGARI, 17 NEVE CREARE PATRICIUM TRIB. pl. 18 Tribunatus non modò contra vim &
[18] pro Sext. ferrum, sed etiam contra verba, atque interfationem legi-
[19] 3. de leg. bus sacratis est armatus. *En quo progressum.* 19 Aut exigendi reges non fuerant, ant plebi re, non verbo danda
[20] Ib. libertas. 20 Unum *igitur* in civitate esse magistratum, cui reliqui parerent, exactis regibus *video* placuisse majoribus nostris. Sed quoniam regale civitatis genus probatum quondam, posteà non tam regni, quàm regis vitiis repudiatum est, res manebat, cùm unus omnibus reliquis magistratibus imperaret. Quare ut Ephori Lacedæmone à Theopompo oppositi sunt regibus: sic apud nos consulibus tribuni. Illud quidem ipsum, quod in jure positum est habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno. qui post exstitit ipse, ne id, quod fuerat, esset. Hoc enim primùm minuit consulare jus, quòd exstitit ipse, qui eo non tenetur. Deinde, quòd attulit auxilium reliquis non modò magistratibus,
[21] Ib. sed etiam privatis consuli non parentibus. 21 Hoc bonum *tamen* quæsitum, *quod* vis populi multò sævior, multòque vehementior, ducem quòd habeat, interdum lenior est, quàm si nullum haberet. dux enim suo periculo progredi cogitat. populi impetus periculi rationem sui non habet. *Deinde jus consulare temperatum est:* invidia summu

mus ordo caret: plebs de suo jure periculosas contentiones non facit: ei sic data libertas, ut multis præclarissimis legibus addiceretur, ut auctoritati principum cederet. *Postremò* sapientiam majorum in hoc vide: concessa plebi à patribus ista potestate arma ceciderunt: restincta seditio est: inventum temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari se putârint. in quo uno fuit civitatis salus. [22] non enim facile populo resistitur, si aut nihil impertias juris, aut parum. *Nequè solùm creatis tribunis, sed etiam censoribus, præt. atque ædilibus consulare jus minutum est: data censoribus cura censendi, prætoribus jurisdictione, ædilibus plebis tuitione sacrarum ædium, curulibus varia curatione publica: quæ omnia fuerant juris consularis Cum his tamen consules non tam malè conveniebant. sed* [23] nescio quod habet susceptum bellum consulatus cum tribunatu: quia persæpe seditiosis atque improbis tribunis pleb. boni & fortes consules obstiterunt: & quia vis tribunitia nonnunquam libidini restitit consulari. [24] Magna majestas est consulis, [25] nimia potestas est tribunorum pleb. [26] neque tamen nos id querimur, esse hanc tribunorum potestatem: tantummodo, si quis ea potestate temerè est usus, existimamus. [27] D. Brutum & P. Scipionem coss. (quos & quantos viros?) homo omnium infimus, & sordidissimus tribunus pleb. P. Curiatius in vincula conjecit: quod anteà factum non erat. *C Matienus accusatus est apud tribunos pleb. quòd exercitum in Hispania deseruisset, damnatúsque sub furca diu virgis cæsus est: & sestertio nummo veniit: tribuni pleb. quia non impetraverunt. ut sibi denos, quos vellent milites eximere liceret, consules in carcerem mitti jusserunt.* [28] Statuerunt majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur: ut melius videlicet ad omnes, pœna ad pau-

[22] 4. de rep.
[23] 2. Agr.
[24] In pis.
[25] 3. de leg.
[26] 2. Agr.
[27] 3 de leg. Anno DCXV
[28] pro Cluen.

cos perveniret. nam miles qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vímque pertimuit, poteſt idem poſteà & miles eſſe melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicii metus eſt à majoribus conſtitutus. ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcircò illa ſortitio comparata eſt. *quam tribuni ſecuti non videntur: nec ſe tamen per conſules impediri, aut cogi in ordinem*
29 2. de Or. *paſſi ſunt. Major fuit* 29 crudelitas tribunitia in Cepio-
Anno DCXLVIII. nis gravi miſerabilíque caſu. *huic enim primo poſt Tarquinium rogatione imperium abrogatum eſt: quòd conſul* 30
30 2. off.
31 2. de Or. cum Cimbris bellum 31 gerens fugiſſet, & amiſiſſet exercitum.

De Studiis ad Consulatus *honorem appoſitis, vera gloria, honore vero.*

CAP. III.

1 pro Mur. *QUI conſulatum petit,* 1 ſummum imperium, ſummam auctoritatem, gubernacula reip. deníque orbis terrarum imperium à populo Rom. petit. *Itaque non niſi*
Ib. 2 ſummis ornamentis fretum ad conſulatus petitionem aggredi par eſt: *Nec putandum in tenui* 3 diſciplina muni-
3 Ib. tam eſſe ad conſulatum viam. Omnes enim artes, quæ nobis populi Rom. ſtudia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere. Summa dignitas eſt in iis, qui militari laude antecellunt. Omnia enim, quæ ſunt in imperio & in ſtatu civitatis, ab iis defendi & firmari putantur. Summa etiam utilitas: ſiquidem eorum conſilio & periculo cùm reip. tum etiam noſtris rebus perfrui poſſumus. Gravis etiam illa eſt, & plena dignitatis

tis dicendi facultas: quæ ſæpè valuit in conſule deligendo: poſſe conſilio atque oratione & ſenatus, & populi, & eorum, qùi res judicant, mentes permovere. [4] Quæri *tamen non ſolet* num diſertus: imo id, quod ſecundum eſt, ne quæritur quidem: num juriſconſultus? Omnes enim iſtiuſmodi artes in iis reprehenduntur, qui cùm profeſſi fuerint ſatisfacere non poſſunt: non in iis, qui abfuiſſe ſe ab his ſtudiis profitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet. Ut nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem, ſi pro fabro, aut pro textore emimus, ferre moleſtè ſolemus, ſi eas artes, quas in emendo ſecuti ſumus, fortè neſciverit: ſin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo niſi frugalitatem, laborem, vigilantiam eſſe curamus: ſic populus Rom. deligit magiſtratus, quaſi reip. villicos: in quibus, ſi qua præterea eſt ars, facilè patitur: ſin minus virtute eorum, & innocentia contentus eſt. quotus enim quiſque diſertus, quotus quiſque juris peritus eſt, ut eos numeres, qui volunt eſſe? quòd ſi prætereà, honore digniſſimus eſt nemo, quidnam tot optimis & ornatiſſimis civibus eſt futurum? Attamen cùm [5] ad ſtudiorum atque artium contentionem venitur, *duæ eminent* [6] artes, quæ poſſunt locare homines in illo ampliſſimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur. Cæteræ tamen virtutes ipſæ per ſe multum valent, juſtitia, fides, pudor, temperantia: ſed nunc de ſtudiis ad honorem appoſitis, non de ſua cujuſque inſita virtute diſputo. Omnia iſta nobis ſtudia de manibus excutiuntur, ſimul atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit. Etenim, ut ait ingenioſus poëta, & auctor valde bonus, prœliis promulgatis TOLLITUR E MEDIO, non ſolùm iſta verboſa ſimulatio

4 pro Plan.

5 pro Mur.

6 Ib.

latio prudentiæ, sed etiam ipsa illa divina rerum SAPIENTIA: VI GERITUR RES: SPERNITUR ORATOR, non solùm odiosus, in dicendo loquax, verùm etiam BONUS: HORRIDUS MILES AMATUR: juris civilis verò studium totum jacet; NON EX JURE MANUM CONSERTUM, SED MAGE FERRO, inquit, REM REPETUNT. quod si ita est, cedat, opinor, forum castris, otium militiæ, umbra soli. sit denique in ea civitate prima ars, propter quam ipsa est civitas omnium princeps, *Quare si de* [7] artium contentione *agatur*, quî potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum, multò plus afferat dignitatis rei militaris, quàm juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut, quo intendit, maturè cum exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat: tu actionem instituis, ille aciem instruit: tu caves ne tui consultores, ille ne urbes aut castra capiantur: ille tenet, & scit ut hostium copiæ, tu ut aquæ pluviæ arceantur: ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. Ac nimirum (dicendum est enim quod sentio) rei militaris virtus præstat cæteris omnibus. Hæc nomen populo Rom. hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit. Omnes urbanæ res, omnia hæc nostra præclara studia, & hæc forensis laus, & industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis: simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illicò nostræ conticescunt. *quo tempore* [8] æquus dignitatis judex populus fortasse est: utinam verò semper esset: est perrarò: sed & si quando est, in iis magistratibus est mandandis, quibus salutem suam committi putat. *Ego filio* [9] soleo præcipere, quæ ille à Jove ortus suis præcepit filiis: VIGILANDUM EST SEMPER: MULTÆ INSIDIÆ SUNT BONIS. NON TE ID QUOD MULTI INVIDEANT, MULTIQUE EXPETANT. Nostis cætera, quæ scripsit gravis

[7] Ib.

[8] pro Plan.

[9] Ib.

gravis & ingenioſus poëta, non ut illos regios pueros, qui jam nuſquam erant, ſed ut nos, & noſtros liberos ad laborem laudémque excitaret. In noſtra rep. honorum gradus ſummis hominibus, & infimis ſunt pares, gloriæ diſpares. Eſt enim ad virtutem multus aſcenſus: uti is gloria maximè excellat, qui virtute plurimùm præſtet. Honorum populi finis eſt conſulatus: quem magiſtratum jam octingenti ferè conſecuti ſunt. Horum, ſi diligenter quæras, vix decimam partem reperias gloria dignam. *Nam plerique* [10] nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil præſtantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. ad quam fertur optimus quiſque: verámque illam honeſtatem expetens, quam unam natura maximè inquirit, in ſumma inanitate verſatur: conſectatúrque non illam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ. eſt enim gloria, ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata. ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellente virtute. ea virtuti reſonat tanquam imago voci. quæ quia rectè factorum plerumque comes eſt, non eſt à bonis viris repudienda. Illa autem, quæ ſe ejus imitatricem eſſe vult, temeraria atque inconſiderata, & plerumque peccatorum vitiorúmque laudatrix, fama popularis, ſimulatione honeſtatis formam ejus pulchritudinémque corrumpit. qua cæcitate homines, cùm quædam præclara etiam cuperent, eáque neſcirent nec ubi, nec qualia eſſent, funditus alii everterunt ſuas civitates, alii ipſi occiderunt. Atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quàm curſus errore falluntur, *ut duo Gracchi, atque etiam* [11] C. Curio: qui ſi me audire voluiſſet, honores, quàm opes conſequi maluiſſet. Quidnam eſt, inquies, iſthuc? & quemadmodum diſtinguis? Hoc modo: cùm honos ſit præmium virtutis judicio ſtudióque civium delatum ad aliquem: qui eum ſententiis, qui ſuffragiis adeptus eſt, is mihi & honeſtus, & honoratus videtur,

[10] 3. Tuſc.

[11] in Brut.

[12] pro Mil. videtur, *licet sit illam non consecutus gloriam, quæ* [12] ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum est præmium. [13] Qui autem occasione aliqua etiam invitis suis civibus nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem puto. Quæ si ille audire voluisset, maxima cum gratia & gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater ejus fecerat, ut reliqui clariores viri. Quæ quidem etiam cum P. Crasso. M. F. cùm initio ætatis ad amicitiam se meam contulisset, sæpè me egisse arbitror, cùm eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus tritam ei reliquissent. erat enim cùm institutus optimè, tum etiam perfectè planéque eruditus: inerátque & ingenium satis acre, & orationis non inelegans copia: prætereáque sine arrogantia gravis esse videbatur, & sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit æstus quidam non insolitæ adolescentibus gloriæ: qui, quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat: cui muneri mos majorum ætatem certam, sortem incertam reliquit Ita gravissimo suo casu, dum Cyri & Alexandri similis esse voluit; qui suum cursum transcurrerant, & L. Crassi, & multorum Crassorum inventus est dissimillimus.

[13] In Br.

In quibus ponitur *Romanorum petitio magistratuum: unde proficiscuntur potestates & imperia: quæ sit ratio comitiorum.*

CAP. IV.

[1] de pet. Cons. [1] *PETITIO* magistratuum divisa est in duarum rationum diligentiam: quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est. Ea desiderat nomenclationem, blandi-

blanditiam, aſſiduitatem, benignitatem, rumorem, ſpeciem in rep. [2] In quo illud debes putare, in comitiis, eos qui ſuffragium ferant, quid cuique ipſi debeant conſiderare ſæpius, quàm quid cuique à rep. videatur deberi : [3] poteſtatem injuſſu populi aut plebis poſſe habere neminem. Atqui [4] cùm omnes poteſtates, imperia, curationes ab univerſo populo Rom. proficiſci convenit, tum eas profectò maximè, quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquem, & commodum : quo & univerſi deligant, quem populo Rom. maximè conſulturum putent : & unuſquiſque ſtudio & ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficium impetrandum munire poſſit. [5] Itaque temporibus *veterum*, qui populares erant, ſuffragiis, quod contenderant, conſequebantur. [6] nam patres apud majores noſtros tenere non potuerunt, ut reprehenſores eſſent comitiorum : *populi tamen poteſtatem atque motus quibuſdam temperarunt remediis.* [7] Sæpè enim populi impetum injuſtum auſpiciis repreſſerunt : *tum aſcriptione*, [8] ſi quid jus non eſſet rogari, ejus ea lege nihilum rogatum : hoc in omnibus legibus aſcribitur : *item* [9] binis comitiis. [10] Majores de omnibus magiſtratibus bis populum ſententiam ferre voluerunt. Nam cùm centuriata lex conſulibus ferebatur, cùm curiata cæteris patriciis magiſtratibus : tum iterum de iiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenet centuriata & tributa : curiata tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt [11] ad ſpeciem, atque ad uſurpationem vetuſtatis per XXX. lictores adumbrata. [12] Ita majores binis comitiis voluerunt populum de ſingulis magiſtratibus judicare, [13] tum magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi patres auctores non erant facti. [14] Quamobrem plebi libertas ſic data eſt, ut multis præclariſſimis legibus addiceretur : ut auctoritati principum cederet. *Nulli tamen licet* [15] judicium populi Rom. reprehendere, *vel* [16] tanquam ex ſyngrapha agere cum populo, ut quem

locum

[2] pro Plan.
[3] 2. Agr.
[4] Ib.
[5] pro Sext.
[6] pro Plan.
[7] 3. de leg.
[8] pro Cæcin.
[9] v. nu. 12.
[10] 2. Agr.
[11] Ib.
[12] Ib.
[13] pro Plan.
[14] 3. de leg.
[15] pro Plan.
[16] pro Mur.

locum ſemel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat. Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum: quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum. dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpè etiam ſine ulla aperta cauſa fit aliud, atque exiſtimaris: ut nonnunquam ita factum eſſe etiam populus admiretur, quaſi verò non ipſe fecerit. Nihil eſt incertius vulgo, nihil obſcurius voluntate hominum,
[17] pro Clu. nihil fallacius ratione tota comitiorum. [17] Ut mare, quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitatur, atque turbatur: ſic & populus Rom. ſua ſponte eſt placatus, hominum ſeditioſorum vocibus, ut violentiſſimis tempeſta-
[18] pro Flac. tibus concitatur. [18] Cùm eſt forum plenum judiciorum, plenum magiſtratuum, plenum optimorum virorum & civium: cùm ſpeculatur atque obſidet Roſtra vindex temeritatis, & moderatrix officii curia: tamen quantos fluctus concionum excitari videtis? hic nullæ judicis partes eſſe
[19] pro Plan. poterunt. [19] quare victus ſis, non debet judex quærere,
[20] Ib. modò ne largitione ſis victus. *Alioqui* [20] tollerentur ſtudia, exſtinguerentur ſuffragationes, nullæ contentiones forent, nulla libertas populi in mandandis magiſtratibus, nulla expectatio ſuffragiorum. Sin campus atque illæ undæ comitiorum, ut mare profundum & immenſum, ſic effervefcunt quodam quaſi æſtu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu, temeritatis modum aliquem, & conſilium, & rationem re-
[21] pro Mil. quiramus? *Jam verò* [21] cùm honoris ampliſſimi eſt contentio, quis ignorat *quæ ſtudia ſint ambientium*: quam timida ſit ambitio: quantáque, & quàm ſollicita cupiditas conſulatus? Omnia non modò, quæ reprehendi palam, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timemus: rumorem,

fabulam

fabulam falſam, fictam, levem perhorreſcimus: ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, ſenſúſque civium: qui non modò improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam rectè facta ſæpè faſtidiunt. [22] *Non tamen* faciet *magno vir animo, nec* gravitatis eſſe putabit ſuæ, quod multi nobiles ſæpè fecerunt, ut, cùm minus valuiſſent ſuffragiis, quàm putaſſent, poſteà prolatis comitiis proſternerent ſe, & populo Rom. fracto animo, atque humili ſupplicarent. *Virtus de ſtatu & gradu ſuo non dejicitur. Etenim,* [23] cùm ſapiens & bonus vir, qualis fuit C. Lælius, ſuffragiis præteritur, populus à bono conſule potiùs, quàm ille à vano populo repulſam fert.

[22] pro Plan. ap.

[23] 5. Tuſc.

A QUIBUS HABENTUR *conſularia comitia: cui dictatoris dicendi jus eſt: quantopere ſervantur in magiſtratibus creandis ſolennia: quomodo renunciatur conſul: quæ ſit ejus prima concio: cur Ciceronem Metellus abeuntem magiſtratu concione privavit.*

CAP. V.

CONSULES *centuriatis creantur comitiis, curiatis cæteri patricii magiſtratus. Conſularia comitia à prætore haberi non poterunt. Cæſar poſt diſceſſum ab urbe conſulum voluit de comitiis decerni conſularibus à prætore habendis.* [1] Nam permagni ejus interfuit, rem ad interregnum non venire: id aſſequebatur, ſi per prætores conſules crearentur. Nos autem in libris habemus non modò conſules à prætoribus, ſed ne prætores quidem creari jus eſſe, idque factum eſſe nunquam; conſules eo non eſſe jus, quod majus imperium à minore rogari non ſit jus, prætores autem, quòd ita

Anno DCCIV.

[1] ep. 11. l. 9. At.

ita rogentur, ut collegæ consulum sint, quorum est majus imperium. *Fusa apud Thrasimenum lacum Romana acie, & Annibale magnis artibus terrente omnia, ab* [2] *Æmilio prætore urbis ex* SC. *literæ ad consules missæ, ut si eis videretur, alter eorum ad consules creandos Romam veniret: se in eam diem, qua jussissent comitia, edicturum. Ad hæc à consulibus rescriptum, sine detrimento reip. abscedi non posse ab hoste: itaque per interregem comitia habenda esse potius, quàm consulum alter à bello avocaretur. Patribus rectius visum est dictatorem à cos. dici comitiorum habendorum causa: dictus L. Veturius Philo M. Pomponium Mathonem magistrum equitum dixit. His vitio creatis jussisque die quartodecimo se magistratu abdicare, ad interregnum res rediit. Consulibus in annum prorogatum imperium. interreges proditi à patribus Cn. Claudius Cento, inde P. Cornelius Asina. At Cæsar non tenuit, quæ erant in more majorum: nec sicut Sylla effecit, ab interrege, ut dictator diceretur, sed à Lepido prætore:* 3 *& comitia dictator habuit consularia, quibus ipse cum P. Servilio consul est creatus. quippe ambienti omnia sunt legitima, & periclitanti salutaria habentur justa. Atqui Cæsar forsan acceperat in rebus* 4 *olim turbidis ab alio, quàm à Consule dictatorem dictum. Accepta apud Veios ignominia & clade, mœsta civitas fuit, vinci insueta, odisse tribunos militum potestate creatos consulari, poscere dictatorem: in eo verti spes civitatis: &, cùm ibi quoque religio obstaret, ne posset nisi à consule dici dictator: augures consulti eam religionem exemêre. A. Cornelius trib. mil. dictatorem Mamercum Æmilium dixit: & ipse ab eo magister equitum est dictus. Adeo simul fortuna civitatis virtute vera eguit: nihil censoria animadversio effecit, quominus regimen rerum ex notata indignè domo peteretur.* 5 *Omnium prope Annales Fabium dictatorem adversus Annibalem rem gessisse tradunt prælio, quo Annibal abs se Minutium, se à Fabio victum asseruit.*

Cælius

2 Liv. l. 22. Anno DXXXVI.

3 Cæsar l. 3 de Bel. Civ.

4 Liv. l. 4. Anno CCCXXXI.

5 Id. lib. 22. Anno DXXXVI

Cœlius etiam eum à populo primùm creatum dictatorem scribit. Sed & Cœlium, & cæteros fugit uni consuli Cn. Servilio, qui tunc procul in Gallia provincia aberat, jus fuisse dicendi dictatoris. quam moram, quia expectare jam territa clade civitas non poterat, eo decursum esse, ut à populo crearetur, qui pro dictatore esset: res inde gestas, gloriámque insignem ducis, & augendæ titulum imaginis posteris, ut dictator pro prodictatore, facilè obtinuisse. In his multa sunt solennia, quæ nisi serventur summa cum cæremonia creati jubentur se, ut dixi, abdicare. [6] P. Scipionem, C. Figulum consules, —cùm Tib. Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repentè mortuus. Gracchus cùm comitia nihilo minus peregisset, remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit. Senatus quos ad soleret referendum censuit. Aruspices introducti responderunt non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus, ut è patre audiebam, incensus ira, Itáne verò? ego non justus, qui & consul rogavi, & augur, & auspicatò? an vos Tusci, ac barbari auspiciorum populi Rom. jus tenetis, & interpretes esse comitiorum potestis? Itaque tum illos exire jussit. Post autem ex provincia litteras ad collegium misit, se cùm legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortis Scipionis: quòd, cum pomœrium intrasset habendi senatus causa, in redeundo, cùm idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos esse consules. Augures rem ad senatum: senatus ut abdicarent: consules abdicaverunt. —Vir sapientissimus, atque haud scio an omnium præstantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quàm hærere in rep. religionem: consules summum imperium statim deponere, quàm id tenere punctum temporis contra religionem. *Sed revertor ad comitia consularia. Hæc habituri consules proponunt edictum,* [7] *quo diem comitiis edicunt, vel, si absint, prætor edicit quem jusserint.*

[6] 2. de Nat. An. cxc.

[7] Liv. l. 26. v. nu. 2.

C *Fit*

[8] 2. Phil. [9] 1. de Divin. [10] Asc. in Divin. [11] 2. de Or. Anno DLXXIII. [12] Liv. l. 26. Anno DXLII.

Fit [8] comitiorum die sortitio prærogativæ: renunciatur. prima classis vocatur: renunciatur. deinde ita ut assolet, suffragatum. secunda classis vocatur. [9] prærogativam majores omen justorum comitiorum esse voluerunt. [10] *prærogativæ dicebantur, quòd primæ rogarentur, quos vellent consules fieri. Lepidè* [11] Maluginensis ille M. Scipio, cùm ex centuria sua renunciaret Acidinum consulem, præcóque dixisset, Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiúmque civem esse arbitror. *Quàm est hoc lepidum, tam est illud grave, & insigne ad memoriam virtutis priscæ Romanorum, quod evenit in comitiis, quæ* [12] *Fulvius consulibus rogandis habuit. His prærogativa centuria juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium: Manlius, qui præsens erat, gratulandi causa cùm turba coiret, nec dubius esset consensus populi, magna circumfusus turba ad tribunal consulis venit: petiitque, ut pauca sua verba audiret, centuriamque, quæ tulisset suffragium, revocari juberet. Erectis omnibus expectatione, quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusavit. Impudentem & gubernatorem & imperatorem esse, qui, cùm alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita ac fortunas committi. proinde si videretur, & redire in suffragium centuriam juniorum juberet: & meminisset in consulibus creandis belli, quod in Italia sit, temporumque reip. vix dum requiescere aures à strepitu & tumultu hostili: quo paucos ante menses assederint prope mœnia Ro. post hæc, cùm centuria frequens succlamasset, nihil se mutare sententiæ, eosdemque consules dicturos esse: tum Torquatus: Neque ego, inquit, vestros mores consul ferre potero, neque vos imperium meum? redite in suffragium, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hostium ducem Annibalem esse. Tum centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit à consule, ut centuriam seniorum citaret. velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. citatis centuriæ senioribus, datum secretò in ovili cum his*

colle-

colloquendi tempus. Seniores de tribus conſulendum dixerunt eſſe, M. Marcello, Q. Fabio, M. Valerio. Ita de tribus conſultatione data, ſenioribus dimiſſis, juniores ſuffragium ineunt. Marcellum & Valerium abſentes conſules dixerunt auctoritatem prærogativæ omnes centuriæ ſecutæ ſunt. Eludant antiqua mirantes. non equidem nunc, ſi qua ſit ſapientium civitas, quam docti fingunt magis, quàm norunt: aut principes graviores temperatioréſque à cupidine imperii, aut multitudinem melius moratam cenſeam fieri poſſe? Centuriam verò juniorum ſeniores conſulere voluiſſe, quibus imperium ſuffragio mandaret, vix ut veriſimile ſit, parentum quoque hoc ſeculo vilis levíſque apud liberos auctoritas fecit. [13] Conſularis candidatus poſtquam præconis voce ſeniorum juniorúmque centuriis illo honore affici renunciatur: vel *(quod mihi contigit)* [14] non extrema tribu ſuffragiorum, ſed primis concurſibus, neque ſingulis vocibus præconum, ſed una voce univerſi populi Rom. conſul declaratur, *conſulis renunciari voce ſolet, & ſolenni comitiorum precatione diis commendari. Ego* [15] precatus ſum à diis immortalibus more inſtitutóque majorum illo die, quo auſpicatò comitiis centuriatis L. Murenam conſulem renunciavi, ut ea res mihi magiſtratuíque meo, populo, plebíque Rom. benè atque feliciter eveniret. [16] Eſt hoc etiam in more poſitum inſtitutóque majorum, ut ii, qui beneficio populi Rom. imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primùm habeant concionem, qua gratiam beneficii illius cum ſuorum laude conjungant. Qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur. Plerique hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum eſſe videatur, unde etiam quod poſteris ſolveretur redundaret. *Adhæc conſul non modò deſignatus, ſed abiens magiſtratu jurat, eodemque tempore concionem habet.* [17] Metellus trib. plebis prid. Calend. Jan. qua injuria nemo unquam in aliquo magiſtratu improbiſſimus civis affectus eſt, ea me conſulem affecit, cùm remp. conſervaſſem: atque abeuntem magiſtratu

[13] 7. Ver. ap.

[14] 2. Agr.

[15] pro Mur.

[16] 2. Agr.

[17] ep. 2. l. 5. fa. An. DCXCI.

giſtratu concionis habendæ poteſtate privavit. cujus injuria tamen mihi honori ſumma fuit. Nam cùm ille mihi nihil, niſi ut jurarem permitteret, magna voce juravi veriſſimum
[18] In Piſ. pulcherrimúmque jusjurandum : [18] REMP. ATQUE HANC URBEM MEA UNIUS OPERA ESSE SALVAM. Mihi populus Rom. univerſus, illa in concione non unius diei gratulationem, ſed æternitatem, immortalitatemque donavit : cùm meum jusjurandum tale, atque tantum, juratus
[19] d. ep. 2. ipſe una voce, & conſenſu approbavit. [19] Hac accepta tam inſigni injuria, tamen illo ipſo die miſi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente deſiſteret : quibus ille reſpondit, ſibi non eſſe integrum. Etenim paulò antè in concione dixerat, ei, qui in alios animadvertiſſet indicta cauſa, dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. Hominem gravem, & civem egregium : qui, qua pœna ſenatus, conſenſu bonorum omnium eos affecerat, qui urbem incendere, magiſtratus ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent : eadem dignum judicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberaviſſet.

CONSULI A SENATU *honos defertur : ſenatus auctoritatem conſul tuetur : Piſo & Gabinius exagitantur, quòd in conſulatu ſenatum ſpreverint.*

CAP. VI.

[1] In Piſ. [2] pro Sext. [3] poſt red. [4] pro Sext. [5] 4. Catul.

[1] CONSULI omnes parent : in curiam venienti aſſurgunt. *eíque omnia deferunt, quæ tribuenda ſunt* [2] publici conſilii duci, [3] reip. tutori, [4] cuſtodi & conſervatori hujus urbis & imperii. [4] *Ejus viciſſim eſt tueri auctoritatem ſenatus. Ego conſul liberè in ſenatu profitebar me* [5] conſulem, qui & parere *ſenatus* decretis non dubitarem : &

ea, quæ ſtatueret, defenderem, & per me ipſum præſtare poſſem. [6] In C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me conſulem, interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi: *Contrà, in mea cauſa* [7] Piſo productus in concionem ab eo, cui æquatum præbebat conſulatum ſuum, cùm eſſet interrogatus, quid ſentiret de conſulatu meo? gravis auctor reſpondet crudelitatem ſibi non placere. crudelitatis ſenatum conſul in concione condemnavit. non enim me, qui ſenatui parui. nam relatio illa ſalutaris & diligens fuerat conſulis: animadverſio quidem, & judicium ſenatus. [8] Hic eſt ille, cui, cùm ſenatus luctum & dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet: cùm videret mœrere remp. ampliſſimi ordinis luctu, fecit quod nulla in barbaria quiſquam tyrannus. Omitto enim illud conſulem edicere, ut ſenatus SC. ne obtemperet: quo fœdius, nec fieri, nec cogitari quicquam poteſt: edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, ut ſenatus contrà quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. [9] Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia: eripis lachrymas, non conſolando, ſed minando. [10] O diem illum funeſtum ſenatui boníſque omnibus, reip. luctuoſum, mihi ad domeſticum mœrorem gravem, ad poſteritatis memoriam glorioſum! Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quàm pro uno cive, & bonos omnes privato conſenſu, & univerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? quæ quidem tum mutatio, non deprecationis cauſa eſt facta, ſed luctus. quem enim deprecarentur, cùm omnes eſſent ſordidati? cúmque hoc ſatis eſſet ſigni, eſſe improbum, qui mutata veſte non eſſet? Hac mutatione veſtis facta tanto in luctu civitatis, omitto quid Tribunus fecerit: de conſulibus loquor, quorum fide reſp. niti debuit. Gabinius exanimatus evolat ex

[6] In Piſ.

[7] Ib. an. DCXCV.

[8] Ib.

[9] Ib.

[10] pro Sext.

senatu, non minus perturbato animo, atque vultu, quàm si annis antè paucis in creditorum conventum incidisset. advocat concionem: habet orationem talem consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset: errare homines, si etiam tum senatum aliquid in repub. posse arbitrarentur: equites verò Rom. daturos illius diei pœnas, quo me consule cum gladiis in clivo Capitolino fuissent: venisse tempus iis, qui in timore fuissent (conjuratos videlicet dicebat) ulciscendi se. si dixisset hoc solùm, omni supplicio dignus esset. nam oratio ipsa consulis perniciosa potest remp. labefactare. Quid fecerit *quæris? nihil ille, nihil collega dignum consule: cujus omnia acta, omnis de senatu & ad senatum oratio, plena debet esse gravitatis, plena dignitatis: ut*
[11] 5. Phil. *quemadmodum senatus ad consulem, sic consul* [11] ad senatum respectum habeat. *Nil senatus decernit, nil senatores decernendum censent, ut fiat à consulibus: nec consules à senatu quid decerni postulant, nisi velut arbitrio relicto per honoris verba,* SI VIDEATUR, SI VIDERETUR. *Consularis postulatio.*
[12] v. cap. 16. & cap. 23. nu. 57. [12] In senatu Cn. Lentulus, & L. Gellius coss. faciunt mentionem: Placere statui, si patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in provinciis reï fierent rerum capita-
[13] v. cap. 50. & 51. lium. *Senatoria sententia:* [13] Censeo uti C. Pansa, A. Hirtius coss. alter ambóve, si eis videretur, rep. recuperata, de provinciis consularibus, prætoriis ad hunc ordinem primo quoque tempore referant.

CATULI DE CONSULIBUS *Rom. elogium: quæ in motibus debeat esse cura consulum.*

CAP. VII.

[a] Post. red. Anno. DCLXVI. [a] AUDIERAM ex sapientissimo homine, atque optimo civi & viro Q. Catulo, non sæpè unum consulem improbum, duos verò nunquam excepto illo Cinnano

Cinnano tempore fuisse. Quare meam causam semper fore firmissimam dicere solebat, dum vel unus in rep. consul esset. quod verè dixerat, si illud de duobus consulibus, quod antè in rep non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris, ac sordibus, nomen ipsum consulatus splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii, nec intueri, nec sustinere, nec capere potuerunt: non consules, sed mercatores provinciarum, ac venditores publicæ dignitatis. [2] quibus inspectantibus & tacentibus delectus servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe esse duxit: arma in templo Castoris constituebantur; lex Ælia & Fusia eversa est, propugnacula muríque tranquillitatis atque otii: collegia, non ea solùm, quæ senatus sustulerat, restituta sunt, sed innumerabilia quædam nova ex omni fæce urbis ac servitio constituta: ab eodem homine in stupris inauditis nefariísque versato, vetus illa magistra pudoris & modestiæ severitas sublata est cùm illi interim, qui se consules Romae dicunt fuisse, verbo nunquam significarint sententiam suam, tantis in naufragiis civitatis. non enim multùm interest, præsertim in consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus remp. vexet, an alios vexare patiatur. An potest ulla esse excusatio, non dicam malè sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reip. motu consuli? [3] M. Popilius cùm cos. esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione & seditione nunciata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem: seditionemque, cùm auctoritate, tum oratione sedavit. [4] *Etenim* is honos vigilare dies ac noctes, & intentis oculis omnes reip. partes intueri jubet: [5] quæ sanari poterunt, sanare: quæ resecanda erant, non pati ad perniciem civitatis manare: *denique efficere, ut* [6] qui se commoverint

[2] In Pis.

[3] In Br. Anno CCCCXIII.

[4] 2. Agr.

[5] 2. Catil.

[6] Ib.

moverint, quorum non modò factum, ſed inceptum ullum, conatúſve contra patriam deprehendatur: ſentiant in hac urbe eſſe conſules vigilantes, eſſe integros magiſtratus, eſſe fortem ſenatum, eſſe arma, eſſe carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifeſtorum ſcelerum majores noſtri eſſe voluerunt. At illi [7] conſules, qui publici conſilii duces eſſe debuerant, perfecerunt, ut per ipſos conſilium publicum funditus tolleretur: conjuratorum copiæ veteres, & effuſa illa ac ſuperata Catilinæ manus importuna, novo duce & inſperata commutatione rerum renovaretur.

7 pro Sext.

---

v. P. Seruilii coſ. edictum in lib. 2. Liv.

Edicta Consulum.

CAP. VIII.

CONSULES *de his, quæ fieri repentè, aut ſine diſquiſitione volunt, edicta proponunt.* [1] Erat in luctu, *ut dixi,* ſenatus: ſqualebat civitas publico conſilio mutata veſte: cùm ſubitò edicunt duo conſules, ut ad ſuum veſtitum ſenatores redirent. [2] L. Lamiam Gabinius in concione relegavit: edixítque, ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta, quòd eſſet auſus pro cive, pro amico, pro rep. deprecari. [3] Quàm etiam contumelioſus in edictis, quàm barbarus, quàm ferus Antonius? primùm in Cæſarem, maledicta conjecit deprompta ex recordatione impudicitiæ, & ſtuprorum ſuorum. ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio, cujus etiam natura pater, ſi vita ſuppeditaſſet, conſul factus eſſet. Idem etiam Q. Ciceronem fratris mei filium compellat edicto: atque etiam auſus eſt ſcribere hunc de patris & patrui patricidio cogitaſſe. Cùm tot edicta propoſuiſſet, edixit ut adeſſet ſenatus frequens a. d. VIII. Cal. Dec. At quo modo edixit? hæc ſunt, opinor, verba in extremo, SI QUIS NON AFFUERIT HUNC OMNES EXISTIMARE POTERUNT, ET INTERITUS MEI, ET PERDITISSIMORUM CONSILIORUM AUCTOREM

1 pro Sext.

2 Ib. v. cap. 23. nu. 79.

3 3. Phil. An. DCCIX.

TOREM FUISSE. Sed cùm atroci edicto nos concitaſſet, diem edicti obire neglexit: in ante' diem IV. Cal. Dec. diſtulit: adeſſe in Capitolio juſſit: convenerunt corrogati, & quidem ampli quidam homines, ſed immemores dignitatis ſuæ. is enim erat dies, ea fama, is, qui ſenatum vocarat, ut turpe ſenatori eſſet, nihil timere. At in rebus triſtiſſimis quantos excitat riſus? ſententiolas edicti cujuſdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare. ego autem qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. NULLA CONTUMELIA EST, QUAM FACIT DIGNUS: NEC TIMOR, QUEM DENUNCIAT INIMICUS. Horum ſimilia deinceps, nónne ſatius eſt mutum eſſe, quàm, quod nemó intelligat dicere? at ne ſine cauſa videretur edixiſſe, ut ſenatus adeſſet, cùm de rep. relaturus fuiſſet: allato nuncio de legione quarta, mente concidit: & fugere feſtinans SC. de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cùm id factum eſſet anteà nunquam. [4] *Verba edicti, quo Coſs. in Curiam ſenatores vocant, hæc ſunt.* SENATORES, QUIBUSQUE IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET, [5] adſint ad.— *Interdum ne ab urbe ſenatores abſint edicitur.* [6] *adeò in apparatum belli quod populus cum Antiocho juſſiſſet, intenta fuit civitas, ut P. Cornelius Coſ. ediceret, qui ſenatores eſſent, quibúſque in ſenatu ſententiam dicere liceret, quique minores magiſtratus eſſent: ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quàm unde eo die redire poſſet: néve uno tempore quinque ſenatores ab urbe Roma abeſſent. Et, ſi vis edicti militaris exemplum, habe, quod* [7] *omnibus tum ſatis comparatis, M, Acilius alter Coſ. edixit, ut quos L. Quintius milites conſcripſiſſet, & quos ſociis nominique Latino imperaſſet, quos ſecum ire in provinciam oporteret, & tribuni militum legionis primæ & tertiæ, uti omnes Brundiſium Idibus Maiis convenirent. ipſe ad quintum Nonas Maias paludatus urbe egreſſus eſt.*

[4] 4. Gel. cap. 18. l. 4.

[5] Supra. nu. 5.

[6] Liv. lib. 36. Anno DLXII.

[7] Ib.

CON-

CONSULARES *litteræ.*

CAP. IX.

LITTERARUM *conſularium varius eſt uſus: iſque ſæpe ex auctoritate ordinis ampliſſimi:* [1] Me ſenatus exteris nationibus, me legatis, magiſtratibúſque noſtris auctoritate ſua conſularibus litteris, ut civem ſervatorem reip. commendavit. ad meam unius hominis ſalutem ſenatus auxilium omnium cuncta ex Italia, qui remp. ſalvam eſſe vellent, conſulis voce & litteris implorandum putavit: mei capitis ſervandi cauſa Romam uno tempore, quaſi ſigno dato Italia tota convenit. *Si quæ vis, aut injuria magiſtratui Rom. in provinciis facta ſit, ſi quæ ſeditio concitata, ad ſenatum res defertur, auctorque conſularibus litteris Romam evocatur.* [2] Verres legatus cùm eſſet circumſeſſus Lampſaſi, cúmque, quemadmodum ipſe ad Neronem ſcripſit, populo Rom. communíque cauſæ legatorum facta eſſet inſignis injuria, non eſt perſecutus, imminuit jus legationis: cauſam populi Ro. deſeruit, ac prodidit: injurias ſuas conjunctas cum publicis reliquit. Non ipſum ad ſenatum cauſam deferre, non de tam atrocibus injuriis conqueri, non eos homines, qui populum concitarunt conſulum litteris evocandos curari oportuit? *Paulò antè* M. Aurelio Scauro poſtulante, quod is Epheſi ſe quæſtorem vi prohibitum, eſſe dicebat, quo minus è fano Dianæ ſervum ſuum, qui in illud Aſylum confugiſſet, abduceret: Pericles Epheſius homo nobiliſſimus Romam evocatus eſt, quòd auctor illius injuriæ, fuiſſe arguebatur. [3] Video, & ex iis, quæ legi & audivi, intelligo: in qua civitate non modò legatus populi Rom. circumſeſſus, non modò igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, *ut Verres,* ſed aliqua ex parte violatus ſit, niſi publicè ſatis factum

[1] In Piſ. v. cap. 24. nu. 3.

[2] 3. Ver. Anno DCLXXII.

[3] Ib.

factum ſit, ei civitati bellum indici atque inferri ſolere. Etenim nomen legati ejuſmodi eſſe debet, quòd non modò inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur.

QUOMODO DANTUR *conſulibus provinciæ, exercitus, legati, quæſtores.*

C A P. X.

[1] SENATUS conſulibus deligit, et [2] decernit provincias: *conſules ſibi decretas ſortiri* SC. *jubentur, vel comparare, id eſt de provinciis inter ſe convenire.* [3] Appius in ſermonibus anteà dictitabat, poſteà dixit etiam in ſenatu palàm, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega provinciam; ſi curiata lex non eſſet, ſe comparaturum cum collega, Lentulóque ſucceſſurum: legémque curiatam conſuli ferre opus eſſe, ſibi neceſſe non eſſe: ſe, quoniam ex SC. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quóad in urbem introiſſet. *Legati conſulibus ex noſtri ordinis auctoritate dantur: ſed plerumque quales ipſi velint: nec conſulibus modò hoc tribuitur, ſed aliis ad bellum gerendum delectis. Pompeium lege Gabinia populus Rom.* [4] ex omnibus elegit, quem bello prædonum præponeret. [5] quo mihi etiam indignius videbatur obtrectatum eſſe, Gabinio dicam, ánne Pompeio, an utrique? id quod eſt verius, ne legaretur A. Gabinius Cn. petenti ac poſtulanti in bello, quod illa lege Gabinia gerebatur. De quo legando *ego tunc prætor* ſperabam conſules ad ſenatum relaturos: qui ſi dubitarent, aut gravarentur, ego me profitebar relaturum: neque præter interceſſionem quicquam

[1] 11. Phil.
[2] v. cap. 4. nu. 10. & 16.
[3] ep. 9. lib. 1. fa.
[4] Pro Man.
[5] Ib.

Anno DCLXXXVII.

[6] ep 19. lib. 2. Att. Anno DCXCV.
[7] de pro. conf.
[8] ep. 2. l. 9. Att.
[9] 3. Ver.
[10] Ib.

quam auditurum. [6] Cæsar me sibi voluit esse legatum. [7]Ego illa ornamenta decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. *post* [8] solebat, cùm se purgaret, in me conferre omnem illorum temporum culpam. Ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se recipere vellem. [9] Quæstores, cùm ex SC. sortiuntur, ii, quibus obtingunt consulares, cum consulibus eas obtinent. [10] Ad exercitum missi custodes non solùm pecuniæ, sed etiam consulis participes omnium rerum consiliorúmque fiunt, habenturque in liberum loco more majorum.

In provinciis, exercitibus, *& triumphis posita consulum cupiditas.*

CAP. XI.

[1] ep. 19. l. 1. Att. An DCXCIII.
[2] In Pis. An. DCXC.
[3] Ib.
An. DCXCI.
[4] Ib. An. DCLXXVIII.

EST bonorum consulum pacem externam, otium domesticum parare. sed plerique, hac aut illa cupiditate, multa moliuntur. [1] Metellus fuit egregius consul. unum reprehendi, quòd otium è Gallia nunciari non magnopere gaudebat. cupierat credo triumphare: hoc volui mediocrius: cætera egregia. Ego Antonium collegam cupidum provinciæ, multáque in rep. molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. [2] Ego provinciam Galliam, senatus auctoritate exercitu & pecunia instructam et ornatam, quam cùm Antonio communicavi (quod ita existimabam tempora reip. ferre) in concione deposui, reclamante populo Rom. [3] Sæpe vidi, qui et mihi et cæteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi nomine tegere, atque celare cupiditatem suam. Hoc modo D. Syllanus consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. neque enim quisquam potest exercitum cupere, apertéque petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi. [4] L. Crassus homo sapientissimus nostræ civitatis, spiculis propè scrutatus est

Alpes,

Alpes, ut ubi hoſtis non erat, ibi triumphi cauſam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir ſummo ingenio præditus L. Cotta nullo certo hoſte flagravit. Eorum neuter triumphavit, quòd alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. *Ita ex noſtris* [5] multi bella ſæpè quæſiverunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis, ingeniíſque plerumque contingit: eóque magis, ſi ſint ad rem militarem apti, et cupidi bellorum gerendorum. [6] Sed illud odioſum eſt, quòd in hac elatione et magnitudine animi, facillimè pertinacia, et nimia cupiditas principatus innaſcitur. Ut enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi: ſic, ut quiſque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium eſſe, vel potius ſolus eſſe. [7] Cavenda eſt igitur gloriæ cupiditas. eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.

Coſ. An. DCLXXIX.

[5] 1. Off.

[6]

[7] Ib.

De summo imperio, *et jure belli.*

CAP. XII.

[1] IMPERIUM, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt, *datur vel* SC. *vel* [2] veris comitiis, hoc eſt populi ſuffragiis: *vel Curiatis,* [3] ad ſpeciem, atque ad uſurpationem vetuſtatis per XXX. lictores auſpiciorum cauſa adumbratis. [4] Conſulibus legem Curiatam ferentibus a tribunis pleb. ſæpè eſt interceſſum. *Et verò* [5] conſuli, ſi *ob interceſſionem* [6] legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet. *nimirum, ſi interceditur, ne detur lege, vel datum* SC. *firmetur imperium. Alioquin id obtineret, etiamſi interceſſum ſit: quod ſi fieret, nullum* [7] interceſſurum puto, cùm interceſſio ſtultitiam interceſſoris ſignificatura ſit, neque rem impeditura. *Ut ut ſit, conſules etſi magna ſit ipſorum poteſtas, &* [8] gravis in

[1] 5. Phil.

[2] 2. Agr.

[3] Ib.

[4] Ib.

[5] Ib.

[6] Ib.

[7] Ib. v. c. 33. nu. 9.

[8] Ib.

in rep. cura ac diligentia, *non ſibi tamen aſciſcunt impe-*
[9] 11. Phil. *rium. Eſt enim ſenatus, vel populi, quando cum* hoſte [9] de-
[10] Ib. creto bellum gerendum eſt, imperatorem deligere: & [10]
rerum decertationem conſulibus optimis & fortiſſimis com-
[11] Ib. mittere. [11] Nam extraordinarium imperium populare
atque ventoſum eſt: minimè noſtræ gravitatis, minimè
[12] v. cap. 23. nu. 10. hujus ordinis. [12] Factum eſt aliquando, ut populus de-
[13] 11. Phil. ligeret imperatorem: *ut* [13] Punico tertio: ad quod popu-
lus Rom. ita ſibi ipſe delegit idoneum ducem P. Scipionem,
ut eum tamen bellum gerere conſulem vellet. Cum Ariſ-
tonico bellum gerendum fuit, L. Valerio, P. Licinio con-
ſulibus. Rogatus eſt populus, quem id bellum gerere
Anno DCXXII. placeret: Craſſus conſul & pontifex max. Flacco col-
legæ flamini Martiali multam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet,
quam multam populus remiſit, pontifici tamen flaminem
parere juſſit. Sed ne tum quidem populus Rom. ad pri-
vatum detulit bellum: quamquam erat Africanus, qui
anno antè de Numantinis triumpharat: qui, cùm longè
omnes belli gloria & virtute ſuperaret, duas tamen tribus
ſolas tulit: ita populus Rom. conſuli potius Craſſo, quàm
privato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pom-
peii imperiis ſummi viri, atque omnium principis, tribuni
Anno DCLXXV. pleb. turbulenti tulerunt. Nam Sertorianum bellum à ſe-
natu privato datum eſt, quia conſules recuſabant: cùm
L. Philippus pro conſulibus ſe eum mittere dixit, non
An. DCCX. pro conſule. At enim C. Cæſari adoleſcentulo imperium
extraordinarium mea ſententia dedi. Ille enim mihi præ-
ſidium extraordinarium dederat. Cùm dico mihi, ſena-
tui dico, populóque Rom. à quo reſp. præſidium, ne co-
gitatum quidem tantum haberet, ut ſine eo ſalva eſſe non
poſſet, huic extraordinarium imperium non darem? aut
exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. quæ eſt
enim ratio, aut quî poteſt fieri, ut ſine imperio teneatur
exercitus? non igitur quod ereptum non eſt, id exiſtiman-
dum

dum est datum. eripuisset senatus C. Cæsari imperium, nisi dedisset. milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen secuti pro rep. arma ceperant, volebant sibi ab illo imperari. legio Martia, & legio quarta, ita se contulerat ad auctoritatem senatus, populíque Rom. dignitatem, ut deposcerent imperatorem, & ducem C. Cæsarem. imperium C. Cæsari belli necessitas, fasces senatus dedit. otioso verò, et nihil agenti privato, quando imperium senatus dedit? *Sed de his quidem hactenus. In urbe consul imperium summum non assequitur,* ([14] *quod plerumque in atroci negotio solet) senatus decernat, ut dent operam consules, ne quid rep. detrimenti capiat. Ea potestas per senatum more Rom. magistratui maximo permittitur, exercitum parare, bellum gerere: coërcere omnibus modis socios atque cives: domi, militiæque imperium, atque judicium summum habere: aliter sine populi jussu nulli earum rerum consuli jus est. Dabatur verò à populo rogatione lata imperium in urbe triumphanti eo die, quo triumphabat.* [15] Pomtinus *L. Domitio, & Ap. Claudio consulibus*, voluit triumphare. Huic obviam Cato & Servilius prætores ad portam, & Q. Mutius trib. Negabant enim latum de imperio: & est latum Herculè insulsè. [16] *Nam Galba prætor legem de imperio clàm ante lucem tulerat contra leges: quæ agi cum populo ante horam primam vetabant.* [17] Sed erat cum Pomtino Appius consul. Cato tamen affirmavit, se vivo illum non triumphaturum. Id ego putavi, ut multa ejusdem, ad nihil recasurum. *Quale fuerit in re militari consulum imperium, quæ potestas, quæ disciplina declaravit* [18] Torquatus, cùm ipsi naturæ, patrióque amori prætulerit jus majestatis atque imperii: [19] filium morte multavit: si sine causa, nollem me ab eo ortum tam importuno támque crudeli. sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam, exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret, saluti prospexit civium, qua

v. cap. 43. nu. 67.

[14] Salust. in Con. Cat.

[15] ep. 17. l. 4. ad At.

DCXCIX.

[16] Dio.

[17] d. ep. 17.

[18] 1. de fin.

[19] Ib.

An. CDXIV.

[20] 1. off.

Anno DLXXXI.

qua intelligebat contineri suam. A nostris verò [20] maximè conservantur jura belli. C. Popilius imperator tenebat provinciam: in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat: quum autem Popilio videretur unam dimitere, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. sed quum amore pugnandi, in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento: quia priore amisso, jure pugnare cum hostibus non poterat. Adeo summa erat observatio in bello movendo. Marci quidem Catonis senis epistola est ad M. filium, in qua scripsit se audisse eum missum factum esse à consule, quum in Macedonia bello Persico miles esset. monet igitur, ut caveat, ne prælium ineat. negat enim jus esse, qui miles non sit, cum hoste pugnare. Equidem illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi, tristitiam rei mitigatam. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. indicant duodecim tabulæ: AUT STATUS DIES CUM HOSTE: itémque, ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS. Quid ad hanc consuetudinem addi potest, eum, quicum bella geras, tam molli nomine appellare? quamquam id nomen durius jam effecit vetustas: à peregrino enim recessit, & propriè in eo, qui ferret arma contrà, remansit. [21] Ac belli quidem æquitas sanctissimè feciali populi Rom. jure perscripta est. ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum antè sit, & indictum: [22] in eoque, & suscipiendo, & gerendo, & deponendo jus plurimùm valere, & fidem, horúmque ut publici interpretes essent, lege sancitum esse, *uti hac nostra*: [23] FOEDERUM, PACIS, BELLI, INDUCIARUM ORATORES, FECIALES JUDICES DUO SUNTO: BELLA DISCEPTANTO. [34] Atque etiam, si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint,

[21] Ib.

[22] 2. de leg.

[23] Ib.

[24] 1. off.

miserint, est in eo ipso fides servanda: ut primo Punico bello Regulus ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere. Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Annibal Romam misit astrictos jurejurando, se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrâssent: eos omnes censores, quóad quisque eorum vixit, quòd pejerâssent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cùm enim Annibalis permissu exiisset de castris, rediit paulò pòst, quòd se oblitum nescio quid diceret: deinde egressus è castris, jurejurando se soluturum putabat: & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide quid senseris, non quid dixeris, cogitandum.

An. DII.

Anno DXXXVII.

An liceat exire de *provincia, dimittere, educeréve exercitum, bellum sua sponte gerere.*

CAP. XIII.

Summa est potestas consulis: & tamen, ut non assumit, sic non dimittit injussu senatus, aut populi Romani provinciam, nec exercitum: nedum gerit à populo non susceptum bellum. [1] *C. Cassius, qui in Gallia quàm sortitus erat, nihil memorabile gessit, per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. Ingressum hoc iter consulem senatus ex Aquiliensibus legatis cognovit XXX. dierum frumentum militi datum, & duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductosque. Enimvero senatus indignari, tantum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret, exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam*

[1] Livius l. 43.

Anno DLXXXII.

tot nationibus in Italiam aperiret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius præt. tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex urbe: & quantum accelerare possent, Cassium consulem ubicunque sit, persequantur: nuncient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. [2] Ego te, Piso, non vecordem putem, qui sis ausus primùm facere (nam id est caput) deinde Torquato gravissimo & sanctissimo viro premente confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportâsses, sine ullo milite reliquisse? Mitto de amissa maxima parte exercitus. sit hoc infelicitatis tuæ. dimittendi verò exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod SC.? quod jus? quod exemplum? Ecce tibi alter, cùm fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, iis se tenere non potuit. exercitum eduxit ex Syria. quî licuit extra provinciam? præbuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? in Ægyptum venit, signa contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus susceperat: cepit Alexandriam. Quid aliud expectavimus à furore ejus, nisi ut ad senatum tantis de rebus gestis litteras mitteret? hic, si mentis esset suæ, ausus esset (mitto exire de provincia) educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum, injussu populi ac senatus, accedere? quæ cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis planissimè vetant. Sed hæc omitto. Ille, si non acerrimè fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cùm & auctoritate senatus, & sorte haberet, interposita religione sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi tum asciscere: cùm etiam, si religio non impediret, mos majorum tamen, & exempla, & gravissimæ legum pœnæ vetarent? *Ante hos Dolabella* [3] fecit etiam id, quod multi reprehenderunt, ut exercitum, provinciam, bellum

[2] In Pis. Anno DCXCVII.

Anno DCXCVIII.

V. cap. 14. 9.

[3] 3. Ver. Anno DCLXXIII.

bellum relinqueret, & in alienam provinciam proficisceretur: ut sua vi & crudelitate hominis improbissimi C. Verris pericula sublevaret. *Si tamen de summa rerum agitur, ab hoc more majorum, à legibus disceditur.* [4] necesse est enim in conversione & perturbatione omnium rerum, temporibus potius parere, quàm moribus. *Proinde nuper ego,* si Brutus intellexerit plus se reip. profuturum, si Dolabellam persequatur, quàm si in Græcia maneat: aget ipse per sese, ut adhuc fecit: neque in tot incendiis, quibus confestim succurrendum est, expectabit senatum. nam & Brutus & Cassius multis jam in rebus ipse sibi senatus fuit. Nec enim nunc primùm, aut Brutus, aut Cassius salutem libertatémque patriæ, legem sanctissimam, & morem optimum judicavit. Itaque, si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, cùm essent tali virtute, auctoritate, nobilitate summi viri: quorum alterius jam notus nobis est exercitus, altèrius auditus. Non igitur Brutus expectavit decreta nostra, cùm studia nosset: neque enim est in provinciam suam Cretam profectus: in Macedoniam alienam advolavit: omnia sua putavit, quæ vos vestra esse velletis: legiones conscripsit novas, excepit veteres: equitatum ad se abduxit Dolabellæ, atque eum nóndum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia judicavit. Nam nî ita esset, quo jure equitatum à consule abduceret? Quid? C. Cassius pari magnitudine animi & consilii præditus, nónne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo jure? eo, quod Jupiter ipse sanxit, ut omnia, quæ reip. salutaria essent, legitima & justa haberentur. est enim lex nihil aliud, nisi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic legi paruit Cassius, cùm est in Syriam profectus, alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur: his verò oppressis, suam lege naturæ. Sed, ut ea vestra quoque auctoritate firmetur:

[4] 11. Phil.

An. DCCX.

v. cap. 39. nu. 11.

D 2 Censeo

Censeo senatui placere, C. Cassius procos. provinciam Syriam obtinere, ut qui eam optimo jure provinciam obtinuerit &c. *Istiusmodi etiam in motibus, itinerum ad provincias, solita non servatur ratio. Interfecto Cæsare, quæ futura essent prævidi, cùm* [5] Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam. *Cæteroquin, hujusmodi profectio reprehendi solet. Inde ego quæsivi ex Vatinio,* [6] post quæsturam exiisséťne legatus in ulteriorem Hispaniam C. Cosconio procos.? cùm illud iter Hispaniense pedibus ferè confici soleat, aut, si quis navigare velit, certa sit ratio navigandi: venisséťne in Sardiniam, atque in Africam? fuisséťne, quod sine SC. ipsi facere non licuit, in regno Hyempsalis? fuisséťne in regno Mastanesosi? venisséťne ad fretum per Mauritaniam? quem sciret unquam legatum Hispaniensem istis itineribus in illam provinciam pervenisse?

[5] ep. 10. l. 14. Att.

[6] In Vatin. An. DCXCI.

Missorum cum imperio *ad Senatum* P. Q. R. *litteræ.*

C A P. XIV.

M*ISSI cum imperio ad senatum litteras mittunt, non modò, si* [1] quid est actum, aut gestum in illa provincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs se oporteat: *sed alia etiam omnia, de quibus* [2] necesse est publicè scribere. *Missæ verò litteræ dantur Consuli, si est in urbe: sin absit, ei,* [3] qui consulare munus sustinet, [4] ut recitentur, & referantur ad senatum. *Ego cùm in Cilicia procos. essem, omnia,* [5] quæ ad me delata essent ad Coss. Præt. Trib: pleb. S. P. Q. R. scribenda putavi. [6] Quis unquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas

[1] In Pis.

[2] ep. 1. & 2. l. 15. fa.

[3] v. cap. 33. nu. 1.

[4] In Pis.

[5] d. ep. 1.

[6] In Pis.

nullas ad ſenatum litteras miſerit? *Fuit hoc in Piſone novum:* multò illud magis, appellatus eſt hic Vulturius Macedoniæ, ſi placet, imperator: ne tum quidem Paulus noſter tabulas Romam cum laurea mittere auſus eſt: nihil unquam ad eum ordinem ſcribere, quem deſpexerat, quem afflixerat, quem deleverat. [7] Itaque ut in urbe nequior inventus eſt, quàm Gabinius, ſic in provincia paulò tamen, quàm ille demiſſior. nam ille gurges atque helluo natus abdomini ſuo, non laudi atque gloriæ, cùm egiſſet aliud nihil illo exercitu, niſi ut urbes depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos: auſus eſt (quid enim ille non audeat?) à ſenatu ſupplicationem poſtulare. [8] Attamen gravi plaga concidit, ignominia ſenatus. Quæ enim homini, in quo aliquis, ſi non famæ pudor, at ſupplicii timor eſt, gravior pœna accidere potuit, quàm non credi litteris iis, [9] quæ rem benè geſtam in bello nunciarent? hoc ſtatuit ſenatus, cùm frequens ſupplicationem Gabinio denegavit: primùm homini ſceleribus, flagitiíſque contaminatiſſimo nihil eſſe credendum: deinde à proditore, atque eo, quem præſentem hoſtem reip. cognôſſet, benè rem geri non potuiſſe. poſtremò, ne deos quidem immortales velle aperiri ſua templa, & ſibi ſupplicari hominis impuriſſimi & ſceleratiſſimi nomine.

Anno DCXCVI.

[7] Ib.

[8] de Pro. conſ.

[9] Ib. v. cap. 25. nu. 32.

ROMANI RELIGIONUM, *atque cæremoniarum maximè retinentes: conſulum & imperatorum ſacra, ritus, auſpicia: & cur hæc inventa, ac retenta Romæ.*

CAP. XV.

[1] SUA cuique civitati religio eſt: noſtra nobis: [2] *qui tam ſcrupuloſa cura parvula quæque momenta religionis examinamus, ut nunquam ab exactiſſimo cultu, cærimoniarum*

[1] pro Flac.

[2] Val. cap. 1. lib. 1.

oculos habuisse nostra civitas existimanda sit. Omnia namque post religionem ponenda semper duxit: etiam in quibus summæ majestatis decus conspici voluit. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire. ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potentiæ benè & constanter fuissent famulata. His rebus imbuti cives religionum sunt colentes: magistratus religionibus parent: Senatus dubitationes de religione referri jubet ad pontifices: hi [3] opiniones, quas à majoribus acceperunt de diis immortalibus, sacra, cærimonias, religionésque tuentur: eorúmque judicio. [4] quam volumus licet ipsi nos amemus: tamen, nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativóque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi gubernaríque perspeximus, omnes gentes nationésque superavimus. [5] Ego is non sum, qui, si cui fortè videor plusquam cæteri, qui æquè atque ego sunt occupati, versari in studio litterarum, iis delecter, aut uter omninò litteris, quæ nostros animos deterrent, atque avocant à religione. [6] Credo tamen magna esse antiquorum peccata: quæ veri investigandi cupidus nullo modo ferre poterit: ne ad rem gerendam superstitionem habeat, non rationem ducem. *Illius generis sunt ista:* [7] Sacra Junoni Sospitæ omnes consules facere necesse est. [8] Nostri duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueverunt. [9] C. Duilius, M. filius, qui Pœnos classe primus devicerat, delectabatur crebro funali & tibicine. quæ sibi nullo exemplo privatus assumserat: tantum licentiæ dabat [10] intemperans militaris in forti viro gloria. [11] Eos quorum vita perspecta in rebus honestis et magnis est, benè de rep. sentientes, ac benè meritos, aut merentes aliquo honore, aut imperio affectos observare, & colere debemus: nec quemquam tamen hoc errore duci oportet, ut si quid contra morem consuetudinémque civilem

[3] 3. de Nat.
[4] de Har. resp. ap.
[5] Ib.
[6] 1. de Nat. v. cap. 25.
[7] pro Mur.
[8] 3. de Nat.
[9] In Cat. nno CDXCIII.
[10] 2. Tusc.
[11] 1. Off.

lem fecerint, locutíve fuerint, idem sibi arbitretur licere. [12] Quis nostrum se dicet C. Duilio parem. [13] Consules, cùm proficiscuntur paludati in provincias plerique frequentia sua ipsorum egressum ornando atque celebrando, ominibus bonis prosequuntur. [14] Exierunt malis ominibus atque execrationibus duo Vulturii, Piso & Gabinius paludati: quibus utinam ipsis evenissent ea, quæ tum homines precabantur: neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria, & cohortes optimas perdidissemus. [o] Dirarum obnunciatione neglecta

[12] pro Planc.
[13] In Pis.
[14] pro Sext. Anno DCXCVI.
[o] 1. de divin.

— — — — [o] *Crassum in bella secutæ,*
Sæva tribunorum voverunt prælia diræ.

[o] Luc. lib. 4. Anno DCXCVIII.

[15] In delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine. [16] Parere tenentur religioni, nec patrium morem contumaciter repudiare. [17] Bello Punico primo P. Clodius cos. per jocum Deos irridens, cùm cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. classis devicta est. Collega ejus Junius eodem bello tempestate classem amisit, cùm auspiciis non paruisset. Itaque Clodius à populo condemnatus est: Junius necem sibi ipse conscivit. [18] Bello Punico secundo C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum: [19] non paruit auspiciis: periit cum exercitu. At anno pòst Paulus paruit. num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? [20] Errabat enim multis in rebus antiquitas: quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. [21] Dubium verò non est, quin hæc disciplina & ars augurum evanuerit jam, & vetustate, & negligentia. quæ mihi videtur apud majores fuisse duplex, ut ad reip. tempus nonnunquam, ad agendi consilium sæpissimè pertineret. [22] Bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicatò noluerunt. Quàm multi anni sunt, cùm bella à proprætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent?

[15] 1. de divin.
[16] 2. de divin.
[17] 2. de Nat. An. DIV.
[18] 1. de divin. Anno DXXXVI.
[19] 2. de divin.
[20] Ib.
[21] 2. de leg.
[22] 2. de divin.

habent? itaque nec amnes tranſeunt auſpicatò, nec tripudio auſpicantur. Ubi eſt ergo avium divinatio? quæ, quoniam ab iis, qui auſpicium non habent, bella adminiſtrantur, ab urbanis retenta videtur, à bellicis eſſe ſublata.
[23] Ib. [23] Retinetur autem, & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates Reip. mos, religio, diſciplina, jus augurum, collegii
[24] 2. de leg. auctoritas. Itaque [24] maximum & præſtantiſſimum in rep. munus eſt augurum, cùm eſt auctoritati conjunctum. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quàm poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid, gravius, quàm rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur ALIO DIE dixerit? quid magnificentius, quàm poſſe decernere, ut magiſtratu ſe abdicent coss? quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi jus dare, aut non dare? quid, legem, ſi non jure rogata eſt, tollere? ut Titiam decreto collegii, ut Livias conſilio Philippi conſules & augures: nihil domi, nihil foris per magiſtratus geſtum ſine horum
[25] 2. Phil. auctoritate poſſe cuiquam probari. [25] Augur comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poteſt ſacerdotii jure: conſul jure magiſtratus. vide ne etiam facilius. augures enim nunciationem ſolùm habent: conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem. Attamen de cœlo ſervare non licet comitiis per leges: &, ſi qui ſervavit, non comitiis habitis,
[26] 2. de divin. ſed priùs, quàm habeantur, debet nunciare. [26] Comitiorum ſolùm vitium eſt fulmen. Itaque in noſtris commentariis ſcriptum habemus, Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas eſſe. Comitiorum enim non habendorum
[27] 3. de leg. cauſas eſſe voluerunt. [27] Igitur omnibus magiſtratibus auſpicia & judicia dantur: judicia, ut eſſet populi poteſtas, ad quam provocaretur: auſpicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent more. ſæpè enim populi im-
[28] 2. de divin. petum injuſtum auſpiciis repreſſerunt. [28] Vetus illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe aiebat, quod non

rideret

rideret aruſpex, aruſpicem cùm vidiſſet? Quota enim quæque res evenit prædicta ab iſtis: aut, ſi evenit, quid afferri poteſt, cur non caſu id evenerit? Rex Pruſias, cùm Annibali apud eum exſulanti pugnare placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent. an tu, inquit, Carunculæ vitulinæ mavis, quàm imperatori veteri credere? Quid? ipſe Cæſar cùm à ſummo aruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret. nónne tranſmiſit? quod ni feciſſet, unum in locum omnes adverſariorum copiæ conveniſſent. Quid ergo aruſpicum reſponſa commemorem (poſſum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? at de quibuſdam exſtiterunt reſponſa vera. [29] poteſt veritatem caſus imitari. [30] nonnunquam etiam errorem creat ſimilitudo. [31] Non neceſſe eſt fateri, partim horum errore ſuſceptum eſſe *augurium*, partim ſuperſtitione multa fallendo. Atque his ſuperſtitionibus adjunguntur omina, ſortes, vates & ſomnia. Tota res eſt inventa fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem.

An. DLXX.

29 Ib. 30 Ib. 31 Ib.

Quæ in perfecto *requiruntur imperatore.*

Cap. XVI.

[1] Ego ſic exiſtimo in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. *quarum prima eſt in iis poſita, quæ traduntur* [2] de exercitu, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus,

1 pro Man.

2 1. de Or.

rebus, quæ funt propriæ belli adminiftrandi. quarum, qui funt animo & fcientia compotes, eos effe imperatores dicimus: utimúrque exemplis Africanorum & Maximorum: Epaminondam atque Annibalem, atque ejus generis homines nominamus. *In quibus tamen præter hæc, alia inerant ornamenta virtutum. Et ne à noftris difcedamus:* [3] non Q. Maximi fapientiam, neque illius fuperioris Africani in re gerenda celeritatem, neque hujus, qui pofteà fuit, fingulare confilium, neque Paulli rationem ac difciplinam: Neque C. Marii vim atque virtutem, *neque felicitatem Syllæ, neque Pompeii triumphos, neque victorias Cæfaris, abs illa fola militari virtute profluxiffe putandum eft.* [4] Non enim illæ funt folæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò exiftimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induftria in agendo, celeritas in conficiendo, confilium in providendo: [5] fed multæ funt artes eximiæ, harum adminiftræ comitéfque virtutum. Ac primùm, quanta innocentia debent effe imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? Quæ, fi quantæ fuerint in *fummis imperatoribus* confideremus, *hujufmodi reperientur, ut non de imperio folùm, fed de illis contendiffe videantur. Intuere res geftas Pyrrhi, &* [6] de captivis reddendis illa præclara:

[3] 7. Ver.
[4] pro Man.
[5] Ib.
[6] 1. Off. Anno CDLXXIII.

Nec mî aurum, nec mî pretium dederitis:
Ferro, non auro vitam cernamus utrique,
Virtute experiamur: & hoc fimul accipe dictum:
Eorundem me libertati parcere certum eft.
Nec cauponantes bellum, fed belligerantes,
Vófne velit, an me regnare hera, quidve ferat fors,
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Dono ducite: dóque volentibus cum magnis diis.

Regalis

Regalis ſane, & digna Æacidarum genere ſententia. *Jam converte te ad Fabricium: & vide, num is Pyrrho ceſſerit: cùm ipſum,* [7] et gravem adverſarium, [8] & regem potentem, [9] mœnibus jam appropinquantem monuit, à veneno ſibi ut caveret: ne, [10] quîcum laudis certamen fuiſſet, eum ſcelere, non virtute ſuperâſſe *videretur.* [11] Pone ante oculos cæteros, *qui hæc ex minimis tanta fecerunt.* ſunt enim omnes pares inter ſe: *non modò rebus geſtis & victoriis, ſed imitatione majorum ad augendum imperium eruditi.* [12] Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abſtinens: quídni laudet? ſed in illo alia majora. Laus enim abſtinentiæ, non hominis eſt ſolùm, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus. tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. Nihil in domum ſuam intulit præter memoriam nominis ſempiternam. Imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine everſa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit L. Memmius, nunquid copioſior, cùm Corinthum funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domum ſuam maluit: quamquam Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. [13] Quæris præſtantiorem virtute, prudentia, æquitate C. Mario, [14] qui, ne militem quidem habere voluit niſi pudicum? *abſtinentiorem Scævola, qui Aſiæ tanta integritate præfuit,* [15] *ut ſenatus deinceps in eam provinciam ituris magiſtratibus exemplum, atque formam officii Scævolam decreto ſuo proponeret? Imperatorum continentiam ſequebantur milites: non* [16] agros, oppidáve civium, *aut provincialium, cùm* itinera imperatores facerent, vaſtabant: non hibernis *ſociorum* civitates delebant. quæ magis *ex eorum, qui nunc cum imperiis mittuntur* contentione, quàm ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt. *Quantas* propter avaritiam imperatorum calamitates, quocunque ventum ſit, noſtri exercitus

Anno CDLXXV.
[7] 3. Off. v. cap. 36. nu. 19.
[8] Ib.
[9] 5. de Fin.
[10] 3. Off.
[11] 1. Parad. ap.
[12] 2. Off.
Anno DLXXXVI.
An. DCVII.
[13] pro Bal.
[14] Ep. ad. Oct.
[15] Val. cap. ult. lib. 8.
An. DCLIX.
[16] pro Man. ap.

citus ferant, quis ignorat? neque enim poteſt exercitum is continere imperator, qui ſeipſum non continet: neque ſeverus eſſe in judicando, qui alios in ſe ſeveros eſſe non vult. Hic miramur *illos antiquos* tantùm excelluiſſe, quorum legiones ſic itinera fecerunt, ut non modò manus exercituum, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe diceretur. Jam verò *ſic* milites, hibernabant, non modò, ut ſumtum facerent in militem, nemini vis afferretur, ſed ne cupienti quidem cuipiam permitteretur. Hyemis enim, non avaritiæ perfugium majores noſtri in ſociorum atque amicorum tectis eſſe voluerunt. Ita faciles aditus *ad imperantes* privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis fuerunt, ut ii, qui dignitate principibus excellebant, facilitate pares infimis eſſe viderentur. Jam quantum conſilio, quantum dicendi gravitate & copia valuerint, in quo ipſo ineſt quædam dignitas imperatoria, *vetera teſtantur monumenta.* *Etenim vir præſtans ingenio,*

Claud. Bel. Getico.

— — — — ductórque placebat,
Non, qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu:
Sed, qui maturo, vel læta, vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu tumidus, ſpatiúmque morandi
Vincendique modum mutatis noſſet habenis.

[17] Pro Bal. ap.

Atqui [17] exiſtimo, cùm *ex his non pauci* in omni genere ac varietate artium etiam illarum, quæ ſine ſummo otio non facilè diſcuntur, excellerent: tum ſingularem quandam laudem eorum, & præſtabilem fuiſſe ſcientiam in fœderibus, pactionibus, in univerſo denique jure belli ac pacis. niſi fortè, quæ nos libri docent in umbra & otio, ea *ſummos imperatores*, neque, cùm requieſcerent, litteræ: neque cùm rem gererent, res ipſæ docere potuerunt. Fidem verò ipſorum inter ſocios, quantam exiſtimatam putas, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam eſſe judicàrint? *et ne*

in

in re nota consumam tempus exemplis, unum modò ponam, ut
quæ fuerit opinio crudelissimi hostis de fide nostrorum appareat.
[18] *Ingenti Pœnorum classe circa Siciliam devicta, duces ejus* [18] Val. cap.
fractis animis consilia petendæ pacis agitabant. Quorum dux 6. lib. 6. An. DXI.
Hamilcar, ire se ad coss. negabat audere: ne eodem modo
catenæ sibi injicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinæ fuerant
injectæ. Hanno autem certior Romani animi nihil tale ti-
mendum ratus. maxima cum fiducia ad colloquium eorum
tetendit: apud quos, cùm de fine belli ageret, & tribunus
militum ei dixisset, posse illi meritò evenire, quod Cornelio
accidisset: uterque consul tribuno tacere jusso, Isto te, inquit,
Hanno metu fides civitatis nostræ liberat. Claros illos fecerat
tantum hostium ducem vincire potuisse: sed multò clariores
fecit, noluisse, [19] Humanitate jam tanta erant imperatores [19] Pro Manil.
nostri, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem ap.
eorum pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilex-
erint. *Insignis est illa Q. Metelli: qui* [20] *Celtibericum* [20] Val. cap.
in Hispania gerens bellum, quum urbem Centobricam 1. l. 5. An. DCXI.
obsideret, & jam admota machina partem muri, quæ sola
convelli poterat, disjecturus videretur, humanitatem pro-
pinquæ victoriæ prætulit. nam cùm Rethogenis filios, qui
ad eum transierat Centobricenses machinæ ictibus objecissent,
ne pueri in conspectu patris crudeli genere mortis consumerentur
(quippe ipse Rethogenes negabat esse impedimento, quo minus
etiam per exitium sanguinis sui expugnationem perageret) ab
obsidione discessit. Quo quidem tam clementi facto, etsi non
unius civitatis mœnia, omnium tamen Celtiberarum urbium
animos cepit, effecitque, ut ad redigendas eas in ditionem popu-
lus Ro. non multis obsidionibus opus esset. [21] Et quoniam [21] Pro Man.
auctoritas multum in bellis quoque administrandis, atque ap.
imperio militari valet, certè nemini dubium est, quin ea in
re & *nostri veteres præstiterint, & omnes magni imperatores*
præstare debeant. Vehementer autem pertinere ad bella admi-
nistranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus existiment.

quis

quis ignorat? cùm ſciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri: De felicitate, quam præſtare de ſeipſo nemo poteſt, meminiſſe & commemorare de aliis poſſumus, ſicut æquum eſt hominem de poteſtate divina, timidè & pauca dicenda ſunt. Ego enim ſic exiſtimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis imperatoribus, non ſolùm propter virtutem, ſed etiam propter fortunam, ſæpius imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos. Fuit enim profectò quibuſdam ſummis viris, quædam ad amplitudinem, & ad gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitus adjuncta fortuna,
22 Liv. lib. 39 ſive felicitas: *quam noſtri ſemper expetiverunt, atque expetunt: eamque, ut conſequantur, magiſtratus in ſolenni carmine precationis, quod præfari ſolent, priuſquam populum alloquantur, optant & precantur, ut, quod ſuſcipitur,* SENATUI,
23 Pro Mur. [23] POPULO, PLEBIQUE RO. BENE ATQUE FELICITER
24 Ser. in XII Æn. EVENIAT. *Hoc amplius, in augurum* [24] *precationibus eventus rei bonæ poſcitur,* UT MELIUS JUVET, MELIUS FORTUNET. *In priſca cenſorum precatione poſcebatur, ut res fierent meliores: ſiquidem, ut augeretur imperium pre-*
24 Val. cap. 1. lib. 4. *cabantur. Modeſtè &* [25] *ſapienter Africanus poſterior, cùm cenſor luſtrum conderet, inque ſolito fieri ſacrificio ſcriba ex publicis tabulis ſolenne ei precationis carmen præiret, quo dii immortales,* UT POPULO RO. RES MELIORES, AMPLIORESQUE FACERENT, *rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ ſunt: itaque precor, ut eas perpetuò incolumes ſervent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari juſſit. Qua votorum verecundia deinceps cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. Prudenter enim ſenſit tunc incrementum Romano: imperio petendum fuiſſe, cùm intra ſeptimum lapidem triumphi quærebantur: majorem autem totius terrarum orbis partem poſſidenti, ut avidum eſſet quid-*

quam

quam ultrà appetere, ita abundè felix, si nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret. Censuit etiam fortassè Scipio, [26] non oportere populum Ro. omnium regnorum appetentem videri: [27] difficile esse omnia concupiscenti servare æquitatem, quæ est justitiæ maximè propria. [28] Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsique Ro. qui orbem totum possedêre, justitiam sequi velint, ac suam cuique restituere, quod vi & armis occupaverunt, ad casas, & egestatem reverterentur: [29] nedum *tenerent* illud imperium orbis terræ, cui imperio omnes gentes, reges, nationes, partim vi, partim voluntate consenserunt: cùm aut armis, aut liberalitate à populo Ro. superati essent. *Sed ut redeam ad imperatorem, & in eo desinam:*

[26] 2. Agr. v. cap. 23. nu. 135.
[27] 1. Off.
[28] 3. de Rep.
[29] 4. ad Her.

[30] *Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli*
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet: & nulla vehitur cervice supinus:
Carpentoque sedens somni parcissimus ipse est.
Ultimus haustor aquæ: cùm tandem fonte reperto
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. cogit tolerare labores
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni fortunam provocat hora.

[30] Lucan. lib. 9.

De nomine amplissimi *honoris beneficiisque, & nomine virtutis atque victoriæ: de donis militaribus, ac jure imperatorio.*

CAP. XVII.

[1] IMPERATORES instructa acie solent, quamquam paratissimos milites ad prœliandum videant, eos tamen adhortari: [2] hi locum tenere, [3] contemnere vulnera, accipere

[1] 4. Phil.
[2] v. cap. 2. nu. 24.
[3] 2. Tusc.

[4] 14. Phil. accipere plagam malle, quàm turpiter vitare: [4] Mars est
[5] ep. 10. lib. 2. fa. acie fortissimum quemque pignerari: illi [5] victoria justa,
[6] Cos. l. 2. de Bel. Civ. imperatores appellari, [6] *exercitus acclamatione.* [7] habent quidem amplissimi honoris nomen, cùm sunt consules: sed
[7] 14. Phil. alterum nomen beneficii est populi Ro. alterum virtutis,
[8] 2. Agr. atque victoriæ. *Iidem* [8] prædas *solent*, ac manubias suas, partim in monumenta Deorum immortalium, atque in urbis
[9] 5. Ver. ornamenta, *partim in milites conferre:* ex [9] hostium spoliis, è victoria, ex præda, aut manubiis donationes constituere,
[10] Liv. lib. 24. concione donandi causa advocata: [10] *milites, prout cujusque*
[11] de Opt. *virtus in pugna fuit,* [11] donare virtutis ergo. [12] Præfatio
[12] 5. Ver. *autem* donationis vetus, atque imperatoria *hæc est:* QUANDO TU IN PRŒLIO, IN BELLO, IN RE MILITARI— OB HAS RES, QUONIAM TE VIRUM FORTEM—HOC —DONO. Sæpè *etiam* nostri imperatores superatis hostibus, optimè rep. gesta scribas suos annulis aureis in concione
[13] 2. Agr. donârunt. [13] Jus imperatorium, quod semper omnibus imperatoribus est conservatum, *tantum, ac tale est, ut, ubi bellum geritur, omnium rerum sit imperatoris judicium: ad eumque pertineat* legum datio, captorúmque agrorum ipsius virtute cognitio. *Hinc ego contra legem Agrariam Rulli:*
[14] Ib. An. DCXC. [14] Itane verò? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nóndum denique bello confecto, cùm rex Mithridates amisso exercitu, regno expulsus, tamen ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur; atque ab invicta Cn. Pompeii manu Mæotide, & illis paludibus, & itinerum angustiis, atque altitudine montium defendatur: cùm imperator in bello vexetur: in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne judicium & potestas more majorum debet esse, decemviri vendent? in ejus provincia vendent manubias imperatoris? Neque in hoc solùm inest contumelia, quæ vehementer, & insignis est, & nova: ut ulla res parta bello, nóndum legibus datis, etiam tum imperatore bellum administrante,

non

non modò venierit, verum etiam locata sit. Plus spectant homines certè, quàm contumeliam. sperant aliquid de ejus exercitu, copiis, gloria detrahi posse. putant, si quam spem in Cn. Pompeio exercitus habeat aut agrorum, aut aliorum commodorum, hunc non habiturum, cùm viderit earum rerum omnium potestatem ad decemviros esse translatam. *Non est omittendum quod præterii,* [15] imperatorem agros de hostibus captos consecrare. [15] Pro domo.

DE PRÆMIIS ET HONORIBUS, *ab imperatoribus, exteris decerni solitis.*

CAP. XVIII.

IMPERATORES nostri, non solùm Romanis, sed etiam exteris, qui in bellis usui sunt, præmia tribuere solent: principibus regum appellationes, aliis civitatis jura. Scipio parta de Syphace victoria [1] *in tribunal ascendit, & concionem advocari jussit. ibi Masinissam primum regem appellatum, eximiísque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & Scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Ro. neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Ro. ducat. Lælium deinde & ipsum collaudatum aurea corona donat, & alii militares viri, prout à quoque navata opera erat, donati.* [2] Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximè gestis, civitate donavit cohortes duas universas Camertium: Heracliensium legionem P. Crassus: Massiliensem Aristonem Sylla: idem heros LX. Gaditanos: Q. Metellus pius Q. Fabium Saguntinum: M. Crassus homo, cùm gravitate & prudentia præstans, tum vel nimium parcus in largienda civitate, Aletrinensem

[1] Liv. lib. 30. An. DLI.

[2] Pro Bal.

 fœderatum.

fœderatum. Etenim, cùm cæteris præmiis digni ſunt, qui ſuo labore & periculo noſtram remp. defendunt: tum certè digniſſimi ſunt, qui civitate ea donentur, pro qua, pericula ac tela ſubierunt. Itaque & [3] ſtipendarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris provinciis multos, civitate donatos videmus: &, qui hoſtes ad noſtros imperatores perfugiſſent, & magno uſui reip. noſtræ fuiſſent, ſcimus civitate eſſe donatos: ſervos denique, quorum fortuna, & conditio infima eſt, benè de rep. meritos perſæpè libertate, id eſt, civitate, publicè donari videbamus. [4] Atqui utinam, qui ubique ſunt propugnatores hujus imperii, poſſent in hanc civitatem venire, & contra oppugnatores reip. de civitate exterminari. Neque enim ille ſummus Poëta noſter Annibalis illam magis cohortationem, quàm communem imperatorum omnium voluit eſſe, *Hoſtem, qui feriet, mihi erit Carthaginienſis. Quiſquis erit* cujati' ſiet—id habent omnes leve, & ſemper habebunt. Itaque & ſibi undique fortes viros aſciverunt, & hominum ignobilium virtutem perſæpè nobilitatis inertiæ prætulerunt. Audebo etiam hoc contendere, nunquam eſſe condemnatum, quem conſtaret ab imperatore noſtro civitate donatum. [5] T. Matrinius, unus ex iis, quos C. Marius civitate donâſſet, dixit cauſam ex colonia Latina, in primis firma & illuſtri: quem, cùm diſertus homo L. Anthiſtius accuſaret, cùm lege Appuleia coloniæ non eſſent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in ſingulas Colonias ternos cives Romanos facere poſſet, negabat hoc beneficium, re ipſa ſublata, valere debere. Sed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, ut non per L. Craſſum affinem ſuum, hominem incredibili eloquentia, ſed paucis ipſe verbis, cauſam illam gravitate ſua defenderit, & probârit. *Grave fuit, & novum hoc judicium: nullus imperator ante Marium hujuſmodi cauſam dixerat: nulli judices, qui de re ſimili judicaverunt.* [6] Vultus C. Marii, vox, ille imperatorius ardor oculorum, recentes

[3] Ib. v. cap. 24. nu. 44. 45.

[4] Ib.

[5] Ib.

[6] Ib.

recentes triumphi, præſens valuit aſpectus, valuit auctoritas, valuerunt res geſtæ? [7] Quis enim eſſet, qui imperatoribus noſtris in bello, in acie, in exercitu delectum virtutis, qui ſociis, qui fœderatis, in defendenda rep. noſtra, ſpem præmiorum eripi vellet? *quis* [8] impedire, quo minus per populum Ro. beneficiorum virtutis cauſa tribuendorum poteſtatem imperatoribus noſtris deferamus. *Equidem ipſorum eſt, rem bene gerentes ornare, &* [9] propoſitis præmiis elicere fortiſſimum quemque, ad ſubeunda pro ſalute noſtra pericula. *Celebris eſt Sicinii Dentati militaris virtus, ac viro forti habiti honores.* [10] *Is pugnâſſe dicitur centum & XX. prœliis: cicatricem averſam nullam: adverſas quinque & XL. tuliſſe: coronis eſſe donatum aureis octo, obſidionali una, muralibus tribus, civicis XIV. torquibus tribus & LXXX. armillis plus centum LX. haſtis duodeviginti, phaleris item donatum quinquies viciesque: populi militaria dona habuiſſe multijuga, in his provocatoria pleraque: triumphâſſe cum imperatoribus ſuis triumphos novem.*

[7] Ib.

[8] Ib.

[9] Ib.

[10] Gel. cap. 11. lib. 2.

QUOMODO FIRMANTUR *conceſſa ab imperatoribus regia beneficia, leges datæ pacis, & fœdera.*

CAP. XIX.

IMPERATORUM in re militari ſummum eſt imperium: jus magnum in rebus bello partis: ſi tamen regia conceſſerint nomina, aut inſignia, vel recuperata captáve reſtituerint, vel donaverint ademta victis regna, oppida, agros aut provincias: patribus agi ſolent gratiæ, atque, ut firmentur, à ſenatu poſtulari. [1] *Legati Maſiniſſæ in ſenatum introducti per P. Æmilium præt. gratulati primùm ſenatui ſunt, quòd P. Scipio proſperè res in Africa geſſiſſet: deinde gratias egerunt,*

[1] Liv. lib. 30. An. DL.

egerunt, quòd Masinissam non appellâsset modò regem, sed fecisset, restituendo in paternum regnum: in quo post Syphacem sublatum, si ita patribus visum esset, sine metu & certamine esset regnaturus: deinde, quòd collaudatum pro concione amplissimis decorâsset donis: quibus ne indignus esset, & dedisse operam Masinissam, & daturum esse: petere, ut regium nomen, ceteráque Scipionis beneficia & munera, senatus decreto confirmaret. Ad ea responsum legatis, rerum gestarum in Africa prosperè, communem sibi cum rege gratulationem esse. Scipionem rectè, atque ordine videri fecisse, quòd eum regem appellâsset: & quicquid aliud fecisset, quod honori foret Masinissæ, id patres comprobare, atque laudare. Sagunto à Scipionibus restituto, Saguntini per legatos à senatu postulaverunt: ut, quæ ipsis [2] *commoda tribuerant imperatores Romani, ea rata atque firma perpetua auctoritate faceret. Hæc de beneficiis. Pacis, & fœderum gravior est conditio: ut quæ, non nisi suffragiis comprobata populi, pia & æterna habentur. testis, repudiata pax Caudina, fœdúsque Numantinum. Aliis cautum melius.* [3] Antiochus ille magnus, magna belli contentione terra maríque superatus, *ad Scipionem consulem oratores misit, qui de pace agerent. Scipio conditiones tulit:* [4] *legatos tamen Romam mitti placuit. M. Aurelius Cotta legatus L. Scipionis, cum Antiochi legatis, & Eumenes rex Rhodiíque Romam venerunt. Cotta in senatu primùm, deinde in concione jussu patrum, quæ acta in Asia essent, exposuit. Tunc omnium primùm Eumeni senatus datus est. Post Rhodios, Antiochi legati vocati sunt. Ii vulgato petentium veniam more, errorem fassi regis, obtestati sunt* P. C. *ut suæ potius clementiæ, quàm regis culpæ, qui satis supérque pœnarum dedisset, memores consulerent: postremò pacem datam à L. Scipione imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent auctoritate sua. & senatus eam pacem servandam censuit, & paucos post dies populus jussit.* [5] Magnus ille rex Asiæ, posteà quàm à Scipione devictus, Tauro tenus regnare jussus esset, omnémque hanc

[2] Id. lib. 28. An. DXLVIII.

[3] pro Sex. An. DLXIV.

[4] Liv. lib. 37.

[5] pro Dejot.

hanc Asiam, quæ est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benignè sibi à populo Ro. esse factum, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur. [6] Agitabatur sæpè in senatu, nonnunquam ex Rostris, possidere agros in ora maritima Hiempsalem, quos P. Africanus populo Ro. adjudicârit: & tamen posteà per C. Cottam consulem cautum esse fœdere. Hoc quia fœdus populus non jusserit, habet aliquam dubitationem: & verebatur Hiempsal, ut satis firmum esset, & ratum. [7] Duris temporibus reip. nostræ, cùm præpotens terra maríque Carthago, nixa duabus Hispaniis, huic imperio immineret, & cùm duo fulmina nostri imperii subitò in Hispania Cn. & P. Sciopiones extincti occidissent: L. Martius primipili centurio, cum Gaditanis fœdus icisse dicitur. [8] Quod cùm magis fide illius populi, justitia nostra, vetustate denique ipsa, quàm aliquo publico vinculo religionis teneretur: sapientes homines, & publici juris periti Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo consulibus à senatu de fœdere postulaverunt. tum est, cum Gaditanis fœdus, vel renovatum, vel ictum: de quo fœdere, populus Ro. sententiam non tulit, qui injussu suo nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana civitas, quod beneficiis erga remp. nostram consequi potuit, quod imperatorum testimoniis, quod vetustate, quod Q. Catuli summi viri auctoritate, quod judicio senatus, quod fœdere, consecuta est: quòd publica religione sanciri potuit, id abest: populus enim se nusquam obligavit. [9] Gaditani tamen, & veterem illam speciem fœderis Marciani semper omni sanctiorem Marte duxerunt, & hoc fœdere Catuli, senatúsque auctoritate, se nobiscum conjunctissimos esse arbitrati sunt, etsi nullum populi nostri jussum haberent. *Nec tamen dixerim istud* [10] fœdus sacrosanctum esse primùm enim tale esse nihil potest, nisi quod populus, plebésque sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt, aut genere ipso, aut obtestatione legis, aut pœna; cùm caput

6 2 Agr.

7 pro Bal. An. DXLI.

8 Ib. v. cap. 43. nu. ult.

An. DCLXXV.

9 Ib.

10 Ib.

 ejus,

ejus, qui contrà facit, consecratur. Nihil omninò unquam de isto fœdere ad populum, nihil ad plebem, neque lege, neque pœna latum esse dico. Nec verò hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum pertinet; neque enim est meum, contra jus optimè meritæ civitatis, contra opinionem vetustatis, contra auctoritatem senatus, dicere. *Sed cùm in multis, hoc unum reperiatur fœdus, quod populus auctoritate senatus, commendatione & judicio vetustatis, velut voluntate sua comprobat, etiamsi suffragiis non comprobârit, cur id faciat exquirimus? an quia Gaditani* [11] à principio sui generis, ac reip. ab omni studio sensúque Pœnorum, mentes suas ad nostrum imperium, noménque flexerunt? quos cùm maxima bella nobis inferrentur, mœnibus excluserunt, classibus insecuti sunt, corporibus, copiis, opibus depulerunt; qui, & vetere illo, ut dixi, fœdere, se nobiscum conjunctissimos esse arbitrati sunt: quorum mœnia, delubra, agros, ut Hercules ipse itinerum ac laborum suorum, sic majores nostri imperii, ac nominis populi Ro. terminos esse voluerunt. [12] Adjunctum illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus, MAJESTATEM POPULI RO. COMMUNITER CONSERVANTO. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior. Primùm verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus, quàm in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis: deinde, cùm alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur: certè ille populus in superiori conditione causáque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur. *Hic locus postulat, ut observetur, quod à Menippo Antiochi legato dictum accepimus:* [13] *esse tria genera fœderum, quibus, integrè pacifcerentur amicitias, civitates, regésque: unum, cùm bello victis dicerentur leges: ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipsius jus ad arbitrium esse. alterum, cùm pares bello, æquo fœdere in pacem, atque amicitiam venirent: tunc*

[11] Ib.

[12] Ib.

[13] Liv. lib. 34.

tunc enim repeti, reddique per conventionem res: & , si quarum turbata bello possessio sit, eas, aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi. tertium esse genus, cùm, qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendum coëant: eos neque dicere, neque accipere leges: id enim victoris, & victi esse. [14] *Cæterum bellis confectis, decem legati imperatoribus decerni solent, ad provinciam constituendam, & leges victis dandas gentibus. His, ut liberè statuant,* [15] *permitti solet more majorum: qui X. legatos, consilium dispensandæ cohonestandæque victoriæ, imperatoribus dederunt.* [16] Atque hoc tamen accepi, non solitos majores nostros, eos legare in decem, qui essent imperatorum necessarii; ut nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius, M. Lucullum, & L. Murenam, & cæteros ad L. Lucullum misimus. *Horum quamvis ea sit potestas, ut postulata ad senatum non rejiciant: & quasi senatus essent, quod iis placeat,* [17] *senatu X. legati dicatur* placere: *tamen, quæ abs iis, & imperatore fiunt, à senatu confirmanda sunt.* [18] *Quinctius imperator, decem legatorum ex consilio, pacis leges dedit: sed postquam redierat, postulavit, ut de his, quæ cum decem legatis ipse statuisset, senatus audiret: eáque, si videretur, auctoritate sua confirmaret.*

[14] 12. Phil.
[15] Ib.
[16] Ep. 6. l. 13. Att.
[17] Liv. l. 33.
[18] Id. l. 34. An. DLX.

DE IMPERATORE *triumphante.*

V. Val. cap. 3. lib. 2.

CAP. XX.

[1] DOMUM CUM LAUDE REDEUNTO. Nihil enim, præter laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hostibus, neque à sociis reportandum. *Imperator, parta insigni victoria, redit cum exercitu: & , senatu extra urbem dato, res à se fortiter felicitérque gestas, exponit.* [2] Hostium cæsorum numerum, & militum renunciat, atque triumphum

[1] 3. de leg.
[2] Ep. 2. l. 3. ad Q. fr.

3 Liv. l. 39. An. DLXVI.

triumphum poſtulat. [3] *M. Fulvius procos. ex Ætolia rediit, & ad ædem Apollinis in ſenatu, cùm de rebus in Ætolia Cephaleniáque ab ſe geſtis diſſeruiſſet, petiit à patribus, ut æquum cenſerent ob remp. benè ac feliciter geſtam, & diis immortalibus honorem haberi jubere, & ſibi triumphum decernere.*

4 In Piſ. 5 pro Plan. 6 ep. 17. l. 4. Att. 7 In Piſ. 8 Liv. lib. 39. 9 7. Ver. 10 In Piſ. 11 pro Mur. 12 In Piſ. 13 Var. l. 5. de ling. Lat. 14 Ovid. 1. met. 15 de pro Conſ. o Horat. ep. 18. lib. 2.

[4] Corona illa laurea decernitur à ſenatu [5] dignis, qui triumphent. *Attamen ſine magiſtratu, re quantumvis* benè geſta, *triumphus non conceditur. nec* [6] niſi latum de imperio ſit. *Qui triumphat* [7] porta introit triumphali, [8] *victore cum exercitu, præda, & captivis. Inde curru vehitur per urbem:* [9] captivi per triumphum ante currum ducuntur: [10] ſimulacra feruntur oppidorum, *item* aurum, argentúmque *captum:* [11] in equis triumphantium prætextati potiſſimùm filii ſedent: [12] legati in equis & tribuni: fit clamor militum, [13] IO TRIUMPHE IO. ———

——— [14] *Sic læta triumphum*

vox canit: —— *atque* [15] in Capitolium invehitur victor, cum illa inſigni laurea.

[o] *Res gerere, & captos oſtendere civibus hoſtes,*
Attingit ſolium Jovis, & cæleſtia tentat.

16 7. Ver. 17 Ib.

[16] Ipſe autem triumphus gratiſſimus populo Rom. eſt, & jucundiſſimus: quia nihil eſt victoria dulcius. Nullum eſt autem teſtimonium victoriæ certius, quàm quos ſæpè metueris, eos te vinctos ad ſupplicium duci videre. [17] At etiam, qui triumphant, eóque diutius vivos hoſtium duces reſervant, ut, iis per triumphum ductis, pulcherrimum ſpectaculum, fructúmque victoriæ populus Rom. percipere poſſit: tamen cùm de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idémque dies, & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit.

18 5. Tuſc. Anno DLXXXV. 19 2. de Orat.

[18] Paulus Perſæ deprecanti, ne in triumpho duceretur, in tua id, inquit, poteſtate eſt. *innuebat eum morte dedecus triumphi effugere potuiſſe. duram captivi oſtendit regis ſortem, non illuſit.* [19] Nam nec inſignis improbitas, & ſcelere juncta, nec rurſus miſeria

inſignis

inſignis agitata ridetur. Facinoroſos enim majore quadam vi, quàm ridiculi vulnerari volunt: miſeros illudi nolunt, niſi ſe fortè jactant. Parcendum eſt autem maximè caritati hominum: [20] & eorum miſereri oportet, qui propter fortunam, non propter malitiam in miſeriis ſunt. [21] Nihil eſt tam miſerabile, quàm ex beato miſer. [22] Hoc jam ferè ſic fieri ſolere accepimus, ut, regum afflictæ fortunæ, facilè multorum opes alliciant ad miſericordiam, quod regale nomen magnum & ſanctum eſſe videatur. [23] Benè majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepiſſent, vita privarent. Quid ita? quia, quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò antè in ampliſſimo ſtatu collocârat. quid quod exercitum contrà duxit? deſino meminiſſe: quid ita? quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare: qui victi ſunt, eos homines judicare, ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille ſi viciſſet, num idem feciſſet? non profectò tam ſapiens fuiſſet. quid igitur ei parcis? quia talem ſtultitiam contemnere, non imitari conſuevi.

[20] 2. de Inven.
[21] In Part.
[22] pro Man.
[23] 4. ad Her.

De Senatoriis ornamentis, & honoribus.

CAP. XXI.

[1] MULTA ſunt impoſita huic ordini munera, multi labores, multa pericula: non ſolùm legum, ac judiciorum, ſed etiam rumorum, atque temporum. ſic eſt hic ordo, quaſi propoſitus, atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari poſſe videatur. In hac conditione vitæ, [2] permulta ſunt ornamenta, quibus ea mitigari

[1] 5. Ver.
[2] pro Clu.

tigari moleſtia poſſit, locus, auctoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, ſella curu-
[3] pro Poſth. lis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, provinciæ, [3] ſacerdotia, triumphi: denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam
[4] pro Clu. prodita. [4] quibus in rebus majores, cùm ſummum rectè factis præmium, tum plura peccatis pericula poſuerunt.
[5] Ib. [5] Quis unquam hoc ſenator recuſavit, quin, quo altiorem gradum dignitatis beneficio populi Ro. eſſet conſecutus, eo ſe putaret, durioribus legum conditionibus, uti oportere. Quàm multa ſunt commoda, quibus caremus? quàm
[6] pro Poſth. multa moleſta ac difficilia, quæ ſubimus? [6] eſt enim ſolli-
[7] pro Clu. citudo, & legum & judiciorum major metus: [7] plures ſunt leges, quibus nos tenemur, cæteri ſunt ordines liberati,
[8] Ib. [8] Atque, hæc omnia tamen, honoris & amplitudinis commodis illis compenſantur. *Adde in provinciis habitum hono-*
[9] ep. 21. l. 12. fa. *rem: idque à noſtris prætoribus & procos. factum,* [9] quod ipſe in provincia facere ſolitus ſum, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoveram à ſummis viris factitatum. *Ab exteris etiam omnia ſenatori Ro.*
[10] pro Sext. *deferuntur.* [10] Ad urbem aliquam venienti, obviam ſic pro-
[11] 4. Ver. ceditur, ut ſit nemo, qui [11] hunc ordinem dignitate antecel-
[12] 6. Ver. lere, non exiſtimet. [12] Ecqua civitas eſt, non modò in provinciis noſtris, verùm in ultimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara: Rex de-
[13] ep. 7. l. 2. Att. ap. nique ecquis eſt, qui ſenatorem populi Romani, [13] non ſalutet,
[14] 6. Ver. [14] tecto ac domo non invitet, [15] regio apparatu non excipiat?
[15] In Som. Scip. [16] qui honos non homini ſolùm habetur, ſed primùm popu-
[16] 6. Ver. lo Rom. cujus beneficio nos in hunc ordinem venimus (*ſiquidem per populum mandantur magiſtratus, quibus in ſe-*
[17] Ib. *natum per cenſores legimus*:) [17] deinde ordinis auctoritati: quæ niſi gravis erit apud ſocios, atque exteras nationes, ubi erit imperii nomen, ac dignitas? *Hinc jampridem ego*
[18] Ib. *de Mamertinis queſtus ſum, quod* [18] me publice non invitaverunt. me cum dico, leve eſt: ſenatorem populi Ro. ſi

non

non invitaverunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, ſed ordini. *Non ſic aliæ civitates:* [19] Ennam cùm veniſſem, præſtò mihi ſacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt. [20] Cùm ad Heracleam noctè accederem, cives cum omnibus matronis civitatis, & cum multis facibus mihi obviam venerunt. *Ac ne ulla in re Syracuſani deeſſent,* [21] ad me venit Heraclius, is, qui tum magiſtratum Syracuſis habebat, homo nobilis? qui ſacerdos Jovis fuiſſet: qui honos apud Syracuſanos eſt ampliſſimus: agit mecum, & cum Q. fratre meo, ut, nobis ſi videretur, adiremus ad eorum ſenatum: frequentes eſſe in curia: ſe juſſu ſenatûs à nobis petere, ut veniremus. Primò nobis fuit dubium, quid ageremus: deinde, citò venit in mentem, non eſſe vitandum illum nobis conventum, & locum: itaque in curiam venimus. honorificè ſanè conſurgitur: nos rogatu magiſtratus aſſedimus: incipit is loqui, qui & auctoritate, & ætate, &, ut mihi viſum eſt, uſu rerum antecedebat Diodorus Timarchides: cujus omnis oratio hanc habuit primò ſententiam: ſenatum populúmque Syracuſanum moleſtè gravitérque ferre, quòd ego, cùm in cæteris Siciliæ civitatibus ſenatum, populúmque docuiſſem, quid eis utilitatis, quid ſalutis afferrem: & cùm ab omnibus mandata, legatos, litteras, teſtimoniáque ſumſiſſem, in illa civitate nihil ejuſmodi facerem: Reſpondi, neque Romæ in conventu Siculorum, cùm à me auxilium communi omnium legationem conſilio petebatur, cauſáque provinciæ ad me deferebatur, legatos Syracuſanorum adfuiſſe: neque me poſtulare, ut quicquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris ſtatuam viderem. Quod poſteaquam dixi, tantus eſt gemitus factus aſpectu ſtatuæ, & commemoratione, ut illud monumentum ſcelerum, non beneficiorum videretur. *Sed de his, quæ alio pertinent, fortaſsè nimium. Dignitas noſtri ordinis ſemper fuit magna: & tamen, non niſi* [22] Megaleſiis ludis, primùm, ante populi conſeſſum,

[19] Ib.
[20] 7. Ver.
[21] 6. Ver.
[22] de Har.

confessum, senatui locum P. Africanus iterum consul ille major dedit. [23] Is, ut dicitur, non solùm à sapientissimis hominibus, qui tum erant, verùm etiam à se ipso sæpè accusatus est, quòd cùm consul esset cum Tib. Longo, passus esset tum primùm, à populari consessu senatoria subsellia separari. *Equidem istud* [24] *præbuit sermones (sicut omnis novitas solet) aliis tandem, quod multò antè debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini: aliis demtum ex dignitate populi, quidquid majestati patrum adjectum esset, interpretantibus: & omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ, & libertati æquè minuendæ esse.*

[23] 1. Or. pro Corn. An. DLIX.

[24] Liv. lib. 36.

SENATORIS ROM. *in decursu honorum, & ætatis flexu auctoritas, exercitationes, oblectamenta, solatia.*

CAP. XXII.

CURSUS honorum est incertus & varius, [1] ætatis certus, & una via naturæ, eáque simplex: suáque cuíque parti ætatis tempestivitas est data. ut enim infirmitas puerorum est, ferocitas juvenum, gravitas jam constantis ætatis: sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat. [2] Apex est autem senectutis auctoritas: quanta fuit primo Punico in L. Cæcilio Metello, quanta in Atilio Calatino: in quem, illud elogium: "uno ore plurimæ consentiunt gentes, populi primarium "fuisse virum?" notum est carmen incisum sepulcro. Quid de P. Crasso, M. Lepido, Fabio Maximo, Paulo, aut Africano loquar? quorum non in sententia solùm, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet, habet senectus, honorata præsertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quàm omnes adolescentiæ voluptates. Sed in omni oratione, eam laudo senectutem, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit.

[1] In Cat.

[2] Ib. An. CDXCV.

ſit. ex quo efficitur id, quod *Cato* magno quondam cum aſſenſu omnium dixit, Miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defenderet. Non cani, non rugæ, repentè auctoritatem arripere poſſunt: ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus auctoritatis carpit extremos. [3] fructus autem ſenectutis eſt, antè partorum bonorum memoria, & copia: *auctoritatis fructus*, [4] grato atque honeſto ſenectutis non inertis fungi munere. [5] Habet natura, ut aliarum omnium rerum, ſic vivendi modum. Senectus autem, ætatis eſt peractio, tanquam fabulæ: cujus defatigationem fugere debemus, præſertim adjuncta ſatietate. [6] nihil enim magis cavendum eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe deſidiæque dedat. [7] Si verò habeat aliquod tanquam pabulum ſtudii atque doctrinæ, nihil eſt otioſa ſenectute jucundius. [8] Atque hæc quidem prudentibus, & benè inſtitutis pariter cum ætate creſcunt: ut honeſtum illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodam, Seneſcere ſe multa indies addiſcentem: qua voluptate animi nulla certè poteſt eſſe major: *cùm* [9] animi cultus ille ſit, quaſi quidam humanitatis cibus. [10] Equidem è Cn. Aufidio, prætorio erudito homine, oculis capto, ſæpè audiebam, cùm ſe lucis magis, quàm utilitatis deſiderio moveri diceret. Is pueris nobis cæcus, & in ſenatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in litteris. *Et quoniam nihil eſt ea in ætate, quod magis prædicandum, & præ ſe ferendum ſit, hæc ipſe de ſe, nec mentitur in gloriando, Cato major.* [11] Septimus mihi liber Originum eſt in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: cauſarum illuſtrium, quaſcunque defendi, nunc, cùm maximè orationes, conficio: jus augurium, pontificium, civile tracto: multùm etiam litteris Græcis utor: Pythagoræorúmque more, exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audiverim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his deſudans atque elaborans,

[3] Ib.
[4] 1. de leg.
[5] In Cat.
[6] 1. Off.
[7] In Cat.
[8] Ib.
[9] 5. de Fin.
[10] 5. Tuſc. An. DCLXII.
[11] In Cat. An. DCIII.

elaborans corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis: venio in senatum frequens, ultróque affero res multùm & diu cogitatas, eásque tueor animi, non corporis viribus. quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. [12] Hæ artes efferunt fructus, non solùm, quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quamquam id quidem maximum est) verùm etiam, quia conscientia benè actæ vitæ, multorúmque benefactorum recordatio jucundissima est. [13] Quid est etiam præclarius, quàm honoribus, & reip. muneribus perfunctum senem, more patrio sedentem in solio consulentibus respondere, ac posse dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi & reges, at omnes sui cives consilium expetant,

[12] Ib.
[13] 1. de Or.

Suarum rerum incerti: quos mea ope ex
Incertis certos, compotésque consilî
Dimitto, ut ne res temerè tractent
Turbidas.

In nostra civitate amplissimus quisque & amplissimus vir, ut ille, qui propterea sic appellatus à summo poëta est,

Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus,

Multíque prætereà, qui, cùm ingenio auctore sibi dignitatem reperissent, [14] faceréntque omnibus civibus consilii sui copiam, [15] perfecerunt, ut auctoritate plus etiam, quàm ingenio valerent: & ad eos, [16] transverso ambulantes foro, & in soliis sedentes domi, de omni aut officio, aut negotio referretur. [17] Venio ad voluptates agricolarum, quibus incredibiliter nostri veteres delectabantur: quæ nec ulla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. habent enim rationem

[14] 3. de Or.
[15] 1. de Or.
[16] 3. de Or.
[17] In Cat.

rationem cum terra, quæ nunquam recusat imperium: nec unquam sine usura reddit, quod accepit: sed alias minore, plerumque majore cum fœnore. [18] M. Valerium Corvinum ad centesimum annum accepimus vitam produxisse: quum exacta jam ætate in agris esset, eósque coleret. cujus inter primum & sextum consulatum, octo & quadraginta anni interfuerunt. Ita, quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. atque hujus extrema ætas hoc beatior, quàm media, quòd auctoritatis habebat plus, laboris minus. [19] Nam, & legibus, & institutis, vacat illa ætas muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri. itaque, non modò, quod non potest, sed, ne quantum potest quidem, cogitur. [20] In hac vita M. Curius, quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphâsset, consumsit extremum tempus ætatis. In agris erant tunc senatores, & iidem senes: siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum est eum dictatorem esse dictum. A villa in senatum arcessebantur, & Curius, & cæteri senes, ex quo, qui eos arcessebant, viatores nominati sunt.

[18] In Cat.

I. Cons. an. CDI. VI. cons. an. CDLIV.

[19] Ib.

[20] Ib.

Anno CCCXIV.

* *Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia, gemmis:*
Pascebâtque suas ipse senator oves.
Nec pudor in stipula placidam posuisse quietem:
Nec fœnum capiti supposuisse suo.

* Ovid. I. Fast.

[21] Illis temporibus ab aratro etiam arcessebantur, qui consules fierent. Atilium sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt. [22] Sæpe audivi C. Lælium semper ferè cum Scipione solitum rusticari, eósque incredibiliter repuerascere esse solitos, cùm rus ex urbe, tanquam è vinculis, evolâssent. non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solebat narrare Scævola, conchas eos, & umbilicos ad Caietam, & ad Laurentum legere consuevisse, & ad omnem animi remissionem, ludúmque descendere. Sic enim se res habet, ut quemadmodum

[21] pro Rosc. Am.

[22] 2. de Or.

admodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suæ causa, fingere & construere nidos: easdem autem, cùm aliquid effecerint, levandi laboris sui causa, passim ac liberè solutos opere volitare: sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore. Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando, nihil agit, nec poterit referre se in otium: cujus fructus est, non contentio animi, sed relaxatio: quam ipsa natura sic appetit, ut homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen si modò homines sint, interdum animis relaxantur.

[23] In Cat.

[23] Quid etiam est jucundius senectute stipata studiis juventutis. *Catoni* Cn. & P. Scipiones, & L. Æmilius, & P. Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. *Et quidem, nulla re prorsus nostri senatores, in ætatis flexu magis delectabantur, quàm ut* [24] adolescentes docerent, instituerent, ad omne officii munus instruerent, illísque traderent, quæ ipsos usus docuit. *Quo quidem opere, quid potest esse præclarius? quid reip. utilius? cùm quæcunque in hac ætate vitæ ratio* [25] exstiterit, eadem sit *in maturiore, atque* in ipsa civitate secutura. [26] Est igitur adolescentis majores natu vereri, exque his deligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. ineuntis enim ætatis inscientia, senum constituenda, & regenda prudentia est. Senibus autem danda opera, ut, & amicos, & juventutem, & maximè remp. consilio & prudentia, quàm plurimùm adjuvent. *Hæc erant apud majores nostros factitata. nam* [27] *senectuti juventus ita cumulatum & circumspectum honorem reddebat, tanquam majores natu adolescentium communes patres essent, quocirca juvenes, senatus die utique, aliquem ex Patribus conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum, ad Curiam deducebant, affixíque valvis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur. qua quidem voluntaria statione, & corpora,*

[24] Ib.

[25] 3. de leg. ap.

[26] 1. Off.

[27] Val. cap. 1. lib. 2.

pora, & animos, ad publica officia ſuſtinenda impigrè corroborabant: brevíque proceſſu morarum in lucem virtutum ſuarum, verecunda laboris meditatione, ipſi doctiores erant. Invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio eſſent interſuturi? ne ſenioris adventum diſcubitu præcurrerent: ſublatâque menſa priores conſurgere, & abire patiebantur. Ex quibus apparet, cœnæ quoque tempore, quàm parco, & quàm modeſto ſermone, his præſentibus, ſoliti ſint uti. Majores natu in conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant, quò ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc ſplendidius, quid etiam utilius certamine? pubertas canis ſuum honorem reddebat: defuncta virium curſu ætas, ingredientes actuoſam vitam, favoris nutrimentis proſequebatur.

[28] *Et medius juvenum non indignantibus ipſis* [28] Ovid.
Ibat: & interior ſi comes unus erat. 5. Faſt.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.

[29] *Quas Athenas? quam ſcholam? quæ alienigena ſtudia huic domeſticæ diſciplinæ prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii. Hæ fuere exercitationes noſtrorum, hæc oblectamenta ſenectutis, hæc ſolatia, quibus Senatorum ætas gravior levabatur: maximéque ſuo decore ſeipſam ſuſtentabat.* [30] Ut enim adoleſcentes bona indole præditi ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur: ſic adoleſcentibus ſapientes ſenes delectantur: leviórque fit ſenectus eorum, qui à juventute coluntur, & diliguntur. [31] Hæc enim ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, ſalutari, appeti, deduci, reduci, conſuli: quæ, & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optimè morata eſt, ita diligentiſſimè obſervantur. Lyſandrum Lacedæmonium, dicere aiunt ſolitum

[29] Val. d. cap. 1. lib. 2.

[30] In Cat.

[31] Ib.

Lacedæmone effe honeftiffimum domicilium fenectutis. nufquam enim tantum tribuitur ætati: nufquam eft fenectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum eft, quum Athenis, ludis quidam in theatrum grandis natu veniffet, magno confeffu, locum ei nufquam à fuis civibus datum: quum autem ad Lacedæmonios acceffiffet, qui, legati quum effent, certo in loco confederant, confurrexiffe omnes, & fenem feffum recepiffe: quibus, quum à cuncto confeffu plaufus effet multiplex datus, dixiffe ex iis quendam, Athenienfes fcire, quæ recta effent, fed facere nolle. Multa in noftro collegio præclara, fed hoc, de quo agimus, in primis: quòd, ut quifque ætate antecellit, ita fententiæ principatum tenet. neque folùm honore antecedentibus, fed iis etiam, qui cum imperio funt, majores natu augures anteponuntur.

---

v. De Cenforia nota Val. cap. 4. lib. 2.

De Potestate, *& jure cenforum in fenatoribus legendis: & interdicto iftis quæftu.*

CAP. XXIII.

[1] 3.de Leg.

[2] Ib.

[3] pro Domo.

[4] 4. ad Her.

[1] Censores probrum in senatu ne relinquunto: is ordo vitio careto: cæteris specimen esto. [2] Ut vitio careat ordo fenatorius, & ne veniat in eum quifquam vitii particeps, *aut tanto indignus loco*, [3] majores noftri penes cenfores judicium fenatus de dignitate effe voluerunt. [4] Uti citharœdus, cùm prodierit optimè veftitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, & cum corona aurea, magni fulgoris gemmis illuminata, citharam tenens exornatiffimam, auro & ebore diftinctam: ipfe præterea forma & fpecie fit, & ftatura appofita ad dignitatem: fi, cùm magnam populo commoverit his rebus expectationem, repentè filentio facto, vocem emittat acerbiffimam, cum turpiffimo

piſſimo corporis motu: quo melius ornatus ſit, & magis fuerit expectatus, eo magis deriſus, & contemtus ejiciatur: ita, ſi quis in excelſo loco, & in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit: ſi virtutis & artium, quæ virtutis magiſtræ ſunt, egebit: quo magis cæteris rebus erit copioſus, illuſtris, & expectatus: eo vehementius deriſus, & contemtus ex omni bonorum conventu ejicietur. *Hujuſmodi ne veniat ullus in ſummum populi Ro. conſilium, cenſores* [5] in ſenatum legunt [6] ex iis, qui magiſtratum ceperunt: *et, ne ordo alicujus improbitate prematur,* [7] è ſenatu ejiciunt [8] ſcelere contaminatum, aut aliquo dedecore infamem: *&, quem volunt, prætereunt in legendo.* [9] Ille verò, etſi meus totus eſt ordo, gratiſſimámque memoriam retinet conſulatus mei (pace bonorum dixerim) non modò cenſores, ſed dicam judices omnes, poteſt defatigare. *Cato* [10] fortiſſimi viri T. Flaminii fratrem L. Flaminium è ſenatu ejecit, ſeptem annis poſtquam Conſul fuiſſet: invitus fecit: ſed notandam putavit libidinem. Ille enim, quum eſſet Conſul in Gallia, exoratus in convivio à ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre ſuo Cenſore, qui proximus ante *Catonem* fuerat, elapſus eſt: *Catoni* verò & Flacco, neutiquam probari potuit, tam flagitioſa, & perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus. [11] Patrum memoria, Q. Metellus ex ſenatu cenſor ejecit C. Atinium, qui poſteà Trib. pl. Metelli bona conſecravit foculo poſito in Roſtris, adhibitóque tibicine. *Appius Claudius Publii* [12] pater, civis egregius diſſimilíſque filiorum, cùm de eo tribunus pl. promulgâſſet, adeſſe propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit: eíque imperium eſt abrogatum. In illo pœna legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum. Quem, etſi nemo unquam ſanus exulem appellavit, tamen L. Philippus cenſor avunculum ſu-

[5] pro Domo. [6] 3. de Leg. [7] In Cat. [8] pro Clu. [9] 3. de Leg. [10] In Cat. An. DLXIX. [11] pro Do. [12] Ib. An. DCLXVII.

 um

ûm præteriit in recitando ſenatu. Nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent, quæ erant acta in ea Rep. in qua, ſe, illis ipſis temporibus, cenſorem eſſe voluiſſet. Me L. Cotta homo cenſorius, in ſenatu juratus dixit, ſe, ſi cenſor tum eſſet, cùm ego aberam, meo loco ſenatorem recitaturum fuiſſe. *Piſone & Gabinio Coſſ.* [13] tacentibus, imò verò etiam approbantibus, lata lex eſt, ut cenſoria notatio, & graviſſimum judicium ſummi magiſtratus nemini obeſſet, [14] *niſi qui apud eos accuſatus, & utriúſque cenſoris ſententia damnatus eſſet.* [15] Cenſorii etiam ſtili mucronem multis remediis majores noſtri retuderunt. [16] timoris enim cauſam, non vitæ pœnam, in illa dignitate eſſe voluerunt: [17] neque judicium nominârunt, neque proinde, ut rem judicatam, obſervârunt animadverſionem atque auctoritatem cenſoriam: [18] ne in unumquemque noſtrum cenſoribus poteſtatem regiam permitterent: ne ſubſcriptio cenſoria, non minus calamitatis civibus, quàm proſcriptio, poſſet afferre: ne cenſorium ſtilum, æquè atque dictatorium gladium pertimeſceremus. Quapropter [19] judices, ſenatores, equiteſque Romani, in compluribus reis, ſuæ potiùs religioni, quàm cenſorum opinioni paruerunt: *qui ſæpè, cùm* [20] capiti mederi deberent, reduviam curabant. [21] Prætores urbani, qui jurati debent optimum quemque in ſelectos judices referre, nunquam ſibi, ad eam rem, cenſoriam ignominiam impedimento eſſe oportere duxerunt. Cenſores denique ipſi, ſæpenumero ſuperiorum cenſorum judiciis (ſi iſta judicia appellari vultis) non ſteterunt: atque etiam ipſi inter ſe cenſores, ſua judicia tanti eſſe arbitrantur, ut alter alterius judicium, non modò reprehendat, ſed etiam reſcindat, ut alter de ſenatu movere velit, alter retineat, & ordine ampliſſimo dignum exiſtimet: ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet. [22] *Appius Claudius cenſor ſenatum primus libertinorum filiis lectis inquinavit.* [23] Lentulus Popilium, quòd erat libertini filius, in ſenatum non

[13] pro Sext.
[14] Aſc. in Piſ.
[15] pro Clu.
[16] Ib.
[17] Ib.
[18] Ib.
[19] Ib.
[20] pro Ros. Am. ap.
[21] pro Clu.
[22] Liv. lib. 9. An. CCCCXLI.
[23] pro Clu.

non legit: locum quidem ſenatorium ludis, & cætera ornamenta reliquit, & eum omni ignominia liberavit. *Quare, ſi cenſor cenſoris opinione ſtandum non putet,* [24] ut vitio careat ordo, difficile factu eſt, niſi educatione quadam & diſciplina, *aut conſuetudine* [25] vitæ maximè disjunctæ à cupiditate, & cum officio conjunctæ: *qualis fuit illa majorum* [26] parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra: quum [27] in agris erant ſenatores, & à villa in ſenatum arceſſebantur. [28] Virtus, probitas, integritas *in ſenatore legendo, tum ſpectabatur: non etiam cenſus.* Sed [29] cùm duæ res ſint, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commovere, inopia atque avaritia: *nunc in Rep.* [30] omnibus gentibus, ac nationibus imperante, *cenſor etiam inquirit, num lectus aut legendus in ea ſit conditione vitæ,* [31] qua ordinem tueri poſſit? Graviſſimum autem eſt, cùm ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna: *viliſſimum* [32] ſibi turpes quæſtus proponere: [33] quum iſti ordini, ne honeſtus quidem poſſit eſſe ullus. [34] Habebítne *noſtris temporibus* cenſore ſciente & vidente, curia ſenatorem, populus Ro. judicem, reſp. civem ſine ignominia quenquam, qui ad perniciem innocentis fidem ſuam, & religionem pecunia commutârit: quum, [35] ſi vel fides quid attulerit religionis, opus cenſorium ſit: *et apud veteres,* [36] præfectus moribus, magiſter veteris diſciplinæ non retinuerit quenquam ſciens *in ſenatu, ſordido addictum quæſtui*: [37] aut aliis rebus, in quibus peccata maxima non inſunt, noxias tamen afferunt, *contaminatum. Jam, ut infamiæ & flagitiorum ſordes tranſeam, & ſimul leges rogatas de pecunia* [38] capta, conciliata, per emiſſarios quæſita: de [39] quæſtibus, qui ſordidi ſunt, hæc ferè accepimus. Primùm improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi

[24] 3. de Leg.
[25] pro R. Am. ap.
[26] Ib.
[27] In Cat. v. c. 3. nu. 18. 20.
[28] pro Plan. v cap. 35. n. 9.
[29] 4. ad Her.
[30] pro Manil.
[31] Ep. 5. l. 13. fa. ap.
[32] 4. Ver.
[33] 6. parad.
[34] pro Clu.
[35] 2. de Or.
[36] pro Clu.
[37] in frag. Hort.
[38] 5. Ver.
[39] 1. Off.

etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim
vendant carius. Nihil enim proficiunt, niſi admodum
mentiantur. Nec verò quicquam eſt turpius vanitate:
opificéſque omnes in ſordida arte verſantur. Nec enim
quidquam ingenuum poteſt habere officina: miniméque hæ
40 7. Ver. artes probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum. [40] Turpe,
41 Ib. criminoſum, invidioſum putabatur, [41] nec licuit ædificare
navem ſenatori: antiquæ ſunt iſtæ leges & mortuæ, quem-
admodum Hortenſius ſolet dicere, quæ vetant. Fuit iſta
reprehenſio quondam, fuit iſta ſeveritas in judiciis, ut iſtam
rem accuſator in magnis criminibus objiciendam putaret:
Quid tibi navi opus fuiſſet: cui, ſi quò publice proficiſ-
ceris, & præſidii, & vecturæ cauſa ſumtu publico navi-
gia præberentur? privatim autem, nec proficiſci quoquam
potes, nec arceſſere res tranſmarinas ex iis locis, in quibus
42 4. de Rep. tibi mercari nihil licet. [42] Nolo eundem imperatorem, &
43 6. Ver. portitorem eſſe terrarum. [43] Videte majorum diligentiam,
qui ea, quæ parvis in rebus accidere poterant, providebant:
navem, argentum dabant de publico: veſtem præbebant
legibus: nos in provinciis ab emtionibus removerunt:
ne mercatores, cum imperio ac ſecuribus, in provincias
44 4. de Rep. mittere viderentur. [44] Optimum autem, & in privatis
familiis, & in rep. vectigal duco eſſe parſimoniam: Qua
45 pro R. Am. [45] majores noſtri ex minima tenuiſſimáque rep. maximam,
& florentiſſimam nobis reliquerunt: ſuos enim agros ſtu-
dioſè colebant, non alienos cupidè appetebant. Quibus
rebus, & agris, & urbibus, & nationibus remp. atque hoc
imperium, & populi Ro. nomen auxerunt. Hæc etiam
eò profero, ut intelligatur, *quod paulò ante diximus*, ma-
jores noſtros, ſummos viros clariſſimóſque homines, qui
omni tempore ad gubernacula reip. ſedere debebant, ta-
men in agris quoque colendis, aliquantum operæ tem-
46 1. Off. poríſque conſumſiſſe: [46] quòd omnium rerum, ex quibus

aliquid

aliquid acquiritur, nihil fit agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius.

[47] *Felix, qui propriis ævum transegit in arvis:*
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem.

[47] Claud. de Senatore Veronensi.

De auctoritate, & *cognitione Romani senatus.*

CAP. XXIV.

[1] POTESTAS in populo, auctoritas in senatu est [2] publicæ salutis mentísque principe, [3] reip. custode, præside, propugnatore. [4] Summum enim est populi Ro. populorúmque, & gentium omnium ac regum consilium, senatus: [5] cui populus ipse moderandi, & regendi sui atque reip. potestatem, quasi quasdam habenas tradidit. [6] *sed ita temperavit, ut senatus, neque de capite civis Romani statuat, neque leges ferat, neque creet magistratus, neque faciat, quo minus senatus-consultis intercedi possit, neque de bello aut indicendo, aut facienda pace, sine populo decernat: etsi in majoribus comitiis, legibúsque ferendis, ejus interponatur auctoritas: & belli atque pacis, patres fiant auctores: corúmque sit de bello rogationem ad populum ferri jubere.* [7] *M. Juvencius Talva prætor, novo maléque exemplo, antè non consulto senatu, non consulibus certioribus factis de sua unius sententia rogationem tulit,* VELLENT JUBERENTNE RHODIIS BELLUM INDICI*: cùm antè semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ad populum latum.* [8] Equidem senatus officium est consilio civitatem juvare: magistratus officium, opera & diligentia consequi voluntatem senatus: populi officium, res optimas & homines maximè idoneos suis sententiis deligere, & probare: *atque pati se à senatu regi. Et verò hujus* [9] judicium, semper est judicio populi sic comprobatum, [10] ut nuncios pacis ac belli, curatores, interpretes,

[1] 3. de Leg.
[2] de Har.
[3] pro Sext.
[4] pro Do.
[5] 1. de Ora.
[6] Di. Hal.
v. nu. 124.
[7] Liv. li. 45. An. DLXXVI.
[8] 4. ad Her.
[9] pro Bal.
[10] In Vat.

bellici conſilii auctores, miniſtros muneris provincialis, more majorum deligere poſſet. *Unus in hac civitate poſt*
[11] Ib. *urbem conditam* [11] patriæ parricida inventus eſt: qui ſpe-
An. DCXCIV. râſſe tentâſséque videtur, ut patres conſcripti ex Rep. funditus tollerentur: cùm, ne hoc quidem ſenatui relinquebat, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur. Eripuerat ſenatui provinciæ decernendæ poteſtatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii diſpenſationem: quæ nunquam ſibi populus Ro. appetivit, qui nunquam anteà ſummo conſilio gubernationem auferre conatus eſt. Age, factum eſt horum aliquid in aliis raró, ſed tamen factum eſt, ut populus deligeret imperatorem. Quis lega-
An. DCXCV. tos unquam audivit ſine S. C. ante Vatinium nemo: pòſt continuò fecit idem in duobus prodigiis reip. Clodius. Quo etiam majore fuit malo ille multandus quòd non ſolùm facto ſuo, ſed etiam exemplo remp. vulneravit: neque tantùm erat improbus ipſe, ſed etiam alios docere voluit, *& in his Piſonem:*
[12] pro Sext. *qui,* [12] neglecta auctoritate ſenatus, legatos, non modò nullo
[13] pro Do. S. C. ſed etiam repugnante ſenatu, ipſe ſibi legavit. [13] Clodius
An. DCXXX. provincias conſulares, quas C. Gracchus, qui unus maximè popularis fuit, non modò non abſtulit ab ſenatu, ſed etiam, ut neceſſe eſſet conſtitui quotannis, per ſenatum decretas ſanxit: eas lege Sempronia per ſenatum decretas reſcidit: extra ordinem, ſine ſorte, nominatim dedit, non con-
[14] pro Sex. ſulibus, ſed reip. peſtibus: effecítque, ut uni [14] helluoni bis de eadem re deliberandi, & rogata lege poteſtas fieret provinciæ commutandæ. *Omnia contra morem majorum, & ſenatus auctoritatem: quæ tanta fuit in provinciis decer-*
[15] de pro. con. *nendis, ut lege Sempronia* [15] intercedi de provinciis non licuerit. *Eſt etiam ordinis ampliſſimi proprium decernere,*
[16] Ep. 2. l. 5. A. & 7. l. 1. fa. *ut* [16] provincia prorogetur, ſtipendium detur, [17] conſules ſortiantur, delectus habeatur, vacationes ne valeant, legati
[17] Ep. 18. l. 1. A. v. cap. 10. cum auctoritate mittantur: *denique, ut paretur, atque fiat quodcunque pertinet ad rem bellicam adminiſtrandam, tenendúmque in domitos imperium.* [18] Senatus in anguſtiis ærarii
[18] pro Bal.

victo-

victorem Cæsaris exercitum stipendio affecit, imperatori decem legatos decrevit: lege Sempronia succedendum non censuit. *In rep. cùm Gallici belli versaretur metus*, [19] atque Helvetii essent in armis, excursionésque in provinciam facerent, senatus decrevit, ut consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, daréntque operam, ne hæ cum Helvetiis se jungerent. Atque cùm de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit. Hoc idem, post me, Pompeio accidit, ut nos duo quasi pignora reip. retineri videremur. [20] *Senatus omninò ærarii potestatem habet: námque in illius arbitrio sunt, & reditus, & sumtus: neque quæstoribus licet in rem ullam sumtus facere, nisi in consules, sine decreto senatus. Utrique postquam in urbem redeunt, rationes ad ærarium deferunt.* [21] Si rationum referendarum jus vetus, & mos antiquus maneret, *consul* non conferret rationes, nisi cum quæstore contulisset, confecissétque ad urbem. Lege Julia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdem totidem verbis referre ad ærarium. Certè lex jubebat apud duas civitates, quæ maximæ viderentur, rationes confectas & consolidatas deponere. *Senatus autem est decernere, ut de pecunia non relata quæratur. Inde illa Petilii rogatio contra L. Scipionem:* [22] *Velitis, jubeatis quæratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta à rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius Pr. urbanus ad senatum referat: quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui prætores nunc sunt? Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petilia quærere vellent, Q. Terentium Culleonem patres jusserunt. Ad hunc prætorem reus extemplò factus L. Scipio: simul, & delata, & recepta nomina legatorum ejus, & quæstoris. Scipio & A. Hostilius legatus, & C. Furius quæstor damnati: quo commodior pax Antiocho*

[19] Ep. 18. l. 1. A. An. DCXCIII.

[20] Polyb. lib. 6.

[21] Ep. 20. li. 5. fa.

An. DCXCIV.

[22] Liv. li. 38. An. DLXVI.

Antiocho daretur, Scipionem VI. millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quàm in ærarium retulerit: A. Hostilium LXXX. pondo auri, argenti CCCCIII. Furium quæstorem auri centum XXX. argenti CC. pondo. In L. Scipione mendum: similius enim veri est, argenti, quàm auri majus pondus fuisse: & magis quadragies, quàm ducenties quadragies litem æstimatam: eo magis, quòd tantæ summæ rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt: librúmque rationis ejus, cùm L. fratrem afferre jussisset, inspectante senatu, suis ipsum manibus concerpsisse: indig-
[23] v. Val. cap. 7. lib. 3. *nantem, quòd, cùm bis millies in ærarium retulisset, quadragies ratio ab se posceretur. Ab eadem fiducia animi, cùm quæstores pecuniam ex ærario contra legem promere non au-*
v. infra cap. 43. nu. ult. *derent: poposcisse claves, & se aperturum ærarium dixisse, qui, ut clauderetur, effecisset. At nemo tantum suis meritis tribuendum putare debet, ut ob illa sit convellenda disciplina*
[24] 5. Ver. *reip. Syllæ*[24] omnes res gestas, non solùm obtinemus, verùm etiam propter malorum, incommodorum, & calamitatum metum, publica auctoritate defendimus. Unum hoc
An. DCLXXII. illius S. C. reprehensum, decretúmque est, ut quibus ille de capite dempsisset, ii pecunias in ærarium deferrent. Statuit senatus hoc, ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia, ab ipso partarum quæsitarúmque rerum summas imminuere. Ille in hoc genere veterum religione legum
[25] pro R. Am. reprehenditur: & in [25] proscriptione, quæ facta est in eos, qui arma capere potuerunt. eam senatus suscipere noluit: ne quid acrius, quàm more majorum comparatum est, publico consilio factum videretur. hanc verò, quæ ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, cum non potuisset rejicere, & aspernari, videte quem in locum resp. pervenerit. Homines sapientes, & ista auctoritate præditos, qua sunt senatores, ex quibus rebus maximè resp. laboravit, iis maximè mederi conveniebat. Nemo est, quin intelligat populum Ro. qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, eo tempore domestica cru-

delitate

delitate laborâsse. Quæ non modò id habuit in se mali, quòd tot cives atrocissimè sustulit: verùm etiam, quòd hominibus lenissimis ademit misericordiam, consuetudine incommodorum. Nam, cùm omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam, qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum, sensum omnem humanitatis ex animis amittimus. [26] In Syllanis omnia genere ipso præclarissima fuerunt: sed quid proscriptione hac miserius, quæ ad liberos pertinet? [27] Quid enim crudelius, quàm homines honestis parentibus ac majoribus natos à rep. submoveri. sed ita legibus Syllæ continetur status civitatis, ut his solutis stare ipsa non possit. [28] *Jam pergo.* Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac urbe ex Rostris, populi frequentia. L. Sylla, cùm bona indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet, & se prædam suam se vendere diceret, tamen ex eo loco vendidit: nec, quorum oculos offendebat, eorum ipsorum conspectum fugere ausus est. [29] Non fuit utilis, quia non honesta, illa Philippi. Q. F. sententia, quas civitates L. Sylla pecunia accepta ex S. C. liberavisset, ut hæ rursus vectigales essent: neque iis pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. ei senatus est assensus, turpe imperio. piratarum enim melior est fides, quàm senatus. At aucta vectigalia. Utile igitur. Quousque audebunt dicere quicquam utile, quod non honestum? potest autem ulli imperio, quod gloria debet fultum esse, & benevolentia sociorum, utile esse odium & infamia? [30] Lucio Octavio & C. Cottæ coss. senatus permisit, ut vini & olei decumas, & frugum minutarum, quas antè Verrem quæstores in Sicilia vendere consuêssent, Romæ venderent: legémque his rebus, quæ ipsis videretur, edicerent. Cùm locatio fieret, publicani postulârunt, quasdam res ut ad legem adderent: neque tamen à censoriis,

[26] Ep. 24. l. 11. Att.

[27] Frag. de Prosc. lib.

[28] 2. Agr.

[29] 3. Off.

[30] 5. Ver. An. DCLXXVIII.

ſoriis cæteris legibus recederent. Contradixit, qui caſu tum Romæ fuit Sthenius Thermitanus: conſules cauſam cognoverunt: cùm viros primarios, atque ampliſſimos civitatis multos in conſilium advocâſſent, de conſilii ſententia pronunciârunt, ſe lege Hieronica vendituros. Ita prudentiſſimi viri ſumma auctoritate præditi, quibus ſenatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem poteſtatem permiſerat, populúſque Ro. idem juſſerat, Siculo uno recuſante, cùm amplificatione vectigalium nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt. Quæ lex, ita diligenter ſcripta eſt, ut eum ſcripſiſſe appareat, qui alia vectigalia non haberet: ita acutè, ut Siculum: ita ſeverè, ut tyrannum. Qua lege Siculis tamen arare expediret: nam ita diligenter conſtituta ſunt jura decumani, ut tamen ab invito aratore decuma non poſſit

[31] 3. Off. auferri. *Repetendum eſt decus priſci* [31] ſenatus noſtri, qui nunquam utilitatem à dignitate ſejunxit: *nec deſiit commodis reip. & vectigalibus pop. R. proſpicere. Neutiquam penes cenſores, quantumvis eorum ſit vectigalia locare, poteſtas eſt quidpiam de locatione remittere, aut cognoſcere de ea inducenda. Omnis enim de vectigalibus notio ad ſenatum pertinet.* [32] Aſiani, cùm de cenſoribus conduxiſſent, queſti ſunt in ſenatu, ſe cupiditate prolapſos, nimiùm magno conduxiſſe: &, ut induceretur locatio poſtulaverunt, *uti infra ex actis apparebit. Quintus frater prætor in Aſia cùm quereretur* [33] de portorio circumvectionis, an à publicanis exigi deberet, de conſilii ſententia rem ad ſenatum rejecit. [34] Illa cauſa publicanorum, quantam acerbitatem attulerit ſociis, intelleximus ex civibus: qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur. Quare, non ignoro, quid ſociis accidat in ultimis terris, cùm audierim in Italia querelas civium. Attamen nomen publicani, neque ii debent horrere,

[32] Ep. 16. l. 1. Att.

v. cap. 46.

[33] ep. 16. l. 2. Att. An. DCXCIV.

[34] ep. 1. l. 1. ad Q. fr.

rere, qui ſemper vectigales fuerunt: neque ii aſpernari, qui per ſe pendere vectigal non potuerunt: néque ii recuſare, qui poſtulaverunt. Ac primùm Græcis id, quod acerbiſſimum eſt, quòd ſint vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quòd ſine imperio populi Ro. ſuis inſtitutis per ſe ipſi ita fuerunt. Nomen autem publicani aſpernari non poſſunt, qui pendere ipſi vectigal ſine publicano non potuerunt, quod iis æqualiter Sylla deſcripſerat. Non eſſe autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm noſtros publicanos, hinc intelligi poteſt, quòd Caunii nuper omnes ex inſulis, quæ erant ab Sylla Rhodiis attributæ, confugerunt ad ſenatum, nobis ut potius vectigal, quàm Rhodiis penderent. Illud Aſia cogitet, nullam à ſe, neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneretur. Id autem imperium, cùm retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum, pacem ſibi ſempiternam redimat, atque otium. [35] Claſſis nomine pecuniam civitatibus imperare licere, me conſule ſenatus decrevit, cùm quidem nihil à ſuperioribus continuorum annorum decretis diſceſſerit. *Senatus in ærarii tenuitate de locis publicis vendendis ſtatuere ſolet.* [36] Exhauſtum erat ærarium, & de pluribus locis vendendis ſenatus-conſulta facta ſunt M. Tullio, Cn. Cornelio coſs. In his erant loca publica urbis, erant ſacella, quæ majores in urbe, partim periculi perfugia, partim urbis ornamenta eſſe voluerunt: permulta alia, quæ ſenatus propter anguſtias ærarii vendenda cenſuit, conſules propter invidiam non vendiderunt. *Quæſtorum urbanorum eſt commonere ſenatum de iis, quæ ad ærarium pertinent.* [37] Cùm Saturninus trib. pl. legem frumentariam de ſemiſſibus & trientibus laturus eſſet, Q. Cæpio, qui per id temporis quæſtor urbanus erat, docuit ſena-

[35] pro Flac. An. DCXC.

[36] 2. Agr. An. DCLXXII.

[37] 1. ad Heren.

ſenatum ærarium non poſſe pati largitionem tantam. Senatus decrevit, ſi eam legem ad populum ferat, adver-
[38] pro Flac. ſus remp. videri eum facere. [38] Exportari aurum non oportere, cùm ſæpè anteà ſenatus, tum me conſule gra-
An. DCXC. viſſimè judicavit. *Alia ſunt innumera, quibus ſenatus pro-*
[39] Polyb. lib. 6. *ſpicit.* [39] *Flagitia per Italiam commiſſa, quæ publicam animadverſionem requirunt, veluti proditionis, conjurationis, veneficii, cædis dolo factæ, ad cognitionem ſenatus perti-*
[40] Liv. l. 26. *nent.* [40] *De iis tamen, qui cives Romani ſunt, agi per ſenatum non video poſſe. Idque apud majores noſtros in Sutrianis factum eſt, cùm defeciſſent: ut M. Antiſtius*
An. CCXXXIV. *trib. pl. prius rogationem ferret: ſcirétque plebs, uti ſenatui de Sutrianis ſententiæ dicendæ jus eſſet. Idémque de*
An. DXLIII. *Campanis, Atellanis, Calatinis, Sabatinis ſcitum eſt. Mul-*
[41] pro Rab. *tis pòſt annis,* [41] Gracchus legem tulit, ne de capite civium
An. DCXXX. Ro. injuſſu populi judicaretur. *Hinc illa mea ad ju-*
[42] 7. Ver. *dices in Verrem.* [42] Quò confugient ſocii, quem implorabunt? qua ſpe denique, ut vivere velint, tenebuntur, ſi vos eos deſeritis? ad ſenatum devenient, qui de Verre ſupplicium ſumant? non eſt uſitatum, non eſt
[43] 4. Ver. v. cap. 26. nu. 17. ſenatorium. *Poſſunt tamen apud ſenatum,* [43] de ſuis miſeriis deplorare, & conſulibus poſtulata edere: idque fece-
[44] Ib. runt *Siculi,* [44] cùm de factis iſtius publicè conquere-
[45] Ib. rentur, & graviſſima poſtulata conſulibus ederent: [45] quæ
[46] Ib. non poſtulata, ſed in ipſum crimina videbantur eſſe. [46] Le-
An. DCLXXXIII. gationes omnium civitatum in poſtulatis communibus, quæ omnia ex injuriis *Verris* nata ſunt, etiam hoc ediderunt, ut ſtatuas, ne cui, niſi cum is de provincia deceſſiſſet, pollicerentur. hujuſce novi poſtulati genus, atque principium, *Verris* prætura attulit. Cætera, quæ ſunt in iiſdem poſtulatis de injuriis ſuis, ſunt nova, ſed tamen non novo modo poſtulant: rogant & orant Siculi patres conſcriptos, ut noſtri magiſtratus poſthac decimas lege Hieronica vendant: ne

in cellam, quod imperatur, æſtiment: ne abſentis nomen recipiatur. Quæ omnia novas injurias habent, ſed poſtulationum formulas uſitatas. Hoc poſtulatum de ſtatuis ridiculum eſſe videatur ei, qui rem ſententiámque non perſpiciat. petunt enim, non, ut ne cogantur ſtatuere: quid igitur? ut ipſis ne liceat. quid eſt hoc? petis à me, quod in tua poteſtate eſt, ut id tibi facere ne liceat? pete potiùs, ne quis te invitum polliceri, aut facere cogat. Nihil ego, inquit, negabunt enim omnes ſe coëgiſſe. Si me ſalvum eſſe vis, mihi impone iſtam vim, ut omninò mihi non liceat polliceri. Ut Siculi de Verre, ſic Tyrii de Gabinio queſti ſunt: [47] Tyriis eſt ſenatus datus frequens: frequentes contra Syriaci publicani, vehementer vexatus Gabinius, [48] quod publicanos miſeros tradidiſſet in ſervitutem Judæis, & Syris. [49] exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum eſſent cum equis proſecuti. Noſter Lamia paulò ferocius: cùm Domitius dixiſſet, veſtra culpa hæc acciderunt, equites Romani: diſſolutè enim judicatis: Nos judicamus, vos laudatis, inquit. [50] Ad Senatum etiam noſtrum, me conſule, legati Apollonienſes omnia poſtulata de injuriis unius Deciani detulerunt. [51] Regum enim, populorum, nationum portus eſt, & perfugium ſenatus. *Eſt verò hujus ordinis, non de his modò, ſed de aliis etiam delatis ad ſe criminibus decernere, ut inquiratur.* [52] *Senatus quæſtionem de Bacchanalibus & ſacris nocturnis extra ordinem mandavit.* [53] Legibus diligentiſſimè ſanciendum eſt, ut mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat. *Hinc lex noſtra.* NOCTURNA MULIERUM SACRIFICIA NE SUNTO, PRÆTER OLLA, QUÆ PRO POPULO RITE FIENT. Quid autem mihi diſpliceat in nocturnis, poëtæ indicant comici. Quæ licentia, Romæ ne eſſet, noſtri caverunt. Quo in genere ſeveritatem majorum, ſenatus illa vetus auctoritas de Bacchanalibus, & conſulum exercitu adhibito quæſtio, animadverſióque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos

[47] ep. 12. l. 2. ad Q. fr.
[48] de Pro. con.
[49] d. ep. 12. An. DCXCIX.
[50] pro Flac. An. DCXC.
[51] 2. Off.
[52] Liv. lib. 39. Val. cap. 3. lib. 6. An. DLXVII.
[53] 2. de Leg.

nos duriores fortè videamur, in media Græcia Diagondas
54 4. ad Her. Thebanus lege perpetua ſuſtulit. [54] Majores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant ſimplici judicio, multorum maleficiorum convictam putabant. Cur? quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura mulieris inconſideratam. Quid? in viris idémne hoc obſervabant? minimè. Quid ita? quia viros ad unumquódque maleficium ſingulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. *Attamen in flagitiis neutri parcebant ſexui.* [55] L. Tubulus cùm prætor quæſtionem inter ſicarios exercuiſſet, ita apertè cepit pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo P. Scævola tribunus pl. ferret ad plebem, vellétne de ea re quæri. Quo plebiſcito, decreta à ſenatu eſt conſuli quæſtio Cn. Cæpioni. Profectus in exilium Tubulus ſtatim, nec reſpondere auſus. erat enim res aperta. [56] Noſtri equites penè à ſenatu ſunt disjuncti, graviter ferentes promulgatum ex S. C. fuiſſe, ut de iis, qui ob judicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur. [57] Lænati & Rupilio conſulibus, mandatum eſt à ſenatu, ut in eos, qui cum Tiberio Graccho conſenſerant, animadverteretur more majorum. C. Bloſius quæſtione nova perterritus in Aſiam profugit: ad hoſtes ſe contulit, & pœnas reip. graves juſtáſque perſolvit. *De ambitu ſæpe quæri juſſum.* [58] M. Piſo conſul dicebatur domi diviſores habere. S. C. duo facta ſunt odioſa, quæ in coſs. facta putantur, Catone & Domitio poſtulante: unum, ut apud magiſtratus inquiri liceret: alterum, cujus domi diviſores habitarent, eum adverſus remp. facere videri. [59] L. Domitio & Ap. Claudio coſs. ardebat ambitus: nunquam fuit par. [60] Conſules flagrabant invidia, quòd C. Memmius candidatus pactionem in ſenatu recitavit, quam ipſe & ſuus competitor Domitius cum conſulibus feciſſent: uti ambo H. S. quadragena conſulibus darent, ſi eſſent ipſi conſules facti. [o] Senatus decrevit,

55 2. de fin. An. DCXI.
56 ep. 16. l. 1. Att. An. DCXCII.
57 in Læl. An. DCXXI.
58 ep. 15. l. 1. Att. An. DCXCII.
59 ep. 14. l. 2. ad Q. fr. & ep. 13. l. 4. Att.
60 Ep. ult. d. l. 4. An. DCXCIX.
o ep. 16. l. 4. Att.

crevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret. Magnus timor candidatorum: ſed quidam judices Terentium tribunum pl. appellârunt, ne injuſſu populi judicarentur: res ad ſenatum. comitia delata ex S. C. dum lex de tacito judicio ferretur. venit legi dies: Terentius interceſſit: conſules, qui illud levi brachio egiſſent, rem ad ſenatum detulerunt: [61] res ardebat invidia. Tribunitii Candidati compromiſerunt H S. quingenis in ſingulos apud M. Catonem depoſitis petere ejus arbitratu, ut, qui contrà feciſſet, ab eo condemnaretur. Quæ quidem comitia, gratuita ſi fuiſſent, ut putabatur, plus unus Cato potuiſſet, quàm omnes leges, omnéſque judices. *tam ad omnia perfringenda valuit.*

[61] ep. 14. l. 2. ad Q. fr.

——— [62] *avaritiæ fœdiſſima nutrix*
Ambitio: quæ veſtibulis foribúſque potentum
Excubat: & pretiis commercia poſcit honorum.

[62] Claud. lib. 2. in Stilic.

[63] De ambitu raró illud datur, ut poſſis liberalitatem, ac benignitatem ab ambitu, atque largitione ſejungere. [64] Quoties illa eſt etiam de cæde Clodii Milonis cauſa à nobis acta in ſenatu: & tandem decretum, ut veteribus legibus extra ordinem quæreretur? *Si vis timetur, & judices præſidium deſiderant,* [65] defertur res ad ſenatum: decernitur, datur negotium, magiſtratibus. *Non prætereundum eſt, ne id quidem, ſi quis magiſtratus abutatur legibus, judiciiſve ad quæſtum, aut libidinem, ſenatus eſſe, ne id ſerpat longius, providere.* [66] Petita multa eſt apud Verrem prætorem à Q. Opimio, qui adductus eſt in judicium verbo, quòd, cùm eſſet Tribunus pleb., interceſſiſſet contra legem Corneliam: re, quod in tribunatu dixiſſet contra alicujus hominis nobilis voluntatem: quo judicio apud ipſum, tribus horis Q. Opimius ſenator populi Ro. bona, fortunas, ornamenta omnia amiſit. Cujus propter indignitatem judicii ſæpiſſimè eſt actum

[63] 2. de Or.

[64] pro Mil. An. DCCI.

[65] ep. 15. l. 1. Att.

[66] 3. Ver. DCLXXIX.

in senatu, ut genus totum multarum, atque ejusmodi judiciorum tolleretur. *Si quid est in crimine, quod religionem injicit, senatus referri jubet ad pontifices.* [67] Cùm P. Clodius Appii filius cum veste muliebri esset deprehensus domi C. Cæsaris, cùm pro populo fieret: [68] idque sacrificium cùm virgines instauràssent, & mentio à Q. Cornificio in Senatu facta esset (is fuit princeps) res ex S. C. ad pontifices relata est: idque ab iis nefas est decretum: deinde ex S. C. consules rogationem promulgârunt: uxori Cæsar nuncium remisit. [69] Cùm verò decerneretur frequenti senatu contrà pugnante Pisone, ad pedes omnium sigillatim accidente Clodio, ut consules cohortarentur ad rogationem accipiendam. homines ad XV. Curioni nullum S. C. facienti assenserunt, facilè ex altera parte CCCC. adfuerunt. senatus & de provinciis prætorum, & de legationibus, & de cæteris rebus decernebat, ut antequam rogatio lata esset, ne quid ageretur. *De custodia verò non dubitandum, quin senatus prehendi, & in carcerem duci jubere possit: quod ipsi etiam possunt magistratus,* [70] *qui habent viatorem.* [71] P. Vatienus, cùm è præfectura Reatina Romam venienti noctu duo juvenes cum equis albis dixissent, regem Persen illo die captum, senatui nunciavit: & primò quasi temerè de rep. locutus esset, in carcerem conjectus est: pòst à Paullo litteris allatis, cùm idem dies constitisset, & agro à senatu, & vacatione donatus est. [72] Fit S. C. ut Vettius, quòd confessus esset se cum telo fuisse, in vincula conjiceretur: qui eum amisisset, eum contra remp. esse facturum. ° Ille enim in senatu confessus erat, se cum telo fuisse: Cn. Pompeio, summo & clarissimo civi, suis manibus necem afferre voluisse. [73] Mea virtute, atque diligentia perditorum hominum patefacta conjuratione senatus P. Lentulum, ut se abdicaret prætura, coëgit: tum eum, & cæteros, de quibus judicavit, in custodiam dandos censuit. *Ultra quòd progressum sit, iisdem*

v. cap. 25.
[67] ep. 11. l. 1. Att.
[68] ep. 12. d. l. 1. An. DCXCI.
[69] ep. 13. d. l. 1.
v. cap. 33.
[70] Gel. cap. 12. lib. 13.
[71] 2. de Nat. An. DLXXXV.
[72] ep. 24. l. 2. Att. An. DXCIV.
° in Vat.
[73] 4. Catil. An. DCXC.

dem damnatis, & pœna affectis, [74] ex hujus ordinis conſilio, auctoritate, ſententia: [75] ſalus eſſet omnium amiſſa una nocte, niſi eſſet ſeveritas illa ſuſcepta: [76] *& de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumtum.*

[74] 2. Phil.
[75] pro. Syl.
[76] Sall in Con. Cat.

——— ——— [o]*Mortalia quiſquis*
Pectora ſerò videt, nec primo in limine ſiſtit
Conatus ſcelerum, atque animos infanda parantes,
Excitat illa die ſævo.

[o] Stat. 2. Syl.

Jam quæri poſſet, utrum ſenatui decernere, vel cos. edicere jus ſit, ut civis ex urbe exeat. [77] Habuimus S. C. in Catilina vehemens & grave, [78] *ut darent operam Conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet:* [79] quo ex S. C. confeſtim interfectum eſſe Catilinam conveniebat. Cupiebam me eſſe clementem: cupiebam in tantis reip. periculis non diſſolutum videri. [80] Non erat ſæpius in uno homine ſalus reip. periclitanda. Quare, quoniam id, quod primum eſt, quod hujus imperii, diſciplinæque majorum proprium eſt, facere non audebam, feci id, quod erat ad ſeveritatem lenius, ad communem ſalutem utilius: exire ex urbe conſul juſſi hoſtem, ut à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus: ac, ſi mihi inimico, ut prædicabat, conflare vellet invidiam, rectà pergeret in exilium. Vix tuliſſem ſermones, ſi id feciſſet: vix molem iſtius invidiæ, ſi in exilium iviſſet juſſu conſulis, ſuſtinuiſſem. *Ipſe Cato, qui tunc id, quod feci, probavit, poſteà cùm Murenam defenderem, ſeverum innuebat: dum* [81] negaret eſſe ejuſdem ſeveritatis, Catilinam exitium reip. intra mœnia molientem verbis, & penè imperio urbe expuliſſe, & tunc pro L. Murena dicere. Ego autem, has partes lenitatis & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libenter: illam verò gravitatis ſeveritatíſque perſonam non appetivi, ſed ab rep. mihi impoſitam ſuſtinui, ſicut hujus imperii

[77] 1. Catil. An DCXC.
[78] Sal. in Con. Cat.
[79] 1. Catil.
[80] Ib.
[81] pro Mur.

 dignitas

dignitas in ſummo periculo civium poſtulabat. Ita tum, cùm reſp. vim & ſeveritatem deſiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam: *uſúſque ſum verbis, ut dixit Cato, non imperio, quo Gabinius: qui* [82] L. Lamiam in concione relegavit: qui civem Ro. ſine ullo judicio ex patria conſul ejecit: edixítque, ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta. Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quàm id, quod perrarò accidit, ex urbe exire à conſulibus juberi. Atque illis erat tum reditus in ſuas civitates, ad ſuos lares familiares, & in illo communi incommodo nulla in quenquam propria ignominia cadebat. Hoc verò quid eſt? exterminabit cives Ro. edicto conſul à ſuis diis penatibus? expellet è patria? deliget quem velit? damnabit, atque ejiciet nominatim? hæc de relegatione. *Quid de exilio, libertate, & civitate? an de his ſtatuere poteſt ſenatus contra civem? minimè.* [83] Majores noſtri de civitate & libertate ea jura ſanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magiſtratuum, nec res judicata, nec denique univerſi populi Ro. poteſtas, quæ cæteris in rebus eſt maxima, labefactare poſſit. Nam primùm, [84] hoc juris à majoribus proditum eſt, ut nemo civis Ro. aut libertatem, aut civitatem amittere poſſit, niſi ipſe auctor factus ſit. [85] Quin etiam, ſi decemviri, ſacramentum in libertatem, injuſtum judicâſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere rem judicatam reſcindere, poſſe voluerunt. Civitatem verò nemo unquam ullo populi juſſu amittet invitus. Qui cives Ro. in colonias latinas proficiſcebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, noménque dederant. qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc eſt mutandi ſoli cauſa, venerant. Id autem ut eſſet faciendum, non ademtione civitatis, ſed tecti, & aquæ, &

[82] pro Sext. An. DCXCV.

[83] pro Do.

[84] Ib.

[85] Ib.

& ignis interdictione faciebant. [86] Quid? quem pater patratus dedit, aut ſuus pater populúſve vendit, quo is jure amittit civitatem? ut religione civitas ſolvatur, civis Ro. traditur: qui, cùm eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus. ſi non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram cauſam & jus civitatis. Si pater vendit eum, quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat, ex poteſtate dimittit. Jam populus cùm eum vendit, qui miles factus non eſt, non adimit ei libertatem: ſed judicat, non eſſe eum liberum, qui, ut liber ſit, adire periculum noluit. Cùm autem incenſum vendit, hoc judicat: cùm ii, qui in ſervitute juſta fuerunt, cenſu liberentur, etiam, qui, cùm liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abjudicâſſe. Quod ad exilium attinet, perſpicuè intelligi poteſt, quale ſit: exilium enim, non ſupplicium eſt, ſed perfugium portúſque ſupplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eò ſolum vertunt, hoc eſt ſedem, ac locum mutant. Itaque nulla in lege noſtra reperietur, ut apud cæteras civitates, maleficium ullum exilio eſſe multatum. ſed cùm homines vincula, neces, ignominiáſque vitant, quæ ſunt legibus conſtitutæ, confugiunt, quaſi ad aram, in exilium: qui, ſi in civitate legis vim ſubire vellent, non prius civitatem, quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur his civitas, ſed ab his relinquitur, atque deponitur. Nam cùm noſtro jure duarum civitatum nemo eſſe poſſit, tum amittitur hæc civitas denique, quum is, qui profugit, receptus eſt in exilium, hoc eſt in aliam civitatem. *Præterea* [87] leges præclariſſimæ XII. tab. duæ ſunt, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, niſi maximo comitiatu vetat, nondum cognitis ſeditioſis tribunis pl., ne cogitatis quidem. Admirandum tantum majores in poſterum providiſſe: in privatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim privilegium: quo quid

[86] pro Cæc.

[87] 3. de Leg.

est injustius? cùm legis hæc vis sit, scitum esse & jussum in omnes: ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis noluerunt. descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad suffragium auxilii, quàm fusè in tribus convocatus. Quo verius in nostra causa vir magni
[88] pro Sext. ingenii, summæque prudentiæ [88] L. Cotta, rogatus sententiam dixit id, quod dignissimum rep. fuit, nihil omnino actum esse jure de nobis eo tempore, cui nos cessimus: nihil more majorum, nihil legibus: non posse quenquam de civitate tolli, sine judicio: de capite non modò ferri, sed ne judicari quidem posse, nisi comitiis centuriatis: vim fuisse illam, flammam quassatæ reip. perturbatorúmque temporum, jure, judiciísque sublatis magna rerum commutatione impendente, declinâsse me paulùm, & spe reliquæ tranquillitatis præsentes fluctus, tempestatésque fugisse. quare, cùm absens remp. non minus magnis periculis, quàm quodam tempore præsens liberâssem, non restitui me solùm, sed
v. cap. 40. etiam ornari à senatu decere. Disputavit enim multa prudenter, ità de me illum amentissimum, & profligatissimum hostem pudoris & pudicitiæ scripsisse, quæ scripsisset iis verbis, rebus, sententiis: ut etiamsi jure esset rogatum, tamen vim habere non posset. Quare, me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere. Hunc nemo erat, quin verissimè sentire diceret. Sed post eum rogatus Cn. Pompeius, approbata, laudatáque Cottæ sententia dixit, se otii mei causa, ut omni populari concione defungerer, censere, ut ad senatus auctoritatem populi quoque Ro. beneficium erga me adjungeretur. *Sed de his satis. Mirum videri poterit, quod licet judicium de capite civis populi sit, non senatus: deditio tamen ad hunc ordinem*
[89] 3. Off. *pertineat.* [89] quod ni ita esset, nunquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset. *At intellige id fieri solitum roga-*
[90] Ib. *tione lata.* [90] Veturius & Sp. Posthumius, quum iterum con-
An. CCCCXXXIII. sules essent, quia quum malè pugnatum apud Caudium esset, legionibus

legionibus noſtris ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his: injuſſu enim populi ſenatúſque fecerant. Eodémque tempore Ti. Minucius, Q. Mælius, qui tum tribuni pl. erant, quòd eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt his, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis, ipſe, qui dedebatur Poſthumius, ſuaſor & auctor fuit. [91] In eo fœdere, quidam adoleſcens nobilis [91] 2. de Inven.
porcam ſuſtinuit juſſu imperatoris: fœdere autem ab ſenatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito, quidam in ſenatu eum quoque dixit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. gravis inde deliberatio: ſi is, qui poteſtatis nihil habuerit, juſſu imperatoris in fœdere, & in tanta religione interfuerit, dedendus eſſet hoſtibus, nécne. [92] C. Mancinus, ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate [92] 3. Off. An. DCXVII.
fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius & Sex. Atilius ex S. C. ferebant, qua excepta [93] cùm eum pater patratus ex S. C. Numantinis [93] 1. de Or.
dedidiſſet, eúmque illi non recepiſſent, poſteáque Mancinus domum reveniſſet, neque in ſenatum introire dubitâſſet, P. Rutilius M. filius tribunus pl. de ſenatu juſſit educi, quòd eum civem negaret eſſe: quia memoria ſic eſſet proditum, quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut pater patratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. [94] Defendi tamen poteſt poſtliminio rediſſe, deditum non [94] in Top.
eſſe, quoniam non ſit receptus. nam neque deditionem, neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe. [95] Ut religione [95] pro Cæc.
civitas ſolvatur, civis Ro. traditur: qui cùm eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus: ſi non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram cauſam, & jus civitatis. *Non prætereundum hìc eſt, quòd ſenatus cognoſcit de remittendis, & redimendis captivis: &, quòd pro hujuſcemodi miſſi cauſis, ad ſenatum mitti ſoleant.* [96] M. Atilius Regulus juratus miſſus eſt ad ſenatum: ut niſi redditi eſſent Pœnis captivi nobiles [96] 3. Off. An. DII.
quidam, rediret ipſe Carthaginem. Is, quum Romam ve-

nisset, in senatum venit: mandata exposuit, sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. [97] Sic decem, post Cannensem pugnam, sunt ad senatum missi, adstricti jurejurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrâssent. [98] Octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut, qui periculo mortis diffugissent, sed, qui relicti in castris fuissent à Paullo & Varrone Coss. eos senatus non censuit redimendos, cùm id parva pecunia fieri potuisset: ut esset insitum militibus nostris, aut vincere, aut emori. qua quidem re audita fractum animum Annibalis scripsit Polybius bonus auctor; quòd senatus populúsque Ro. rebus afflictis, tam excelso animo fuisset. *Atqui judicium de redimendis captivis grave videri, & senatus esse, ut cætera, quæ impensa fiunt publica, declarant, illa memoranda, quæ de Q. Fabio Max. dictatore produnt annales.* [99] *Hujus cunctatio, ut, Annibalem non mediocri sollicitum cura habebat, tandem eum militiæ magistrum delegisse Romanos cernentem, qui bellum ratione, non fortuna gereret: ita, contemta erat inter cives armatos pariter togatósque, utique, postquam absente eo, temeritate magistri equitum, læto, ut verius dixerim, quàm prospero eventu, pugnatum fuerat. Accesserant duæ res ad augendam invidiam dictatoris: una, fraude ac dolo Annibalis: quòd, cùm à perfugis ei monstratus ager dictatoris esset, omnibus circà solo æquatis, ab uno eo ferrum, ignémque, & vim omnem hostium abstineri jussit: ut, occulti alicujus pacti, ea merces videri posset: altera, ipsius facto, primò forsitan dubio, quia non expectata in eo senatus auctoritas est: ad extremum haud ambiguè in maximam laudem verso in permutandis captivis: quòd, sicut primo Punico bello factum erat, convenerat inter duces Romanos, Pœnúmque, ut quæ pars plus reciperet quàm daret, argenti pondo bina, & selibras in militem præstaret. CCXLVII. complures Romanus quàm Pœnus recepisset, argentumque pro eis*

[97] 1. Off. An. DXXXVII.

[98] 3. Off.

[99] Livius lib. 22. An. DXXXVI.

eis debitum, sæpius jactata in senatu re, quoniam non consuluisset Patres, tardius rogaretur: inviolatum ab hoste agrum misso Romam filio vendidit: fidémque publicam impendio privato exposuit. [100] *se enim patrimonii, quàm patriam fidei inopem esse maluit-eo quidem majore cum commendatione, quòd proni studii certius judicium est, supra vires niti: quàm viribus ex facili uti. Alter enim, quod potest, præstat: alter etiam plusquam potest. Cæterum, ut pro militari disciplina senatus aliquoties se severum exhibuerit, sunt alia ejus judicia, quæ hìc, ne longiores simus, placuit omittere. Ad senatum etiam mittuntur ab exteris legati.* [101] A Pyrrho legatus ad senatum est missus Cyneas: [102] ad quam causam Appium illum, & cæcum, & senem delatum esse, memoriæ proditum est. [103] Athenienses, patrum memoria, ad senatum legatos de suis maximis rebus miserunt Carneadem, Critolaum, & Diogenem. [104] Nostra, Molo legatus ad senatum de Rhodiorum præmiis venerat: [105] *& huic, opinor, consuetudini, qua Græcis actionibus aures curiæ exsurdantur, januam patefecit. cum namque ante omnes exterarum gentium in senatu sine interprete auditum constat. Porro legatis hostium ingredi urbem non conceditur.* [106] *Q. Fulvius Gillo legatus Scipionis, Carthaginiensium legatos, de pace ad senatum missos, Romam adduxit: quibus vetitis ingredi urbem hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est, &, more tradito à patribus, potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos, prætor fecit. aberant enim coss. De legationibus agi solet mense Februario.* [107] Nam Gabinia lege sancitum est, ex Calendis Feb. usque ad Cal. Martias legatis senatum quotidie dari. [108] Ita senatus haberi Februario toto non potest, nisi perfectis, aut rejectis legationibus. *L. Domitio Ap. Claudio coss.* [109] pridie idus *Feb.* cùm App. cos. senatum infrequentem coëgisset, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus sit nos dimittere. De Commageno rege, *cui gratificari cupiebat*, quòd rem totam discusseram, mirificè mihi & per se, & per Pomponium blandiebatur.

Vidit

[100] Val. cap. ult. lib. 4.
[101] 1. Tusc. An. CCCCLXXIV.
[102] 4. Phil.
[103] 2. de Or. An. DXCVIII.
[104] de Cl. Or.
[105] Val. cap. 1. lib. 2.
[106] Liv. l. 40. An. DL.
[107] ep. 12. l. 2. ad Q. fr.
[108] ep. 4 lib. 1. ta.
[109] ep. 11. l. 2. ad Q. f.

Vidit enim, hoc genere dicendi si uterer in cæteris, Februarium sterilem fore: eúmque lusi jocosè satis: neque solùm illud extorsi oppidulum, quod erat positum in Euphrate Zeugma, sed præterea togam sum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæsare consule, magno hominum risu cavillatus. Quod non vult, inquam, renovare honores eosdem, quo minus togam prætextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Burisrienum prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis? Multa dixi in ignobilem regem, qui totus est explosus. *Quid, quòd ipsi reges ad senatum veniunt, in senatu audiuntur? uti rex Eumenes, & rex Prusias: quem* [110] *Polybius, indignum majestate nominis tanti, tradit pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertúmque se populi Ro. ferre, & ideo insignia ordinis ejus gerere. Romæ quoque, cùm veniret in curiam, submisisse se, & osculo limen curiæ contigisse: & Deos servatores suos senatum appellâsse: aliámque orationem, non tam honorificam audientibus, quàm sibi deformem habuisse. Hic locus admonet, ut de nostris legationibus dicamus.* [111] Bellis confectis decem legati *imperatoribus decernuntur ad provinciam constituendam, & leges dandas victis gentibus. Eis, ut liberè statuant* [112] permitti solet more majorum. *Alii ad socios hostésve mittuntur, qui mandata senatus renuncient: & hi* postulata omnia ad senatum rejiciunt. nec enim licet aliter, *nisi* permissum sit ab ordine, ut decem legatis permitti solet, *atque* à senatu mandata acceperint. *Item proficiscentibus ad bellum dantur legati: omnes senatusconsulto. Sunt præterea* [113] legationes votivæ, [114] liberæ. Qui [115] in angustiis versatur, postulat legationem liberam, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæratur. [116] Legationes etiam sumere liberas exigendi causa, sicut multi viri boni sæpe fecerunt, rectum est. quod ego non reprehendo, socios video quæri. *Sin, quod nostro est dignum ordine, quærimus,* [117] illud apertum profectò est, nihil esse turpius, quàm quen-

[110] Liv. lib. 37. 42. & 45.
[111] 12. Phil.
[112] Ib.
v. supra nu. 10 & cap. 10.
[113] ep. ult. lib. 14. Att.
[114] 1. de Leg.
[115] ep. 1. l. 11. fa.
[116] pro Fl.
[117] 3. de Leg.

quenquam legari, niſi reip. cauſa. Omitto, quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſerint, qui legatione hæreditates, aut ſyngraphas ſuas perſequuntur. in hominibus eſt hoc fortaſsè vitium. ſed quæro, quid reapſe ſit turpius, quàm ſine procuratione ſenator, legatus ſine mandatis, ſine ullo reip. munere. Quod quidem genus legationis ego coſ. quamquam ad commodum ſenatus pertinere videatur, tamen approbant è ſenatu frequentiſſimo, niſi mihi leviſſimus tribunus plebis interceſſet ſuſtuliſſem: tamen minui tempus, & quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet diuturnitate ſublata. *Legati poterunt legibus noſtris*, [118] legationibus flagitioſè obitis, in judicium vocari. [119] & habent opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Julia: nec facilè addi poteſt ad hoc genus legationis, ut cùm velis introire, exire liceat. bella eſt autem ejus juris quinquennii licentia. *Sed multò eſt præclarius*, [120] quod ſæpè ſummis viris accidit, mandata exponere, aut in ſenatu, aut ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem à ſenatu. [121] Prô Dii immortales! ubi eſt ille mos, virtúſque majorum? C. Popilius apud majores noſtros, cùm ad Antiochum regem legatus miſſus eſſet, & verbis ſenatus denunciâſſet, ut ab Alexandria diſcederet, quam obſidebat: cùm tempus ille differret, virgula ſtantem circumſcripſit: dixítque ſe renunciatum ſenatui, niſi prius ſibi reſpondiſſet, quid facturus eſſet, quàm ex illa circumſcriptione excederet. præclarè. ſenatus enim faciem ſecum attulerat, auctoritatem populi Ro. cui, qui non paret, non ab eo mandata accipienda ſunt, ſed ipſe eſt totus repudiandus. *Eſt etiam hujus ordinis, fidem publicam dare: hanc, ſi Marius tum ſimulârat, cùm fidem Saturnino dedit, parum* [122] de ſe, & gloria ſua cogitavit. [123] quæ fides quî potuit ſine S. C. dari? adeóne hoſpes hujus urbis, adeóne ignarus erat diſciplinæ, conſuetudiníſque noſtræ, ut hæc neſciret, ut peregrinari in aliena civitate, non in ſua magiſtratum gerere, videretur?

An. DCXC.

[118] pro Fon.

[119] ep. 11. l. 15. Att.

[120] 2. de Or.

[121] 8. Phil. An. DLXXXV.

[122] pro Rab. An. DCLIII.

[123] Ib.

tur? *Cujus rei, quæ consuetudo sit, mihi debet esse nota.*
[124] 3. Catil. [124] Etenim in reip. periculis *consul* senatum frequentem celeriter coëgi: introduxi Vulturcium sine Gallis: fidem ei
v. nu. 6. & 7. publicam jussu senatus dedi; hortatus sum, ut ea, quæ sciret, sine timore indicaret. *Senatus, etsi de bello & pace non statuat sine populi jussu, solet tamen, cùm de his refertur, decernere, ut rogatio ad populum feratur, & ea lata, facere de eo* S. C. *quod refertur populo placere: atque de omnibus exinde statuere, quæ ad rem conficiendam pertinent. Potest verò tumultum sine*
[125] 6. Phil. *populo decernere. Ego Antonium, cùm* [125] imperatorem populi Ro. oppugnaret, coloniam fidissimam fortissimámque obsideret, bello censui persequendum: tumultum esse decerni, justitium edici, saga sumi, dixi placere: quo omnes acrius graviúsque incumberent ad ulciscendas reip. injurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta à senatu viderent. *Hìc*
[126] 8. Phil. *autem convenit meminisse, quòd hujus ordinis* [126] honore usi, togati solent esse, cùm est in sagis civitas. *Præterea senatus de captis urbibus, utrum delendæ, an relinquendæ*
[127] 4. ad Her. An. DCVII. *videantur, deliberat, & decernit. Excisa est consilio senatus Ro.* [127] dolis malitiosa Carthago, viribus robusta Numantia,
[128] 2. Agr. An. DXLII. [128] Corinthus posita in angustiis, atque in faucibus Græciæ. De Capua multùm est consultum. Exstant litteræ publicæ, sunt S. C. complura. statuerunt homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent, imaginem reip. nullam reliquissent, nihil fore, quod Capuam timeremus. Itaque hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis: ut esset urbs, quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset: ut esset locus comportandis, condendísque fructibus: ut aratores cultu agrorum defessi, urbis domiciliis uterentur: idcirco illa ædificia non esse deleta. Corintho & Carthageni, etiamsi senatum & magistratum sustulissent, agrúmque civibus ademissent, non defore, qui illa restituerent: atque qui antè omnia commutarent,

quàm

quàm nos audire possemus. hìc verò in oculis senatus, populíque Ro. nihil posse existere, quod non antè exstingui, atque opprimi posset, quàm planè exortum, ac natum esset. *Senatus etiam statuit de victis regibus, quid fieri conveniat.* [129] In senatu, & in consilio de Syphace, cùm diu deliberatum esset, [130] *patres eum in custodiam Albam mittendum censuerunt. Posteà Tiburi mortuum, quo ab Alba traductus erat, senatus publico funere censuit efferendum:* [131] *ut vitæ dono honorem sepulturæ adjiceret. Consimilíque clementia in Persæ usus est. Nam, quum Albæ, in qua custodiæ causa relegatus erat, decessisset, quæstorem misit, qui eum publico funere efferret: ne regias reliquias jacere inhonoratas permitteret.* [132] *Rex Illyriorum Gentius cum liberis, & conjuge, & fratre ex S. C. Spoletium ductus, recusantibus custodiam Spoletinis Iguturnium traductus est. Si quæ est controversia inter socios aut populos provinciarum populi Ro. senatus, ut dirimatur, suam interponit auctoritatem.* [133] Halesini pro multis, & magnis suis, majorúmque suorum in remp. nostram meritis, atque beneficiis, suo jure nuper L. Licinio Q. Mucio coss. cùm haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt. decrevit senatus honorifico S. C. ut his C. Clodius Appii filius Pulcher prætor de senatu cooptando leges conscriberet. C. Clodius adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit de ætate hominum, ne quis minor triginta annis natu: de quæstu, quem qui fecisset ne legeretur: de censu, de cæteris rebus. quæ omnia ante Verrem prætorem, & nostrorum magistratuum auctoritate, & Halesinorum summa voluntate valuerunt. ab isto, & præco, qui voluit, istum ordinem pretio mercatus est: & pueri annorum senûm, septenûmque denûm senatorium nomen nundinati sunt: & quod Halesini socii atque amici Romæ impetrârunt, ut apud se, ne suffragiis quidem fieri

liceret,

[129] 2. de Inv. An. DLII.

[130] Liv. lib. 30.

[131] Val. cap. 1. lib. 5. An. DLXXXVI.

[132] Liv. lib. 45. An. DLXXXVI.

[133] 4. Ver. An. DCLVIII.

[134] 1. Off. liceret, id pretio, ut fieri poſſet, effecit. [134] Ne noſter quidem probandus eſt: ſi verum eſt Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datum, quum ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum: ut, ne cupidè quid agerent, néve appeterent, atque ut regredi, quàm progredi mallent. id quum utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines, ſicut ipſi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo Ro. adjudicavit. decipere hoc quidem eſt, non judicare. quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia. *Hæreditas relicta populo Ro. ſenatus auctoritate adiri ſolet. Attalus hæredem pop. Ro. reliquit. Item* An. DCXX. *Syrenarum Rex. Poſteà majores hæreditates crevimus:* [135] 2. Agr. An. DCLXXVIII. [135] regnum Bithyniæ, Ægypti. Quis hoc ignorat dici regnum Ægypti teſtamento regis Alexandri populi Ro. eſſe factum? Hìc ego, non modò nihil judico, ſed ne quid ſentiam quidem profero. Magna enim mihi res, non modò ad ſtatuendum, ſed etiam ad dicendum videtur eſſe. Video qui teſtamentum factum eſſe confirmet, auctoritatem ſenatus exſtare hæreditatis additæ ſentio, tum, quando Alexandro mortuo legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam noſtram recuperarent. hæc L. Philippum ſæpè in ſenatu confirmâſſe memoria teneo. Dicitur contrà, nullum eſſe teſtamentum: non oportere populum Rom. omnium regnorum appetentem videri: demigraturos in illa loca noſtros homines propter agrorum bonitatem, & omnium rerum copiam. [136] 6. Ver. An. DXXXVI. [136] Reges Syriæ regis Antiochi filii Romam venerunt, non propter Syriæ regnum: nam id ſine controverſia obtinebant, ut à patre & à majoribus acceperant: ſed regnum Ægypti ad ſe, & ad Selenem matrem ſuam pertinere arbitrabantur. *Non ſilendum etiam, ſenatus eſſe, munera à* [137] Livius lib. 22. *populis regibúſque miſſa, accipienda, aut repudianda cenſere.* [137] *Poſt cladem ad Thraſymenum acceptam Neopolitani legati*

Romam

Romam venerunt. ab iis quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ: atque ita verba facta, ut dicerent, scire se Romani populi ærarium bello exhauriri: & cùm juxtà pro urbibus agrísque sociorum, ac pro capite atque arce Italiæ urbe Ro. atque imperio geratur, æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi, cùm ad ipsorum ornatum, tum ad subsidium fortunæ à majoribus relictum foret, eo juvare populum Ro. si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos. gratum sibi patres Romanos populúmque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent: dignósque judicaverint, à quibus donum animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quàm re majus ampliúsque acciperent. Legatis gratiæ actæ pro munificentia, curáque: patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta. Legati etiam à Pesto pateras aureas Romam attulerunt, iis, sicut Neapolitanis, gratiæ actæ, aurum non acceptum. [138] *Hiero Syracusanorum rex audita illa clade CCC. millia modiorum tritici CC. hordei, mille sagittariorum, funditorum aptam manum, & ominis causa auream Victoriam pondo CCCXXX. urbi nostræ pro munere misit. Nam non ignarus verecundiæ majorum nostrorum, ne nollent accipere aurum, in habitu id Victoriæ formavit: ut eos religione motos munificentia sua uti cogeret: voluntate mittendi prius, iterum providentia cavendi, ne remitteretur, liberalis. Ab senatu ita responsum regi est: Virum bonum, egregiúmque socium Hieronem esse, atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi Ro. venerit, fidem coluisse, ac rem Romanam omni tempore ac loco munificè adjuvisse: id perinde, ac deberet, pergratum populo Ro. esse: aurum, & à civitatibus quibusdam allatum, gratia rei acta, non accepisse: populum Ro. Victoriam, ominénque accipere: sedémque ei se Divæ dare, dicare Capitolium, templum Jovis Opt. Max. in ea arce urbis Romæ sacratam, volentem, propitiamque, firmam, ac stabilem fore populo Ro. funditores, sagittariique, & frumentum traditum consulibus. P. Scipione Nasica & M. Acilio Glabrione coss.*

An. DXXXVI.

[138] Valer. cap. ult. lib. 4. & Livius d. lib. 22.

A Pto-

[139] Liv. Lib. 36.
An. DLXII.
v. cap. 42. nu. 14.
[140] 3. Ver.
[141] 2. Phil.
An. DCCIV.
[142] 12. Phil.
An. DCCIX. & DCCX.
[143] 11. Phil.
[144] ep. 10. l. 12. fa.
An. DCCX.
[145] 7. Phil. ap.
[146] 5. Phil.
[147] ep. 19. l. 9. Att.
[148] Liv. l. 3.
[149] 1. Catil.
An. DCXXII.

[139] *A Ptolemæo Ægypti rege mille pondo auri; XX. millia pondo argenti allata: nihil est acceptum, gratiæ actæ. A. Masinissa etiam & Carthaginiensibus legati venere pollicentes frumentum: id, ut ab se munus Romani acciperent, petere se. Carthaginienses etiam se classem sumtu suo comparaturos: stipendium, quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos. De frumento utrisque responsum, ita usurum eo pop. Ro. si pretium acciperent. de classe Carthaginiensibus remissum, præterquam, si quid navium ex fœdere deberent: de pecunia ita responsum, nullam ante diem accepturos. Porro in senatus potestate est, hostes eos judicare, qui à rep. deficiunt, aut remp. in hostilem modum vexant.* [140] L. Magium & L. Fannium, qui Myndi habitabant, senatus in hostium numero habendos censuit. [141] In M. Antonium Tribunum pl. decrevit senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostes togatos est decerni solitum more majorum. *Eundem in Consulatu, & post Consulatum,* [142] multis gravibus judiciis, ignominiísque senatus concidit. [143] Dolabella, quique ejus crudelissimi & teterrimi facinoris ministri, socii, adjutores fuerunt, hostes populi Ro. à senatu judicati sunt, eúmque bello persequendum censuit. [144] Lepidus pridie Cal. Quinctiles sententiis omnibus hostis à senatu judicatus est, cæteríque qui unà cum illo à rep. defecerunt. quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Cal. Septembres potestas facta est. *Sin adducitur res* [145] in maximum periculum, & in extremum pene discrimen, senatus [146] justitium edici, saga sumi, [147] dictatorem dici jubet, vel magistratibus universam remp. commendat, ne quid resp. detrimenti accipiat. [148] *quæ forma senatusconsulti ultimæ semper necessitatis est habita. In seditione Gracchi* [149] decretum est, ut L. Opimius cos. videret, ne quid detrimenti resp. caperet. [150] *In motu Saturnini* factum est S. C. ut C. Marius L. alerius coss. adhiberent omnes tribunos pl. præter Saturninum, omnes prætores præter Glauciam, qui

remp.

remp. salvam esse vellent, arma capere, & se sequi jubent. [151] Cæsar, cùm minaces ad senatum, & acerbas litteras misisset, & exercitum & provinciam invito senatu teneret: senatus consulibus, prætoribus, tribunis pl. & nobis, qui procos. fuimus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid detrimenti resp. caperet. Nunquam majore in periculo civitas fuit: nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem. [152] Cùm bello decertandum esset confestim cum Antonio, ne multa nobis quotidie decernenda forent, consulibus totam remp. commendandam censui: iísque permittendum, ut remp. defenderent, provideréntque, ne quid resp. detrimenti acciperet: censuíque ut iis, qui in exercitu Antonii erant, ne esset ea res fraudi, si ante Cal. Febr. ab eo decessissent.

[151] ep. 11. l. 16. fa.

An. DCCIV.

[152] 5. Phil.

De Honoribus, *atque præmiis, à senatu decerni solitis.*

CAP. XXV.

De senatus cognitione satis, supérque dictum est: nunc videamus, qui benè merentibus decernantur à senatu honores, & præmia. In iis, quæ rebus in bello gestis tribui solent, hæc præcipua sunt: ovatio, supplicatio, & confecto bello corona illa laurea, gloriáque triumphi. quibus [1] de rebus gravissimos homines, & rogare solere, & rogari scio. *Hujus etiam generis sunt, quæ à senatu dari solent vacationes, pecuniæ, agri militibus, clarissimis hominibus imperia: súntque honores alii, qui tam pro urbanis, quàm bellicis decernuntur meritis: nempe gratiarum, laudum, titulorum, monumentorum. Me consule S. C factum est, quo* [2] primùm mihi gratiæ verbis amplissimis aguntur, quòd virtute, consilio, providentia mea Resp. maximis sit periculis liberata. Deinde L. Flaccus & C. Pomtinus præt. quòd opera eorum forti, fidelique usus essem, meritò ac jure laudantur: atque etiam viro forti collegæ meo C. Antonio laus impertitur: quòd eos, qui hujus conjurationis participes fuissent,

[1] ep. 14. l. 15 fa.

[2] 3. Catil. & 4. Catil.

v. cap. 25. nu. 35. ſent, à ſuis & Reip. conſiliis removiſſet: atque etiam ſupplicatio decreta eſt. *Pòſt in meo caſu, exilio, & reditu, multa pro me ſingularia.* [3] Noſtra memoria ſenatores, ne in ſuis quidem periculis veſtem mutare ſolebant, in meo periculo ſenatus veſte mutata fuit. [4] De me uno patres conſcripti decreverunt, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quæſtores, legatíque eſſent, ſalutem & vitam meam cuſtodirent. In una mea cauſa poſt Romam conditam factum eſt, ut litteris conſularibus ex S. C. cuncta ex Italia omnes qui remp. ſalvam vellent, convocarentur: quod nunquam ſenatus in univerſæ reip. periculo decrevit, id in unius mea ſalute conſervanda decernendum putavit. [5] Quid ego illa de me divina S. C. commemorem? vel, quod in templo Jovis Opt. Max. factum eſt, cùm vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras, atque regiones tribus triumphis adjunctas huic imperio notavit, de ſcripto ſententia dicta, mihi uni teſtimonium patriæ conſervatæ dedit. cujus ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſecutus eſt, ut unus diſſentiret hoſtis, idque ipſum tabulis publicis mandaretur ad memoriam poſteri temporis ſempiternam: vel quod eſt poſtridie decretum in curia, populi ipſius Romani, & eorum, qui ex municipiis convenerant admonitu: ne quis moram ullam afferret: ſi quis aliter feciſſet, eum planè everſorem reip. fore, idque ſenatum graviſſimè laturum: &, ut ſtatim de ejus facto referretur? Qua gravitate ſua cùm frequens ſenatus nonnullorum ſcelus, audaciámque tardâſſet, tum illud addidit, ſi diebus quinque, quibus agi de me potuiſſet, non eſſet actum, redirem in patriam, dignitate omni recuperata: Decrevit eodem tempore ſenatus, ut iis, qui ex tota Italia ſalutis meæ cauſa convenerant, agerentur gratiæ: atque, ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur. *Quid plura?* [6] unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cùm in patriam redii, cùm ſenatum egreſſum vidi, populúmque univerſum. [7] Secuta eſt ſumma

[3] poſt Red. in ſen. pro Sext. in Piſ.
[4] Ib.
v. cap. 9. nu. 1.
[5] pro Sext. An. DCXCVI.
[6] In Piſ.
[7] ep. 2. l. 2. Att.

ma contentio de domo. Hanc [8] frequentiſſimus ſenatus ſtatuit judicio pontificum religione liberatam videri: tum [9] negotium magiſtratibus datum, ut curarent, ut ſine vi mihi ædificare *ex ærario* liceret, quibus in maximis periculis univerſa reſp. commendari ſolet, deinde cùm ille ſaxis, & ignibus, & ferro vaſtitatem meis ædibus intuliſſet, decrevit ſenatus eos, qui id feciſſent de vi, quæ eſt in eos, qui univerſam remp. oppugnâſſent teneri. *Hujuſmodi ſenatuſconſultis damnari ſolent ea, quæ iniquitatem habent, aut vi ſunt perpetrata.* [10] A. D. VII. idus ad Apollinis Sc. factum eſt, quæ in turba facta eſſent A. D. VII. contra Remp. eſſe facta. [11] Similiter incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem Clodii contra remp. ſenatus factum eſſe decrevit. *hæc de iis, quæ læſere. De iis autem, quæ nocitura ſunt diligenter cavet, & ſancit, cùm ne fiant, tum ut ſuam* [12] dignitatem, auctoritatémque ſanciat. *Cujus generis ſunt iſta:* ne quis ulla ratione rem impediret, qui id impedîſſet, graviter moleſtéque laturum: illum contra remp. ſalutémque bonorum, concordiámque civium facturum. [13] Si quis poſthac ad Antonium profectus fuerit: præter L. Varum, ſenatum exiſtimaturum eum contra remp. feciſſe. [14] Ad IV. Idus S. C. factum eſt, ut ſodalitates, decuriatique diſcederent, lexque de iis ferretur, ut, qui non diſceſſiſſent, ea pœna, quæ eſt de vi, tenerentur. *Sed, ut revertamur ad interrupta de honoribus, & præmiis.* Etſi [15] illa divina virtus, non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam deſiderat. [16] tamen ornant, & excitant habiti honores, decreta virtuti præmia, res geſtæ judiciis hominum comprobatæ: in quibus etiam felicitatem ipſam, deorum immortalium judiciis tribui, ut in ſupplicationibus fit, laudationis eſt. *Plerìque hujus generis à ſenatu decreta ſunt bello cœpto contra Antonium.* [17] Duces laudati, qui contra illum, bellum privato conſilio ſuſcepiſſent. [18] Laudata eſt

[8] infra cap. 25. nu. 10.
[9] de Har. Reſt.
[10] ep. 3. l. 2. ad Q. fr.
[11] pro Mil. An. DCCXVII.
[12] poſt Red. in Sen.
[13] 8. Phil.
[14] ep. 3. l. 2. ad Q. fr.
[15] 6. de Rep.
[16] 2. de Or.
[17] 5. Phil. An. DCCIX.
[18] 4. Phil.

 etiam

etiam provincia Galliæ, meritóque ornata verbis ampliſſimis
[19] ep. 12. l. 12. fa. à ſenatu, quòd reſiſteret Antonio. Denique [19] effectum,
ne quem pœniteret remp. quàm ſpem prædæ, & rapina-
[20] 14. Phil. rum ſequi maluiſſe. [20] eſt autem fidei pietatíſque noſtræ,
declarare fortiſſimis viris, quàm memores ſimus, quàmque
[21] 11. Phil. & 5. Phil. grati. [21] C. Cæſari adoleſcentulo imperium *eodem in tu-
multu* extraordinarium decrevimus: quòd difficillimo reip.
tempore ſaluti dignitatíque populi Ro. ſubveniſſet: ob
eámque cauſam, ſenatui *etiam* placuit, *ipſum* ſenatorem,
ſententiámque loco prætorio dicere: ejúſque rationem,
quemcunque magiſtratum peteret, ita haberi, prout haberi
lege liceret, ſi anno ſuperiore quæſtor fuiſſet. *Hujus ego
princeps ſententiæ in ſenatu fui, atque etiam illius de ho-*
[22] 5. Phil. *nore* [22] M. Lepidi, *antequam à rep. defecerat:* ut ei ſtatua
equeſtris inaurata in Roſtris, aut quo alio loco in foro vel-
let, ſtatueretur. nec verò cuiquam poſſumus commemorare
hunc honorem à ſenatu tributum, judicio ſenatus ſoluto,
& libero. *Idem ego de honore Sulpicii princeps fui ſenten-*
[23] 9. Phil. *tiæ: qua,* [23] cùm talis vir in legatione mortem obierit, dixi
ſenatui placere, Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in
Roſtris, ex hujus ordinis ſententia ſtatui: cúmque antea
ſenatus auctoritatem ſuam in virorum fortium funeribus,
ornamentíſque oſtenderit, placere eum, quàm ampliſſimè
ſupremo ſuo die efferri: & cùm ita de rep. meritus ſit, ut
his ornamentis decorari debeat ſenatum cenſere, atque è
rep. exiſtimare, ædiles curules edictum, quod de funeribus
habeant, Ser. Sulpicii funeri remittere. *Ex quibus obiter
obſervandum monneo, ſenatus in legibus, & edictis remittendis*
[24] pro Man. *poteſtatem.* [24] Cn. Pompeius ex S. C. legibus ſolutis con-
An. DCLXXXIII. ſul antè eſt factus, quàm ullum alium magiſtratum per leges
[25] 3. de Leg. capere licuiſſet. [25] Majores tamen noſtri privilegium ferri
noluerunt de ſingulis, niſi centuriatis comitiis: *neque aliter*
[26] 1. Corn. v. Dio. lib. 36. & Aſc. *ulla in re* [26] alicui gratificabantur, aut homini, aut ordini.
Quæ conſuetudo intermiſſa plures annos, ut lege reſtitueretur,

Cornelius

Cornelius elaboravit. At conſules de corrigenda lege retulerunt. Ille ad rem moderandam tulit, ne quis in ſenatu legibus ſolveretur, niſi CC. adfuiſſent: ne quis, cùm ſolutus eſſet, intercederet, cùm hac de re ad populum ferretur. [27] Antonius in Capitolio præclara S. C. fecit, ne qua poſt idus Martias immunitatis tabula, néve cujus beneficii figeretur. Num me fefellit? aut num diutius ſui potuit eſſe diſſimilis? inſpectantibus nobis toto Capitolio tabulæ figebantur: neque, ſolùm ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis univerſis: civitas jam non ſingulatim, ſed provinciis totis dabatur. [28] Quatuor omnino genera ſunt, in quibus per ſenatum, more majorum ſtatuatur aliquid de legibus: unum eſt ejuſmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio Marco Junio coſs. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. Alterum, quæ lex lata eſſe dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Martio. Sex. Julio coſs. de legibus Liviis: tertium eſt de legum derogationibus, quo de genere perſæpè S. C. fiunt, ut nuper de ipſa lege Calphurnia, cui derogaretur. *De remittendis jam monui: quo etiam pertinent datæ indicibus impunitates ſcelerum, & decreta ſenatuſconſultis præmia. Ego* [29] Vulturcio fidem, *ut dixi*, publicam juſſu ſenatus dedi: [30] præmia ſenatus legatis Allobrogum, Titóque Vulturcio dedit ampliſſima. *Adde ſenatus eſſe leges interpretari:* [31] S. C. me referente eſt factum, ſi mercede obviam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgò locus tributim, & item prandia ſi vulgò eſſent data, contra legem Calphurniam factum videri: *Ne plura*, [32] ejus eſt graviſſimum judicium de jure legum. Jam redeo. *Illud Sulpicii monumentum alterius renovat memoriam: quod ut fieret, placuit, uti* [33] C. Panſa, A. Hirtius coſſ. imperatores, alter, ambóve, aut ſi abeſſent, M. Cornutus præt. urbanus militibus, qui pro ſalute & libertate populi Ro. pro urbe, templíſque deorum immortalium vitam profudiſſent, monumentum

An. DCLXXXVI.

27 2. Phil.

28 1. Corn.

An. DCXLIV.

An. DCLXII.

29 ſup. cap. 23. nu. 24.

30 4. Catil.

31 pro Mur.

32 pro Domo.

33 14. Phil.

An. DCCX.

mentum quàm ampliſſimum locandum, faciendum curarent, quæſtoréſque urbanos ad eam rem pecuniam dare, attribuere, ſolvere juberent: ut eſſet ad memoriam poſteritatis ſempiternam, ad ſcelus crudeliſſimorum hoſtium, militúmque divinam virtutem: utque, quæ præmia ſenatus militibus antè conſtituit, ea ſolverentur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, conjugibus, fratribus, iíſque tribuerentur, quæ militibus ipſis tribui oporteret, ſi illi vixiſſent, qui morte vicerunt. [34] Facilè eſt

[34] Ib.

benè agere cum iis, à quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Illud admirabilius, & majus, maximéque proprium ſenatus ſapientis eſt, grata eorum virtutem memoria proſequi, qui pro patria vitam effuderunt. [35] Mos eſt

[35] in Orat.

Athenis laudare in concione eos, qui ſunt in præliis interfecti: qua de re Platonis oratio popularis ſic probata eſt, ut eam quotannis illo die recitari neceſſe ſit. *qui mos eſt utilis. Atque* [36] hæc benignitas etiam reip. utilis eſt, redimi

[36] 2. Off.

è ſervitute captos, locupletari tenuiores, quod vulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi copiosè ſcriptum videmus. *Senatus magna fuit poteſtas, magna gravitas: & hæc una in multis, non quoſlibet, ſed dignos tantis nominibus appellare reges, ſocios, amicos. Funeſto anno tribunatus Cla-dii* [37] regum appellationes venales erant. [38] Appellati reges à populo, qui id nunquam à ſenatu quidem poſtulâſſent. [39] Deiotarum, quem unum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio, atque amantiſſimum noſtri nominis regem, ſæpè à ſenatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum teſtimoniis ornatum, Clodius etiam regem appellari cum Brogitaro juſſit: ſed alter eſt rex judicio ſenatus per nos, pecunia Brogitarus per Clodium appellatus. Cùm multa regia ſunt in Deiotaro, tum illa maximè, quòd Clodio nullum nummum dedit: quòd eam partem legis Clodii, quæ congruebat cum judicio ſenatus, ut ipſe rex eſſet, non repudiavit, cæteras neglexit. *Hæc appellatio in tanta*

[37] Pro Do.
[38] pro Sext.
[39] de Har.
An. DCXCV.

tanta gratia & honore ponitur, ut ejus ergò magnæ debeantur, agantúrque gratiæ, & ſenatui, & ſenatoribus. [40] Maſiniſſa gratias per legatos egit ſenatui, quòd Scipio eum regem appellâſſet: atque petiit, ut regium nomen, cæteráque Scipionis beneficia & munera, ſenatus decreto confirmaret. [41] Antè audio S. C. in Armeniam & Syriam eſſe perlatum, quod in meam ſententiam factum eſſe dicatur, quàm omnino mentionem ullam de ea re eſſe factam. Nam mihi ſcito à regibus ultimis allatas litteras, quibus mihi gratias agant, quòd ſe mea ſententia reges appellaverim: quos ego non modò reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. [42] Omnia Deiotaro Cæſar tribuebat. cùm & ipſi, & filio nomen regium conceſſit: quod ne amitteret Cæſare victore, timuit. Hoc nomine retento atque conſervato, nullum beneficium populi Ro. nullum judicium de ſe ſenatus imminutum putavit. [43] *Paullus Æmilius conſul cùm litteras ab Perſeo victo per ignobiles tres legatos cerneret, & ipſe illacrimâſſe dicitur ſorti humanæ. Sed poſtquam regem Perſea conſuli Paullo S. legit, miſerationem omnem ſtultitia ignorantis fortunam ſuam exemit. Itaque quamquam in reliqua parte litterarum minimè regiæ preces erant, tamen ſine reſponſo, ac ſine litteris ea legatio demiſſa eſt. Senſit Perſeus, cujus nominis obliviſcendum victo eſſet. Itaque alteræ litteræ cum privati nominis titulo miſſæ, & petiere, & impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de ſtatu & conditione ſuæ fortunæ poſſet. Miſſi ſunt tres legati: nihil ea legatione perfectum eſt, Perſeo regium nomen omni vi amplectente: Paullo, ut ſe ſuáque omnia in fidem, & clementiam populi Ro. permitteret, contendente. Noſtri omnia ſubmitti volunt, faſtum oderunt, flectuntur precibus.* [44] Tigranem, Cn. Pompeius cùm in ſuis caſtris ſupplicem abjectúmque vidiſſet, erexit, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abjecerat, repoſuit: & certis rebus imperatis, regnare juſſit: nec minus & ſibi, & huic imperio

[40] Liv. lib. 30. v. ſupra. cap. 18. nu. 2.

[41] ep. 15. lib. 9. fa.

[42] Pro Deiot.

[43] Liv. lib. 45. An. DLXXXV.

[44] pro Sext. An. DCLXXXVII.

gloriosum putavit, constitutum à se regem, quàm constrictum videri. Tigranes igitur regnat & amicitiæ nomen ac societatis, quod armis violârat, id precibus est consecutus. *Quæ res jus* [45] imperatorium illustrat, quod omnibus imperatoribus conservatur, non in prædis ac manubiis solùm, sed etiam in locis, ubi bellum administratur: quorum penes imperatores omne judicium, ac potestas more majorum debet esse. *quibus etiam conceditur jura* [46] civitatis dare iis, qui magno sunt usui reip. *quæ tamen omnia à senatu populoque Ro. proficisci censentur, veluti hujuscemodi cætera.* [47] quas enim leges sociis, amicísque dat is, qui habet imperium à populo Ro. auctoritatem legum dandarum à senatu, hæ debent & pop. Ro. & senatus existimari. *Atque hæc recepta sunt more illo, quo per populum Ro.* [48] beneficiorum virtutis causa tribuendorum potestatem imperatoribus nostris deferimus. [49] Multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit annus tribunatus Clodii: tamen illi sceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud scio an rectè hoc proximum esse dicam, quod editum est in regem Ptolemæum: qui, si nondum erat ipse à senatu socius appellatus, erat tamen frater ejus regis, qui cùm esset in eadem causa, jam erat à senatu honorem istum consecutus: erat eodem genere, iisdem majoribus, eadem vetustate societatis: denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi Ro. regno paterno atque avito, regali otio perfruebatur. De hoc nihil cogitante, nihil suspicante, Clodianis operis suffragium ferentibus, est rogatum: ut sedens cum purpura & sceptro, & illis insignibus regiis præconi publico subjiceretur: & imperante populo Ro. qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus nulla injuria commemorata, nullis rebus repetitis, cum bonis omnibus publicaretur. [50] Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit: sociorum verò regum & amicorum sanctissimum: *atque etiam*

[45] cap. 16. nu. 13. & 14.

[46] v. cap. 17. nu. 3.

[47] 4. Ver.

[48] pro Bal.

[49] pro Sext.

[50] pro Deiot

etiam omnium, qui essent[51] à senatu honorem consecuti, ut socii appellarentur. *Illud verò pro singulari beneficio est habendum, quo senatus, dum essem procos. in Cilicia*[52] auctoritas intercessit, ut ego regem Ariobarzanem, eusebem & philorhomæum tuerer: ejúsque regis salutem, & incolumitatem regni defenderem, regi, regnóque præsidio essem: adjunxítque salutem ejus regis populo, senatuíque magnæ curæ esse: quod nullo unquam de rege decretum est à nostro ordine: *licet regibus, & regum liberis legatísque habiti sint à senatu honores, dataque munera. Marcello & Valerio coss.*[53] *legati ab rege Syphace Romam venerunt, quæ is prospera prælia cum Carthaginiensibus fecisset memorantes: regem nec inimiciorem ulli populo, quàm Carthaginiensi, nec amiciorem, quàm Romano, affirmabant esse. misisse eum anteà legatos in Hispaniam ad Cn. & P. Cornelios imperatores Ro. nunc ab ipso, velut fonte, petere Romanam amicitiam voluisse. Senatus, non legatis modò benignè respondit, sed & ipse legatos cum donis ad regem misit, L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium. Dona tulere, togam & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam. Protinus & alios Africæ regulos jussit adire. iis quoque quæ darentur portata, togæ prætextæ, & ternûm pondo pateræ aureæ. Et Alexandriam ad Ptolemæum Cleopatrámque reges M. Attilius & M. Acilius legati ad commemorandam renovandámque amicitiam missi, dona tulere regi togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea: reginæ pallam pictam cum amiculo purpureo.*[54] *Confecto Macedonico bello Musocanes Masinissæ filius cum equitibus, quos in præsidium Romanorum adduxerat ab imperatore Paullo, ad patrem remissus tempestate classe dispersa Brundusium æger delatus est: quod, ubi senatus cognovit, continuò illò quæstorem ire jussit: cujus cura & hospitium adolescenti expediretur: & omnia, quæ ad valetudinem opus essent præberentur: impensæque liberaliter, tum ipsi, tum toti comitatui præstarentur: naves etiam ut provi-derentur,*

[51] pro Sext.

[52] ep. 2. lib. 15. fa.

An. DCCII.

[53] Livius lib. 27.

An. DXLIII.

[54] Valer. cap. 1. lib. 5.

An. DLXXXV.

derentur, quibus se benè ac tutò cum suis in Africam trajiceret: equitibus singulas libras argenti, & quingentos sextertios dari imperavit. quæ tam promta, & tam exquisita patrum C. humanitas efficere potuit, ut etiam, si expirâsset adolescens, æquiore animo desiderium ejus pater toleraret. Idem senatus, quum ad gratulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem Perse devicto venire audisset, obviam illi P.C. Scipionem quæstorem Capuam misit: censuitque, ut ei domus Romæ quàm optima conduceretur: & copiæ non solùm ipsi, sed etiam comitibus ejus publicè mitterentur. C. Popilio Lænate & P.

[55] Livius lib. 42. An. DLXXXI. *Ælio Ligure coss.* [55] *legati Ariartis regis Cappadociæ puerum filium regis secum adducentes Romam venerant. Quorum oratio fuit, regem, educandum filium Romam misisse, ut jam inde à puero assuesceret moribus Romanis, hominibúsque petere, ut eum non sub hospitum modò privatorum custodia, sed publicæ etiam curæ, ac velut tutelæ vellent esse. Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt, ut Cn. Sicinius præt. ædes instructas locaret, ubi filius regis comitésque ejus habitare possent. Et Thracum legatis apud se disceptantibus, & societatem amicitiámque petentibus, & quod petebant datum est, & munera binûm millium æris summæ, in singulos missa. Hos utique populos, quod à tergo Macedoniæ Thracia esset, assumtos in societatem gaudebant.*

[56] Val. cap. 1. lib. 5. An. DLXXXIX. [56] *Ne Ægyptus quidem Romanæ humanitatis expers fuit. Rex enim Ptolemæus à minore fratre regno spoliatus, petendi auxilii gratia, cum paucis admodum servis, squallore obsitus, Romam venerat: ac se in hospitium Alexandrini pictoris contulerat. Id postquam senatui relatum est, accersito juvene, quàm potuit accurata excusatione usus est, quòd nec quæstorem illi more majorum obviam misisset. nec publico hospitio eum excepisset: eáque non negligentia, sed ipsius subito & clandestino adventu facta dixit: & illum è curia subitò ad publicos penates deduxit: hortatúsque est, ut depositis sordibus adeundi ipsius diem peteret: quinetiam curæ habuit, uti munera ei per quæstorem quotidie darentur. His*

gradi-

gradibus officiorum jacentem ad regium fastigium erexit: effecítque, ut plus spei in auxilio populi Ro. quàm metus in sua fortuna reponeret. [57] *Illius verò Romanæ liberalitatis cælestem spiritum nullæ litteræ satis dignis laudibus prosequuntur. Philippo enim Macedoniæ rege superato, cùm ad Isthmicum spectaculum tota Græcia convenisset, T. Q. Flaminius, tubæ signo silentio facto per præconem, hæc verba recitare jussit: S.P.Q.R. & T. Quintius Flaminius imperator, omnes Græciæ urbes, quæ sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas atque immunes esse jubet. Quibus auditis maximo & inopinato gaudio omnes percussi, primò veluti non audîsse se, quæ audierant, credentes obticuerunt: Iterata deinde pronunciatione præconis, tanta cælum clamoris alacritate compleverunt: ut certè constet aves, quæ supervolabant, attonitasque paventésque decidisse. Magni animi fuisset, à tot captivorum capitibus servitutem detraxisse: quot tunc nobilissimis atque opulentissimis urbibus P.R. libertatem largitus est. qui nihil temerè, nec in indignos conferre solet, quantumvis reges. quod ipse censui, cùm de Commageno rege ageretur. Non est omittendum, quòd licet summa, & hujusmodi sit auctoritas senatus, ut ea* [58] majores nostri uti magistratus, & quasi ministros gravissimi consilii esse voluerint: *iis tamen omnia injungit honorificè, apposita in S. C. clausula, si eis videatur. Hinc ego Bruto:* [59] Nihil honorificentius potuit facere senatus, quàm ut tuum esset judicium, quid maximè conducere reip. tibi videretur. *Laudari etiam probaríque solent honorificis S.C quæ acta gestáve sunt commodo reip. &, ut plurimùm, his verbis:* [60] rectè & ordine, exque rep. fecisse. *atque interdum istis:* [61] benè & è rep. & pro sua majorúmque suorum dignitate, consuetudinéque reip. benè gerendæ fecisse: eámque rem senatui, populóque Ro. gratam esse, & fore. [62] Sed senatus etiam sapiens, qua quémque re putat, modò honesta, ad rem juvandam posse adduci, hac utitur.

[57] Val. cap. 8. lib. 4. Liv. lib. 34. An. DLVII.

v. cap. 23. nu. 109.

[58] Sup. cap. 5. nu. 6. & cap. 6. nu. 11.

[59] ep. 4. lib. ad Br.

[60] 3. Phil. & 5. Phil.

[61] 10. Phil.

[62] ep. 14. ad Br.

QUÆ

Quæ sit auctoritas *senatus in iis, quæ religionem injiciunt, vel ad res divinas pertinent.*

CAP. XXVI.

HACTENÙS de profanis. Reliquum est, ut in sacris, quod jus senatus obtineat, persequamur. In more positum est, [1] ut in nostris dubitationibus, atque superstitionibus de religione decernat, ut ad pontificum collegium referatur: [2] quorum auctoritati, fidei, prudentiæ, majores nostri sacra, religionésque, & privatas, & publicas commendârunt. [3] Cùm Licinia Virgo Vestalis summo loco nata, sanctissimo sacerdotio prædita, T. Flaminio, Q. Metello coss. aram, & ædiculam, & pulvinar sub saxo sacro dedicâsset: eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Julius præt. retulit: tum P. Scævola pontifex Max. pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia C. F. injussu populi dedicâsset, sacrum esse non videri. Pòst autem senatus, consecratam eam aram tollendam, ex auctoritate pontificum censuit. Neque ullum est passus ex ea dedicatione litterarum exstare monumentum. *Antè quidem multo, P.* [4] *Sulpicio Averrione P. Sempronio coss. ex auctoritate senatus latum ad populum est, ne quis templum arámve injussu senatus, aut trib pleb. partis majoris dedicaret.* [5] Meam domum populus Ro. cujus est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis, omnium ætatum, ordinúmque suffragiis eodem jure esse jussit, quo fuisset. Posteà, [6] M Bibuli fortissimi viri senatus sententiam secutus [7] decrevit, ut de mearum ædium religione, ad pontificum collegium referretur. [8] Has dein pontifices causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac fortissimorum civium astante, omni religione, una mente omnes liberaverunt. [9] Cùm pontifices decrêssent, habetur senatus frequens, adhibentur omnes

[1] de Har.
[2] Ib.
[3] pro Dom. An. DCXXX.
[4] Livius lib. 9. An. CDXLIX.
[5] de Har.
[6] pro Do.
[7] de Har.
[8] Ib. An. DCXCVI.
[9] ep. 2. l. 4. Att.

omnes pontifices, qui erant senatores: à quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus meï, sententiam primus rogatus quæsivit, quid essent in decernendo secuti. Tum Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis judices pontifices fuisse, legis senatum: se & collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege staturos. suo quisque horum loco sententiam rogatus, multa secundum nostram causam disputavit. Cùm ad Clodium ventum est, cupiit diem consumere: neque ei finis est factus: sed tamen cùm horas tres ferè dixisset, odio & strepitu senatus coactus est aliquando perorare. Cùm fieret S. C. in sententiam Marcellini, omnibus præter unum assentientibus, Serranus intercessit. De intercessione statim ambo consules referre cœperunt. Cùm sententiæ gravissimæ dicerentur, senatui placere mihi domum restitui, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi: si qua vis esset facta, senatum existimaturum, ejus opera factum esse, qui S. C. intercessisset: Serranus pertimuit, & Corvinus ad suam veterem fabulam rediit: abjecta toga se ad gèneri pedes abjecit: ille noctem sibi postulavit. non concedebant. Postridie [10] frequentissimus senatus, consule designato Lentulo, sententiæ principe, P. Lentulo, & Q. Metello coss referentibus statuit, cùm omnes pontifices, qui erant hujus ordinis adessent: cúmque alii, qui honoribus populi Ro. antecedebant, multa de collegii judicio verba fecissent, omnésque iidem scribendo adessent, domum meam judicio pontificum, religione liberatam videri. *De Clodii scelere & incestu ad pontifices relato supra diximus.* *Ne plura:* ad hos veluti [11] religionis interpretes *decurritur.* [12] At, de capite virginum Vestalium, frequens collegium judicat: ita est enim interpretatio illa pontificum, ut iidem potestatem habeant judicum. *Si quod portentum accidit,* [13] senatus decem viros ad libros ire jubet. [14] Sibyllam quidem sepositam & conditam habemus, ut id, quod proditum est à majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri:

valeántque

[10] de Har.

v. cap. 23. nu. 68. 69.

[11] pro Dom.

[12] de Har.

[13] 1. de Divin.

[14] 2. de Div.

valeántque ad deponendas potius, quàm ad suscipiendas re-
[15] 1. de Div. ligiones. [15] Delata est ad senatum labes agri Privernatis,
An. DCXXXIV. cùm ad infinitam altitudinem terra descedisset, Apuliáque maximis terræ motibus conquassata esset, quibus portentis magna populo Ro. bella, perniciosæque seditiones denunciabantur: inque his responsa haruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant. *L. Martio Sex. Julio consulibus*
[16] Ib. [16] lapidum imber defluxit, icta ædes pietatis, [17] senatui nun-
An. DCLXII. [17] 2. de Div. ciatum est deorum sudâsse simulacra. Hujusmodi omnia in metu & periculo, cùm creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leves, atque inconsiderati sumus, ut si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante verò Marsicum bellum, quòd clipeos Lanuvii mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. quasi verò quicquam intersit, mures diem & noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. Nam, si ista sequimur, quòd Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de rep. debui pertimescere: aut si Epicuri de voluptate liber corrosus esset, putarem an-
[18] 1. de Div. nonam in Macello chariorem fore. *At* [18] haruspices ea responderunt, quæ evenerunt: & in Sibyllæ libris eædem re-
[19] 2. de Div. v. cap. 15. pertæ prædictiones sunt. [19] Hoc ego Philosophi non esse arbitror, testibus uti: qui, aut casu veri, aut malitia falsi, fictíque esse possunt. argumentis & rationibus oportet quare quidque ita sit docere, non eventis: iis præsertim, quibus
[20] 1. de Div. mihi liceat non credere. [20] Nec verò somnia graviora, si quæ ad remp. pertinere visa sunt, à summo consilio neglecta sunt. Memoria nostra templum Junonis Sospitæ, L.
An. DCLXIII. Julius, qui cum P. Rutulio consul fuit, de senatus sententia
[21] Ib. refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio. [21] quod quidem somnium, Sisenna cùm disputâsset mirificè ad verbum cum re convenisse, tum disputat somniis credi non oportere. *Cæterum, uti ex auctoritate senatus de religione pontifices, libri Sibyllini & haruspices de portentis: ita de cærimoniis*

bellicis

bellicis feciales consuluntur: eorúmque opera senatus utitur in rebus repetendis, in indicendis bellis, in fœderibus feriendis. sunt enim [22] *fœderum, pacis, belli, induciarum, oratores, judices, disceptatores, atque interpretes fecialis populi Ro. juris, àb Anco descripti Martio. Is enim,* [23] *ut à se bellicæ cærimoniæ proderentur, veluti à Numa religiones: nec gerentur solùm, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu, jus ab antiqua gente Æquicolis, quod nunc feciales habent, descripsit.* [24] *P. Cornelio Scipione & M. Acilio Glabrione coss. cùm populus Ro. duellum jussisset cum rege Antiocho, consul M. Acilius ex Sc. ad collegium fecialium retulit: ipsine regi Antiocho indiceretur bellum? an satis esset ad præsidium aliquod ejus nunciare? & num Ætolis quoque qui sectam ejus secuti essent, separatim indici juberent bellum? & num prius societas eis, & amicitia renuncianda esset, quàm bellum indicendum? feciales responderunt: jam antè sese, cùm de Philippo consulerentur, decrevisse, nihil referre, ipsi coràm, an ad præsidium nunciaretur: amicitiam renunciatam videri. cùm, legatis toties res repetentibus, nec reddi, nec satisfieri æquum censuissent: Ætolos ultrò sibi bellum indixisse, cùm Demetriadem sociorum urbem per vim occupâssent: Chalcidem terrâ maríque oppugnatum issent: regem Antiochum in Europam ad bellum populo Ro. inferendum traduxissent. Ipsi feciales, nihil in his sine auctoritate senatus, facere consueverunt.* [25] *Cùm in Africam ad fœdus feriendum ire juberentur, ipsis postulantibus S. C. in hæc verba factum est: ut privos lapides silices, privásque verbenas secum ferrent: uti prætor Ro. his imperaret, ut fœdus ferirent, illi prætorem sagmina poscerent. herbæ id genus ex arce sumtum dari fecialibus solet. Nihil enim ex solennibus in fœderibus omittitur.* [26] T. Veturius & *Sp. Posthumius coss. profecti ad Pontium ducem Samnitium in colloquium, cùm de fœdere victor agitaret, negârunt injussu populi fœdus feriri posse: nec sine fecialibus, cærimoniáque alia solenni. Itaque*

[22] v. cap. 12. nu. 23.

[23] Liv. l. 1.

[24] Id. lib. 36. An. DLXII.

[25] Id. lib. 30. An. DLII.

[26] Id. lib. 9. An. CDXXXIII.

que non, ut vulgò credunt, Claudiúſque etiam ſcribit, fœdere pax Caudiana, ſed per ſponſionem facta eſt. Quid enim aut ſponſoribus in fœdere opus eſſet, aut obſidibus, ubi precatione res tranſigitur: per quem populum fiat, quo minus legibus dictis ſtetur, ut eum ita Jupiter feriat, quemad-
[27] de Har. *modum à fecialibus porcus feriatur?* *Intereà, etſi* [27] majores noſtri ſtatas ſolennéſque cærimonias pontificatu, rerum benè gerendarum auctoritates augurio, fatorum veteres prædictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Hetruſcorum diſciplina contineri putaverunt: *tamen pleraque, ad res divinas pertinentia, in ſenatus poteſtate voluerunt eſſe: ut de iis, cùm videretur commodum, decerneret.*
[28] Ib. *Quo de genere ſunt decreta de precationibus.* [28] (faciles enim ſunt preces apud eos, qui ultrò nobis viam ſalutis oſtendunt) *de cædendis hoſtiis, de prodigiis procurandis, ludis & donis vovendis, de votis ſolvendis, & liberanda religione rep. defer-*
[29] 14. Phil. *tis, de agendis gratiis, & habendis ſupplicationibus.* [29] Supplicatio ob remp. pulcherrimè geſtam poſtulantibus imperatoribus noſtris deneganda non eſt: id enim præter Gabinium
[30] dePro.conſ. An. DCXLI. ([30] T. Albutium excipio) [31] contigit nemini. [32] Dii im-
[31] d. 14. Phil. mortales! idne ego optarem, ut inimicus meus, ea, qua
[32] in Piſ. An. DCXCVII. nemo unquam, ignominia notaretur? ut ſenatus is, qui in eam benignitatis conſuetudinem venit, ut eos, qui benè remp. geſſerint, novis honoribus afficiat, & numero dierum & genere verborum, hujus unius litteris nunciantibus non crede-
[33] ep. 4. l. 15. fa. ret, poſtulantibus denegaret. *Sed quid?* [33] animadvertiſſe illud me videor, *aliquos, & in his gravem ipſum Catonem,* quem attentè audire ſoleo, non tam res geſtas, quàm mores, inſtituta, atque vitam imperatorum ſpectare ſolere in habendis, aut non habendis honoribus. Quæ ſi etiam majora ſunt, & in omnibus ſeculis pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quàm, qui hoſtium copias vincerent: eſt profectò ſenatus, cùm ad res bellicas, hæc, quæ rariora & difficiliora ſunt, genera virtutis adjunxerit, ipſas etiam il-

las

las res gestas, justiores esse, & majores putare. [34] C. Cæsarem senatus, & genere supplicationum amplissimo ornavit, & numero dierum novo. [35] Supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est, quòd mihi primùm post hanc urbem conditam togato contigit: & his decreta verbis est, quòd urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberâssem. quæ supplicatio, si cum cæteris supplicationibus conferatur, hoc intersit, quòd cæteræ benè gesta, hæc una conservata rep. constituta est: cæteræ bellis, [36] hæc nullis armis sumtis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo & inaudito genere decreta est [37] ad omnia pulvinaria. Nam multi sæpe honores justi diis immortalibus habiti sunt, ac debiti, sed profectò justiores nunquam, erepti enim ex crudelissimo, ac miserrimo interitu: & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, togati me uno togato duce, & imperatore vicerunt. *Hæc enim appellatio iis debetur, quibus supplicatio decernitur. Itaque cum* [38] ex litteris C. Pansæ A. Hirtii consulum C. Cæsaris proprææt. de honore diis immortalibus habendo sententias diceremus, hoc primùm feci, ut imperatores appellarem eos, quorum virtute, consilio, felicitate maximis periculis servitutis atque interitus liberati sumus. Etenim, cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? Quamobrem mea sententia, aut supplicatio ab eo, qui antè dixit, decernenda non fuit, aut usitatus honos pervulgatúsque tribuendus iis, quibus etiam novi singularésque honores debentur: Atque etiam supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decerneretur, judicare necesse fuit: quòd senatus supplicationem cùm decernit, hostes judicat. Nunquam enim in civili bello supplicatio decreta est: decreta dico? ne victoris quidem litteris postulata, *nisi hoc bello quinto civili gesto contra Antonium. Illud etiam observo, senatus esse providere,*

[34] pro Bal. An. DCXCVII.
[35] 3. Catil.
[36] 14. Phil.
[37] 3. Catil.
[38] 14. Phil. An. DCCX.

[89] pro Bal. *ut qui ſacris præficiuntur, ſint Romani cives.* [39] Sacra Cereris ſumma majores noſtri religione confici, cærimoniáque voluerunt. Quæ cùm eſſent aſſumta de Græcia, & per Græcas ſemper curata ſunt ſacerdotes, & Græca omnia nominata. Sed cùm illam, quæ Græcum illud ſacrum monſtraret & faceret, ex Græcia deligerent, tamen ſacra pro civibus civem facere voluerunt, ut deos immortales ſcientia peregrina & externa, mente domeſtica & civili precarentur. Has ſacerdotes video ferè aut Neapolitanas, aut Velienſes fuiſſe fœderatarum civitatum. Mitto vetera: proxima dico, ante civitatem Velienſibus datam, de ſenatus ſententia C. Valerium Flaccum præt. urbanum nominatim ad populum de Caliphana Velienſe, ut ea civis Ro. eſſet, tuliſſe. *Hæc, & quæ memini alia, ex unius auctoritate ſenatus pendent. attamen, ſi de religione ſcrupulus tenuiſſimus ineſſe aliquis videatur, ſenatus pontifices conſulit.* [40] *M. Fulvius, cùm pro triumpho decreto gratias P. C. egiſſet, adjecit ludos magnos ſe Jovi Opt. Max. eo die, quo Ambraciam cepiſſet, voviſſe: in eam rem ſibi centum pondo auri à civitatibus collatum: petere, ut ex pecunia, quam in triumpho latam in ærario poſiturus eſſet, & aurum ſecerni juberet. Senatus pontificum collegium conſuli juſſit, num omne id aurum in ludos conſumi neceſſum eſſet? Cùm pontifices negâſſent ad religionem pertinere, quanta impenſa in ludos fieret: ſenatus Fulvio, quantum vellet impenderet, permiſit, dum ne ſummam octoginta millium excederet.*

[40] Liv. lib. 39. An. DLXVI.

DE CONSULARI CURA, *auctoritate, munere in Rep. tuenda: convocando, cogendo atque habendo ſenatu.*

v. cap. 7. lib. 14. Gel. de officio ſenatus habendi: & Auguſti legem de ſenatu habendo in lib. 55. Dionis.

CAP. XXVII.

[1] VERSANTUR in animo *boni conſulis* multæ & graves cogitationes: quæ *ipſi* nullam partem, neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt: primùm tuendi conſulatus, quæ eſt *ei* difficilis & magna ratio: ut cui errato nulla venia, rectè facto exigua laus, & ab invitis expreſſa proponitur. [2] Accedit etiam ille ſummus labor, ac difficillima ratio conſulatus gerendi: quòd videat hæc omnia, pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis Ro. otium domeſticum, denique omnia, quæ populo chara atque ampla ſunt, in fidem, & quodammodo in patrocinium *ſui* conſulatus eſſe collata. [3] Ita magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna majeſtas conſulis: *magna* vis animi, *præſtantíſque* ingenii, quæ tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram ſuſtinere *poſſet*. [4] Non *enim* in toga & prætexta eſſe conſulatum putandum eſt. *Quæritur conſul, qui* [5] commodis *ſuis* omnibus, emolumentis, præmiis prætermiſſis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, niſi de ſalute ſuorum civium laboret: [6] qui dicendo nonnunquam comprimat tribunitios furores: qui concitatum populum flectat: qui largitioni reſiſtat: qui poſſit conſilio atque oratione, & ſenatus, & populi mentes permovere: *qui militari laude antecellat:* [7] qui animo conſul ſit, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere conſulatus. [8] Omnia enim, quæ ſunt in imperio, & in ſtatu civitatis à conſulibus defendi, & firmari putantur. [9] Si res eſt in præſenti, atque ante oculos propoſito periculo, *vel* id conjectura

[1] 2. Agr. ap.
[2] Ib. ap.
[3] In Piſ.
[4] Ib.
[5] pro Do.
[6] pro Mur. v. cap. 3.
[7] in Piſ.
[8] pro Mur.
[9] pro Do.

proſpicitur, conſules cauſam ſuſcipere, ſenatus aliquid conſilii capere debet: [10] ſic, ut nulla poſſit eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti, in reip. motu conſuli. [11] Omnes *viciſſim*, qui ſe incolumes volent, ſequentur in periculo ſalutis ac libertatis, auctoritatem conſulis ſoluti à cupiditatibus, liberi à delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. [12] Cùm Catilinæ voces percrebuiſſent, quas habuiſſe in concione domeſtica dicebatur: cùm miſerorum fidelem defenſorem negâſſet inveniri poſſe, niſi eum, qui ipſe miſer eſſet: integrorum & fortunatorum promiſſis, ſaucios & miſeros credere non oportere. Quare, qui conſumta replere, erepta recuperare vellent, ſpectarent quid ipſe deberet, quid poſſideret, quid auderet: minimè timidum, & valdè calamitoſum eſſe oportere eum, qui eſſet futurus dux & ſignifer calamitoſorum. Cùm igitur, his rebus auditis, factum eſt S. C. referente me, ne poſtero die comitia haberentur, ut de his rebus in ſenatu agere poſſemus. Itaque poſtridie frequenti ſenatu Catilinam excitavi, atque eum de his rebus juſſi, ſi quid vellet, quæ ad me allatæ eſſent, dicere. Atque ille, ut ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed indicavit, atque induit. tum enim dixit, duo corpora eſſe reip. unum debile infirmo capite, alterum firmum ſine capite: huic, cùm ita de ſe meritum eſſet, caput ſe vivo non defuturum. Congemuit ſenatus frequens, neque tamen ſatis ſeverè pro rei indignitate decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant: partim quia timebant. Tum erupit è ſenatu triumphans gaudio, quem omninò vivum illinc exire non oportuerat: præſertim, cùm idem ille in eodem ordine, paucis diebus antè, Catoni fortiſſimo viro judicium minitanti, ac denuncianti reſpondiſſet; ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, id ſe non aqua, ſed ruina reſtincturum. His tum rebus commotus, & quòd homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum

[10] in Piſ.

[11] 2. Agr. v. cap. 38. nu. 3.

[12] pro Mur.

pum deduci à Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo præsidio fortissimorum virorum, & cum illa lata, insigníque lorica, non quæ me tegeret (etenim sciebam Catilinam non latus, aut ventrem, sed caput & collum solere petere) verùm, ut omnes boni animadverterent, & cùm in metu, & periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem præsidiúmque meum concurrerent. [13] Nam si est boni consulis, cùm cuncta auxilia reip. labefactari convellíque videat, ferre opem patriæ, succurrere saluti fortunísque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum & fortium civium intercludere omnes seditionum vias, munire præsidia reip. summum esse in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare: ea, qui secutus sit, laude & honore dignum judicare. [14] In ejus magistratus tutela reges atque exteræ nationes semper fuerunt, nedum [15] provinciæ, quæ omnes in consulis jure, & imperio sunt. [16] De injuriis in socios, in reges, in liberas civitates consulum querela esse debet. *has ob causas missi legati* [17] postulata consulibus edunt, *atque petunt sibi senatum dari.* [18] Teneo ad me consulem Puteolanorum de Vatinio querelas esse delatas. [19] Multa Sophocles Agrigentinus apud Cn. Pompeium cos. homo disertissimus pro tota Sicilia de aratorum miseriis graviter, ac copiosè dixisse, ac deplorâsse dicitur. ex quibus hoc iis, qui aderant, (nam magno conventu acta res est) indignissimum videbatur, qua in re senatus optimè ac benignissimè cum aratoribus egisset, largè liberalitérque existimâsset, in ea re prædari prætorem, bonis everti aratores: & id non modò fieri, sed ita fieri, quasi liceat, concessúmque sit *Neque solùm hujus generis publicæ, sed & privatæ querimoniæ apud consules habentur, atque ab eis referuntur ad senatum.* [20] Verres palam de sella ac tribunali pronunciat, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese ejus nomen recepturum. Sthenius,

[13] pro Rab. p. 160.
[14] pro Sext.
[15] 2. Phil.
[16] pro Sext.
[17] v. cap. 23. nu. 43.
[18] in Vat.
[19] 5. Ver. An. DCLXXXV.
[20] 4. Ver. v. cap. 6. nu. 11, 12.

nius, qui Romam veniſſet, rem ad amicos ſuos detulit. Quæ, ut erat acerba & indigna, ſic videbatur omnibus. Itaque in ſenatu continuò Cn. Lentulus, L. Gellius Coſs.
An. DCLXXXIII. faciunt mentionem, placere ſtatui, ſi patribus conſcriptis videretur, ne abſentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium: cauſam Sthenii totam, & iſtius crudelitatem, & iniquitatem ſenatus docent. Aderat in ſenatu Verres, pater iſtius, & flens unumquemque ſenatorem rogabat, ut filio ſuo parceret: neque tamen multùm proficiebat. erat enim ſumma voluntas ſenatus. Itaque ſententiæ dicebantur, cùm Sthenius abſens reus factus eſſet, de abſente judicium nullum fieri placere: &, ſi quod eſſet factum, id ratum eſſe non placere. Eo die tranſigi nihil poterat, quòd & id temporis erat, & ille pater iſtius invenerat homines, qui dicendo tempus conſumerent. *Sed longè ſecus, & graviter.* [21] T. Torquatus is, qui conſul cum Cn. Octavio fuit, cùm illam ſeveritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat: ut eum Macedonum legatis accuſantibus, quòd pecunias prætorem in provincia cepiſſe arguerent, cauſam apud ſe dicere juberet: réque ex utraque parte audita, pronunciaret eum, non talem videri fuiſſe in imperio, quales ejus majores fuiſſent & in conſpectum ſuum venire vetuit. *Hujuſmodi, aut quæ alia, ſi ad conſulem deferantur, ſeu ipſius judicio* [22] de rep. conſulendus ſit ſenatus, auſpiciis operam dat, [23] & edicit, ut adſit ſenatus frequens ad ——————— *Variis in locis haberi ſolet: ſæpè ad ædem, ſive Apollinis, ſive Telluris, ſive Concordiæ, ſive Virtutis, ſive Caſtoris, vel alibi, ſi modò templum ſit.* [24] Coguntur, *qui non adſunt* pignore aut multa, *ni cauſa ſit.* De ſupplicationibus cùm refertur, ſenatores deeſſe non ſolent: coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, de quorum honóre agitur gratia. quod idem fit, cùm de triumpho refertur: ita ſine cura conſules ſunt, ut penè liberum ſit ſenatori non adeſſe. *Et verò, cùm honor*

[21] 1. de Fin. An. DLXXXVIII.
[22] 1. de Div.
[23] 1. Phil. v. cap. 8. nu. 4.
[24] d. 1. Phil.

nor eſt alicui decretus, [25] res ipſa declarat, *ipſi* illum honorem fuiſſe jucundum, *qui* ſcribendo adſuit: hoc enim S. C. ab amiciſſimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolet. [26] Senatus abſentibus conſulibus nunquam niſi ad rem novam cogitur, [27] *ipſi verò ſolent* edicto cogere, *at hujuſmodi dimittere* ſenatum *formula,* [28] NIHIL VOS MORAMUR PATRES CONSCRIPTI. *Sed, ut ab uſitatis ad antiquata* [29] *ſeveriſſima majorum inſtituta tranſgrediar, anteà ſenatus aſſiduam ſtationem eo loci peragebat, qui hodie quoque ſenaculum appellatur: nec expectabat, ut edicto contraheretur: ſed inde citatus protinus in curiam veniebat: ambiguæ laudis civem exiſtimans, qui debitis reip. officiis, non ſua ſponte, ſed juſſus fungeretur. quia, quicquid imperio cogitur, exigenti magis, quàm præſtanti acceptum refertur. Illud quoque memoria repetendum eſt, quòd tribunis pleb. intrare curiam non licebat: ante valvas autem poſitis ſubſelliis decreta patrum attentiſſima cura examinabant: ut, ſi quæ ex eis improbâſſent, rata eſſe non ſinerent. Itaque veteribus ſenatuſconſultis T. littera ſubſcribi ſolebat, eáque nota ſignificabatur illa tribunos quoque cenſuiſſe.*

[25] ep. 6. l. 15. fa.

[26] ep. 27. lib. 12. fa.

[27] v. cap. 8.

[28] Capitol. in Antonino.

[29] Val. cap. 1. lib. 2.

QUÆ SENATUM TURBANT, & *minus frequentem faciunt? quæ à ſenatore poſtulatur fortitudo, ſapientia? quæ præſtanda prudentia, diligentia?*

CAP. XXVIII.

[1] TUM illuſtratur ſenatus, cùm gubernát remp. ſi non optabili, at neceſſario tempore, *ſed ſæpenumerò obruitur vi, armis, gladiatorum impunitate, contentionibus, ambitione, motibus reip. Uniuſcujuſque generis ſingula ſubjeciſſemus exempla, niſi occurrerent inferius.* [2] Eſt omninò fortium

[1] 7. Phil. ap.

[2] 13. Phil.

fortium virorum, quales *ſenatores* eſſe debent, virtute præſtare tantùm, ut poſſint fortunæ culpam non extimeſcere. Sed, quoniam ab hoc ordine non fortitudo ſolùm, verùm etiam ſapientia poſtulatur, [3] temperata *ſit oportet* tota ratio, ut reip. conſtantiam *ſenator* præſtet, privatis *ſuis* rebus propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium improborum, adhibeat quandam cautionem, & diligentiam: [4] ita vitam, corpúſque ſervet, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hæc poſteriora libertate ducat: itáque his uti velit, ſi libera rep. poſſit: nec pro his libertatem, ſed pro libertate hæc projiciat, tanquam pignora injuriæ. *Erat poſt meum conſulatum,* [5] conjunctio mihi ſumma cum Pompeio, etiam cum Cæſare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, ſenectutis otium: ſed me * κατάκρισις illa mea commovebat.

[3] ep. 18. lib. 1. Att.

[4] 13. Phil.

[5] ep. 3. l. 2. Att.

* ſanctio.

Intereà curſus, quos prima à parte juventæ,
Quóſque adeo conſul virtute, animóque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudéſque bonorum.

Hæc mihi, cùm in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta ° ἀριστοκρατικῶς Calliope ipſa præſcripſerit, non opinor eſſe dubitandum, quin ſemper nobis videatur ° εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Et verò* [6] nullum fuit tempus, in quo non omnia præſtiti reip. quæ præſtare debuit is, qui eſſet in eo, in quo ego ſum gradu, ſenatus populíque judicio collocatus. Nec illa modò, quæ nimirum ſola ab homine ſunt poſtulanda, fidem, vigilantiam, patriæ charitatem (ea ſunt enim, quæ nemo eſt, qui non præſtare debeat) ego autem ei, qui ſententiam dicat in principibus de rep. puto etiam prudentiam præſtandam. Nec me, quum mihi tantum ſumſerim, ut gubernacula reip. prenderem, minus putârim reprehendendum, ſi inutiliter aliquid ſenatui ſuaſerim, quàm ſi infide-

° pro Statu Optimatum.

° unum augurium optimum, defendere patriam.

[6] ep 1. rep. ep. ad Br.

liter.

liter. Neque etiam me censuerim excusandum, si cùm resp. erit tuenda, [7] vel defatigatus requiem quæsierim ex magnis occupationibus, *vel statuerim minus bonis temporibus in senatum non venire : quia* [8] nulla lassitudo, aut timor impedire officium & fidem debet : [9] nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. *Et forsan in hoc ipso, in charitate erga patriam & parentes, in amicitia gerenda,* [10] sicut in certamine currendi, non ita convenit exerceri, ut, quoad necesse sit, pervenire possis : sed, ut productus studio, & viribus, ultrà procurras. *Benè Pompeius* [11] principum munus esse ducebat resistere, & levitati multitudinis, & perditorum temeritati. *Attamen* [12] digladiari semper, depugnare cum facinorosis & audacibus, quis non cùm miserrimum, tum etiam stultissimum dixerit ?

[7] ep. 14. l. 5. fa.
[8] ep. 24. l. 12. fa.
[9] in Læl.
[10] 4. ad Her.
[11] pro Mil.
[12] Frag. 3. Acad.

UTRUM IN ACERBIS CASIBUS & *temporibus reip. senator cogendus sit in senatum, an excusandus? Quid fecerit in his Cicero?*

CAP. XXIX.

JAM *quæri potest,* [1] utrúmne est tempus aliquod, *quo in senatum cogi non debeat senator? Primùm censeo legem hanc servandam :* [2] SENATORI, QUI NON ADERIT, AUT CAUSA, AUT CULPA ESTO. *Deinde* [3] dico senatoris esse boni, semper in senatum venire, [4] potestas modò veniendi sit : [5] nec cum his sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire : non intelligentes hanc suam nimiam perseverantiam vehementer iis, quorum animos offendere voluerunt, gratam & jucundam esse, *His positis, quid ipse fecerim turbidis quibusdam temporibus, cùm in rep. libera, nondum delata ad unum, tum in oppressa per Antonium dicam : atque ab illis Clodii, omnia miscentis in*

[1] pro Do.
[2] 3. de Leg.
[3] pro Do.
[4] 1. Phil.
[5] pro Do.

[6] Ib. An. DCXCVI. *summa frumenti inopia, incipiam.* [6] Ego in senatum non veni, & domi me tenui, quamdiu turbulentum tempus fuit: cùm servos Clodii ab ipso jampridem ad bonorum cædem paratos, cum illa sua consceleratorum ac perditorum manu armatos, in Capitolium cum eo venisse constabat. Quod cùm mihi nunciaretur, scio me domi mansisse, & Clodio, & gladiatoribus instaurandæ cædis potestatem non fecisse. Posteaquam mihi nunciatum est populum Ro. in Capitolium propter motum, atque inopiam rei frumentariæ convenisse, ministros autem scelerum Clodii perterritos, partim amissis gladiis, partim ereptis diffugisse, veni non solùm sine ullis copiis ac manu, verùm etiam cum paucis amicis, cùm P. Lentulus cos. ac Q. Metellus me arcesserent in senatum. At enim nonnulli propter timorem, quo se in senatu tutò non esse arbitrabantur, discesserunt. Non reprehendo, nec quæro, fuerítne aliquid pertimescendum: puto arbitratu suo quemque timere oportere: ego non timui, quia Clodium illinc abiisse constabat. [7] Veni expectatus, multis
[7] Ib. jam sententiis dictis rogatus sum sententiam: dixi reip. saluberrimam, mihi necessariam. Petebatur à me frumenti copia, annonæ utilitas, quasi possem aliquid in ea re: meæ valetudinis ratio non habebatur: flagitabar bonorum expostulatione, improborum convicia sustinere non poteram: delegavi amico locupletiori: non quò illi, ita de me merito, onus illud imponerem (succubuissem enim potius ipse) sed quia videbam id, quod omnes, quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillimè perfecturum. Non solùm rem maximam eripui à peste summi periculi, sed etiam bonos à cæde, incendiis, vastitate: nemo negat: cùm ad causam charitatis accederet iste speculator omnium miseriarum, qui semper in reip. malis sceleris sui faces inflammaret. *Venio ad tempora Antonii, quæ difficiliora fuerunt:*

quia

quia[8] nec tutò in senatum, nec honestè venire potuimus: sed nec sine periculo quisquam de rep. sentiens versari potuit in summa impunitate gladiatorum: nec nostræ dignitatis videbatur esse ibi sententiam de rep. dicere, ubi me, & melius, & propius audirent armati, quàm senatores. [9] Ego, cùm sperarem aliquando ad hujus ordinis consilium auctoritatémque remp. esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari, ac senatoria. Nec verò usquam discedebam, nec à rep. dejiciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Atheniensiúmque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum usurpavi: quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa: atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Præclara tum oratio M. Antonii: ad hunc ordinem res optimas deferebat: ad ea, quæ quæsita erant, respondebat. Ecce Calendæ Juniæ, quibus, ut adessemus, edixerat. Mutata omnia: nihil per senatum: multa & magna per populum, & absente populo, & invito. Consules designati se audere negabant in senatum venire. patriæ liberatores urbe carebant ea, cujus à cervicibus jugum servile dejecerant: quos tamen ipsi consules, & in concionibus, & in omni sermone laudabant. Veterani qui appellabantur, quibus hic ordo diligentissimè caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum prædarum *omnino* incitabantur. Quæ cùm audire mallem, quàm videre, haberémque jus legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Cal. Jan. quod initium senatus legendi fore videbatur. *Cùm redirem audivi multa*[10] hunc ordinem decrevisse invitum: non modò voce neminem L. Pisoni consularem, sed ne vultu quidem assensum esse. *Hinc illa mea:* Quæ (malum) est ista voluntaria servitus? fuerit quædam necessaria: nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam consulari loco dicunt.

[8] ep. 2. l. 10. fa. An. DCCIX.

[9] 1. Phil.

[10] Ib.

cunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco: alia est eorum, quorum vocem requiro: quos quidem doleo in suspicionem venire, non modò metus, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suæ. *At*
[11] 7. Phil. *postea* [11] justa fuit excusatio cùm [12] tanta Antonii esset, non
[12] ep. 1. l.10. fa. insolentia (nam id quidem vulgare vitium est) sed immanitas, non modò ut vocem, sed ne vultum quidem liberum potuerit ferre cujusquam. Itaque mihi maximæ curæ fuit, non mea quidem vita, cui satisfeci vel ætate, vel factis, vel si quid etiam hoc ad rem pertinet, gloria: *sed*
[13] Ib. *me patria solicitabat, & resp.* [13] hominis impotentissimi armis sic oppressa, ut in ea nec senatus, nec populus vim haberet ullam: nec leges ullæ essent, nec judicia, nec omninò simulacrum aliquod, aut vestigium civitatis: cùm
[14] 5. Phil. [14] in senatu illo, qui quondam florens orbi terrarum præ-
[15] 3. Phil. sidebat, homines perditissimos cum gladiis collocaret. [15] Quid Tarquinius tale? senatum etiam reges habebant: nec tamen, ut Antonio senatum habente, in consilio regis versa-
[16] 5. Phil. bantur barbari armati. [16] Illud verò teterrimum non modò auditu, sed etiam aspectu, in cella Concordiæ collocari armatos, latrones, sicarios. De templo carcerem fieri: opertis valvis Concordiæ, cùm inter subsellia senatus versarentur latrones, patres conscriptos sententias dicere. Huc etiam, nisi venirem calendis Sept. fabros se missurum, & domum meam disturbaturum esse dixit. Adesse postea in senatu jussit XIII. calendas Oct. quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, cædis initium fecisset à me, sic enim statuerat: Cùm autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem cædendi nisi defatigatio, &
[17] 5. Phil. & 3. Phil. satietas attulisset. *At ille* [17] inimicitias mihi denunciavit. Quid autem attinuerit L. Cassio tribuno pl. mortem denunciare, si in senatum veniret: D. Carfuleum è senatu vi, & minis mortis expellere: Ti. Canutium non templo solùm,
[18] ep. 2. l.12. 14. verùm etiam aditu prohibere Capitolii: [18] tres consulares,

quia

quia de rep. benè sensissent, liberè locuti essent, tutò in senatum venire non potuisse. [19] O rem miseram! dominum ferre non potuimùs, conservo servimus. *Quid dignitas consularis, quid senatoris spiritus omni tempore postulat video: sed vim, quam denunciat inimicus, & periculum quod certum est, quis non extimescat.* [20] Custodiatur vita reip. eáque quoad, vel dignitas, vel natura patietur, patriæ reservetur. Mors autem necessitatem habeat fati: aut si antè oppetenda est, oppetatur cum gloria. quam [21] in morte debent ii, qui in rep. versantur, non culpæ reprehensionem, & stultitiæ vituperationem relinquere. Etenim, qui multorum custodem se profitetur, cum sapientes sui primùm capitis aiunt custodem esse oportere. Cùm septus sis legibus, & judiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias præsidia quærenda: quis enim audeat luci, quis in militari via, quis benè comitatum, quis illustrem aggredi? Hæc neque illo tempore, neque in me valuissent: non modò enim pœnam non extimuisset, qui mihi vim attulisset, sed etiam gloriam sperâsset à latronum gregibus, & præmia. *Hæc ego prævidi, & cavi: non est enim* [22] justior in senatum non veniendi morbi causa, quàm mortis. *horum certè est semper habenda ratio: nec senatui,* [23] & populo Ro. vilis spiritus esse debet senatoris: qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam incumbit ad reip. salutem. [24] Appium illum & cæcum, & senem delatum esse ad causam de Pyrrhi pace memoriæ proditum est. *At nusquam legimus* [25] senatum tam acerbè coactum, ut etiam ægrotos deferri oporteret, nec posset abesse, qui [26] impetum pertimesceret.

[27] *Dum furor in cursu est, currenti cede furori:*
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliquo qui cùm discedere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.

[19] ep. 3. & l. 12.
[20] 12. Phil.
[21] Ib.
[22] 1. Phil.
[23] 12. Phil.
[24] 1. Phil.
[25] Ib.
[26] 12. Phil.
[27] Ovid. 1. de Remed. am.

An

AN LICEAT SENATORI *aliquando rei cauſa, de qua agitur, abeſſe, aut diſcedere, aut tacere, nec dicere ſententiam : ne ſit in offenſa apud potentes, vel bene meritos? Ciceronis in his uſus, & conſiliorum expoſitio.*

CAP. XXX.

° Publius. ° *Miſerum eſt tacere cogi, quod cupias loqui.*

[1] pro Do. [2] 1. Phil. ap. [4] pro Man. ap. [5] ep. 10. l. 11. fa. [6] pro Man. ap. [7] 2. Phil.

SUNT *nonnulli, qui aut abſunt, aut diſcedunt, aut tacent, cùm* [1] res talis eſt, de qua agitur, ut rem ipſam repudiare, & eos, qui agunt, condemnare debeant : [2] quaſi de reip. malis non deberent, aut non liceret dicere. forti verò licet, & ſemper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere : poteſtas modò veniendi in ſenatum ſit, dicendi periculum non recuſat. [3] nefas eſſe ducit, aut ita haberi ſenatum, ut ſibi non liceat liberè de rep. dicere : *aut etiam ſi quid liberè dicendum ſit, ſe non adeſſe. Itaque in ſenatum ſemper venit : omnia, quæ ad dignitatem ſenatus, ad commoda populi augenda pertinent, ſummo ſtudio ſuſcipit, & defendit.* [4] quicquid in ſe eſt conſilii, laboris, ingenii : quicquid beneficio populi Ro. atque *dignitate ſenatoria :* quicquid auctoritate, fide, conſtantia poteſt, id omne ad *libertatem & ſalutem* populi Ro. *conſervandam* defert : *ſententiam dicit,* [5] nulla malevolentia aut livore impeditus : [6] neque rogatu cujuſquam : neque quò potentis ſibi gratiam per hanc conciliari putet : neque quò *ſibi* ex cujuſquam amplitudine, aut præſidia periculis, aut adjumenta honoribus quærat. [7] Doleo remp. talium ſenatorum *copia non abundare : eámque quondam illorum, qui Pompeium ſecuti ſunt,* meíſque conſiliis conſervatam, brevi tempore eſſe perituram. Neque verò ſum tam indoctus, ignarúſque rerum, ut frangar animo

animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus: dimiſſa, moleſtiis omnibus liberaret. Illos ego præſtantiſſimos viros, lumina reip. vivere vellem: tot conſulares, tot prætorios, tot honeſtiſſimos ſenatores: qui ſi viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videtur) remp. hodie teneremus: [8] nec Calendis Sex. *poſt interitum Cæſaris* [9] accidiſſet, ut unus modò conſularis dignus illo honore, dignus rep. inveniretur. Qua quidem ex re, magnum accepi dolorem, homines ampliſſimos pop. Ro. beneficiis uſos, L. Piſonem ducem optimæ ſententiæ non ſecutos. *Non inficior tamen multa occurrere, quibus impedimur,* [11] quæ ſentimus, aut efficere, aut liberè defendere: *idque mihi ipſi contigit in conjunctione Pompeii & Cæſaris. Quo tempore* [12] quantum humano conſilio efficere potui, circumſpectis rebus meis omnibus, rationibúſque ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium. Ego, ſi ab improbis, & perditis civibus remp. teneri vidiſſem, ſicut & meis temporibus ſcimus, & nonnullis aliis accidiſſe accepimus, non modò præmiis, quæ apud me minimùm valent, ſed ne periculis compulſus ullis, quibus tamen moventur etiam fortiſſimi viri, ad eorum cauſam me adjungerem: ne, ſi ſumma quidem eorum in me merita conſtarent. Cùm autem in rep. Cn. Pompeius princeps eſſet, vir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in remp. meritis, præſtantiſſimíſque rebus geſtis eſſet conſecutus, cujúſque ego dignitatis ab adoleſcentia fautor, in prætura autem & conſulatu adjutor etiam exſtitiſſem: cúmque idem auctoritate & ſententia per ſe, conſiliis & ſtudiis cum Lentulo me adjuviſſet, meúmque inimicum unum in civitate haberet inimicum: non putavi famam inconſtantiæ mihi pertimeſcendam, ſi quibuſdam in ſententiis paulùm me immutâſſem, meámque voluntatem ad ſummi viri, de méque optimè meriti dignitatem aggregâſſem. In hac ſententia complectendus erat mihi

[8] 1 Phil.
[9] Ib.
[11] ep. 14. l. 4. fa.
[12] ep. 9. l. 1. fa. v. cap. 41. nu. 15.

Cæſar

Cæsar in conjuncta, & causa, & dignitate. Hic multùm valuit, cùm vetus amicitia, quæ mihi & Q. Fratri cum Cæsare fuit, tum humanitas ejus, ac liberalitas brevi tempore & litteris, & officiis perspecta nobis, & cognita. *Sic*
[13] ep. 8. d. l. 1. fa. *me plurima vehementer moverunt:* [13] ut, vel ea defende-
[14] d. ep. 9. rem, quæ Pompeius vellet, vel tacerem. [14] Primùm resp. quæ mihi videbatur contentionem cum illis viris nolle fieri, & ne fieret recusare: *Deinde utriusque merita, quæ postu-*
[15] Ib. *lârunt,* [15] ut officium meum memorémque in benè meritos animum fidémque fratris mei præstarem: *Postremò salutis*
[16] Ib. *meæ ratio, cùm* [16] non mihi aliter potuisse videbar hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum præsidiis iis, quæ semper habui, hanc etiam potentium benevolentiam
[17] Ib. conjunxissem. *Intereà nihil mihi* [17] assumsi, quòd quenquam non malevolentissimum jure posset offendere. tantùm enitebar, ut neque amicis, neque etiam alienoribus opera, consilio, labore deessem. Hic meæ vitæ cursus offendebat eos fortasse, qui splendorem & speciem ejus intuebantur, solicitudinem autem & laborem perspicere non poterant. Illud verò non obscurè querebantur, in meis sententiis, quibus ornavi Cæsarem, quòd quasi descivissem à pristina
[18] Ib. nu. 5. causa: atque de me idem cogitabant [18] quod de fortissimo viro Q. Metello, quem post reditum dictitabant fracto ani-
[19] Ib. mo & demisso fuisse. [19] Est verò probandum, qui & summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sanè redire curaret, eum ob id ipsum fractum fuisse: in quo cùm omnes homines, tum M. illum Scaurum singularem vi-
[20] Ib. rum, constantia & gravitate superâsset. [20] Ego autem, cùm illa sequebar, quæ paulò antè proposui, tum hoc non in postremis. non offendi eundem bonorum sensum, quem reliqui; qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, & afflictus ante Lentulum consulem, recreatus abs eo totus *est*, postea ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus: idque non solùm fronte atque vultu, quibus simu-

latio

latio facilè sustinetur, ii declarârunt, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur, sed etiam sensu sæpè, tabelláque docuerunt. Itaque tota tunc sapientium civium, qualem me, & esse, & numerari volo, & sententia, & voluntas mutata esse debuit. *Proinde cùm à Pompeianis impetus esset factus in Clodianos, &* [20] ejectus esset de Rostris Clodius, ac nos quoque tum fugissemus, ne quid in turba, senatus vocatus in curiam, Pompeius domum: neque ego tamen in senatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompeio defendendo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio) animos bonorum offenderem. *Paulò post* [21] S. C. de agro Campano in meam sententiam facto, cùm molestè Pompeium id ferre constaret, & multa de mea sententia questus esset Cæsar, quippe, qui à Crasso in me esset incensus: collegi ipse me, & cum ipsa quasi rep. collocutus sum, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut officium meum, memorémque in benè meritos animum, fidémque fratris mei, qui multa Pompeio & Cæsari de me receperat, præstarem: cúmque, quem bonum civem semper habuisset, bonum virum esse pateretur. *Præterita omitto de utroque:* [22] quorum alter, (id quod meminero semper) æquè mihi fuit amicus, ac sibi: alter, id quod obliviscebar, sibi amicior, quàm mihi. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiamsi ferro inter se cominus decertàrint, tamen illud contentionis odium, simul cum ipsa pugna, armísque ponant. Atqui me ille odisse nunquam potuit, ne tum quidem, cùm diffidebamus. Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus, & pulchritudo, etiam in hoste posita delectet. Si mihi nunquam amicus C. Cæsar fuisset, sed semper iratus: si aspernaretur amicitiam meam, seséque mihi implacabilem, inexpiabilémque præberet: tamen ei, cùm tantas res gessisset, non amicus esse non potui. [25] Cur igitur expectâssem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reduceret? reduxit

[20] ep. 3. l. 2. ad Q. fr. An. DCXCVII. v. c. 41. nu. 16.

[21] ep. 9. l. 1. fa.

[22] in Pis.

[25] de Pro cons.

K ordo

ordo amplissimus, & ordo is, qui est & publici consilii, & meorum omnium consiliorum auctor, & princeps. Vos sequor, patres conscripti, vobis obtempero, vobis assentior: qui quamdiu C. Cæsaris consilia in remp. non maximè diligebatis, me quoque cum illo minùs conjunctum videbatis: posteaquam rebus gestis mentes vestras, voluntatésque mutâstis, me non solùm comitem esse sententiæ vestræ, sed etiam laudatorem vidistis: cùm ego multa decrêrim, quæ magis ad hominis dignitatem, quàm ad reip. necessitatem pertinerent: ut omnes intelligerent, me id, quod reip. causa sentirem, facere uberiùs propter ipsius Cæsaris dignitatem.

QUÆ DEBEANT ESSE *Senatoris partes in tumultu, aut dissensione civili? quæ Ciceronis in contentione Pompeii & Cæsaris?*

CAP. XXXI.

SENATOR *gravis, & tanto dignus nomine, se comparet* [1] ita necesse est, ut sit contra hæc, quæ civitatis statum pervertunt, semper armatus: [2] ut de libertate populi Ro. de dignitate senatus omnino cogitet: quod agendum, atque faciendum sit, id non modò non recuset, sed etiam appetat, atque deposcat, *cùm in tranquilla, tum in perturbata dissensionibus rep. Quo tempore* [3] cùm maximè consilio subvenire communi saluti oporteat, in senatum vocari, & *venire senatores debent.* [4] Quid autem agatur, cùm aperietur, *interdum* facilè erit statuere, quam sententiam dicant, aut quam sequantur: *at non semper.* Nam [5] si quid rectissimum sit, quæratur, perspicuum erit: si quid maximè expediat, obscurum erit *in contentione principum civitatis:* si tamen fuerint, qui profectò esse debebunt, ut nihil arbitrentur expedire, nisi quod rectum honestúmque sit, in

[1] 6. de Rep. v. c. 41. nu. 24.
[2] 3. Phil.
[3] 5. Phil.
[4] Ib.
[5] ep. 2. l. 4. fa.

in pleriſque non poterit eſſe dubium, quid faciendum ſit: præcipuè *quando ſeditio oritur, aut* [6] bellum ſive ex diſſenſione [6] 5. Phil.
partium, ſive ex nefaria ſpe perditiſſimorum civium excitatur: *qui* [7] id moliuntur, id pugnant, ut leges, judicia, [7] 8. Phil.
libertatem perturbent, evertant: prædam reip. cauſam belli putent: [8] Hæc, qui cùm videt, non contrà decernit, im- [8] 5. Phil.
pius eſt. Nullæ iſtæ excuſationes ſunt: meus amicus eſt. ſit patria prius. meus cognatus. an poteſt cognatio propior ulla eſſe, quàm patriæ, in qua parentes etiam continentur.
[9] L. Cæſar, antequam ſententiam diceret de tumultu An- [9] 8. Phil.
toniano, propinquitatem excuſavit. Idem fecerat me conſule in ſororis viro, quod tum in ſororis filio fecit. atque ipſe tamen præcepit cæteris quodammodo, ne ſibi aſſentirentur: cùm ita dixit, aliam ſententiam ſe dicturum fuiſſe, eámque ſe ac rep. dignam, niſi propinquitate impediretur: *Sunt etiam, qui aliis de cauſis ab officio abducuntur, ut in bello Pompeiano Cælius, qui ferre non potuit* [10] Appii injurias: [10] ep. 12. l. 8. fa.
nec voluit [11] premi Curionem: [12] cujus amicitia paulatim eum in Cæſaris cauſam impoſuit. Laudanda [13] conſtantia [11] ep. 11. d. l. 8.
ornatiſſimi viri L. Tuberonis, *quam ego olim apud Cæſarem* [12] ep. 17. Ib.
commemoravi: quòd ab ipſo cognoviſſem in primis eam [13] pro Lig.
virtutem ſolere laudari. Quæ fuit igitur unquam in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio an melius patientiam poſſem dicere. quotus enim iſtud quiſque feciſſet, ut, à quibus partibus in diſſenſione civili non eſſet receptus, eſſétque etiam cum crudelitate ejectus, ad eas ipſas rediret? magni cujuſdam animi, atque ejus viri eſt, quem de ſuſcepta cauſa, propoſitáque ſententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſet depellere. Ut enim paria Tuberoni alia cum pluribus eſſent: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quòd juſto cum imperio, ex S. C. in provinciam ſuam venerat. hinc prohibitus, non ad An. DCCIV.
Cæſarem, ne iratus: non domi, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare cauſam illam, quam ſecutus eſſet,

 vide-

videretur: in Macedoniam, in Cn. Pompeii caſtra venit: in eam ipſam cauſam, à qua erat rejectus cum injuria. *Firmior ille, quàm plures, qui* [14] ſuarum rerum, quid tum conſilii caperent, non reperiebant: *ne ipſe quidem Cœlius, etſi diceret,* [15] homines in diſſenſione domeſtica debere, quamdiu civiliter ſine armis certatur, honeſtiorem ſequi partem: ubi verò ad arma ventum ſit, firmiorem: & id melius ſtatuere, quod tutius ſit. [16] Hujus genus belli fugi, pacis ſemper auctor fui: & eò magis, quòd crudeliora etiam cogitari & parari videbam. [17] Dominatio quæſita ab utroque eſt: non id actum, beata & honeſta civitas ut eſſet: uterque regnare voluit: *Pompeius parem, Cæſar ſuperiorem noluit.* [18] Utriuſque acceperam ejuſmodi litteras eodem tempore, ut neuter quenquam omnium pluris facere, quàm me videretur. verùm quid agerem? non quæſivi illa ultima: ſi enim caſtris res gereretur, *ut geſta ſunt*, vidi cum altero vinci ſatius fuiſſe, quàm cum altero vincere. Sed illa, quæ tum agerentur, ne ratio abſentis habeatur, ut exercitum dimittat, dic M. Tulli: quid dicerem? quàm volui *tunc* in provincia morari. Initio [19] oræ maritimæ præfui. Nullum majus negotium ſuſcipere volui: quò plùs apud illum meæ litteræ cohortationéſque ad pacem valerent. *Deliberatio fuit, an* [20] Solonis lex negligenda eſſet, qui capite ſanxit, ſi qui in ſeditione non alterius partis fuiſſet. aut enim mihi liberè inter malos ° πολιτευτέον fuit, aut vel periculoſè cum bonis: aut temeritas bonorum ſequenda, aut audacia improborum inſectanda. Utrumque periculoſum fuit: at *id*, quod tum agebamus, & turpe, nec tamen tutum. *Atticus me* [21] amiciſſimè admonuit, ut me integrum, quoad poſſem, ſervarem. Ego me ducem in civili bello, quoad de pace ageretur, negavi eſſe: non, quia rectum eſſet: ſed quia, quod multò rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Planè eum, cui noſter alterum conſulatum deferret, & triumphum: at quibus verbis?

[14] ep. 14. l. 8. fa.

[15] Ib.

[16] ep. 12. l. 9. Att.

[17] ep. 11. l. 8. Att.

[18] ep. 1. l. 7. Att.

[19] ep. 12. l. 16. fa.

[20] ep. 1. l. 10. Att.

° verſandum in rep.

[21] ep. ult. l. 7. Att.

bis ? PRO TUIS REBUS GESTIS AMPLISSIMIS, inimicum habere nolueram. Ego ſciebam, & quem metuerem, & quam ob cauſam. *Cæſar cupivit, ut* ° ad urbem venirem : damnari ſe noſtro judicio, tardiores fore reliquos, ſi in his non veniremus, dicere. Ego diſſimilem illorum eſſe cauſam. Quid multa ? veni igitur, & age de pace. Meóne, inquam, arbitratu ? an tibi, inquit, ego præſcribam ? ſic inquam, agam : ſenatui non placere in Hiſpanias iri, nec exercitus in Græciam tranſportari : multáque, inquam, de Cnæo deplorabo. Tum ille, ego verò iſta dici nolo. Ita putabam, inquam : ſed ego, eo nolo adeſſe, quòd, aut ſic mihi dicendum eſt, multáque quæ nullo modo poſſem ſilere, ſi adeſſem : aut non veniendum : ſumma fuit, ut ille quaſi exitum quærens, ut deliberarem : non fuit negandum. ita diſceſſimus. Ego tum liberè, quòd mihi in eorum conjunctione uſu non venit. *Poſteà* [22] mihi ignovit per litteras, quòd non veniſſem : ſéque in optimam partem id accipere dixit. facilè patiebar. Nam aut [23] probare oportuerat ea, quæ fierent : aut intereſſe, etiamſi non probarem. quarum altera mihi turpis, altera etiam periculoſa ratio videbatur. Sed [24] tamen munus hoc ipſum probi eſt, & magnum ſit ° τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων veniendum ne ſit in conſilium tyranni, ſi is aliqua de re bona deliberaturus ſit. [25] Facilè patiebar, quòd ſcripſit Tullum & Servium queſtos eſſe, quia non idem ſibi, quod mihi remiſiſſet : homines ridiculos, qui cùm filios miſiſſent ad Cn. Pompeium circumſidendum, ipſi in ſenatum venire dubitarent, [26] ſive potiùs in conventum ſenatorum. [27] conſules enim erant cum Pompeio, multíque noſtri ordinis. *Ille aliis ad me litteris ſcripſit,* [28] viro bono, & quieto, & bono civi nil magis convenire, quàm abeſſe à civilibus controverſiis: neque tutius, neque honeſtius me reperturum quicquam, quàm ab omni contentione abeſſe. [29]Partes etiam mihi has impoſuit, ne quem omnino diſcedere ex Italia paterer.

° ep. 22. l. 9. Att.

[22] ep. 3. l. 10. Att.

[23] ep. 2. l. 4. fa.

[24] ep. 1. l. 10. Att.

° maximè civilium conſiderationum.

[25] ep. 3. l. 10. Att.

[26] ep. 1. l. 4. fa.

[27] ep. 15. l. 8. Att.

[28] ep. 9. l. 10. Att.

[29] ep. 12. d. l. 10.

 [30] Bal-

30 ep. 9. l. 9. Att. [39] Balbus etiam scripsit me Cæsari cumulatissimè satisfacturum, si nullam partem belli contra eum susciperem, neque socius ejus adversariis forem: eúmque prius meæ dignitatis, quàm suæ utilitatis rationem habiturum: [31] Omnino res miserior nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. nihil enim constitui potuit, quod non incurrebat in magnam difficultatem. *Tandem* [32] ut bos armenta, sic ego bonos viros: aut eos, quicunque dicerentur boni, sequendos putavi, etiamsi ruerent. [33] Malui multi me non cautè, quàm pauci non honestè fecisse existimâssent, & [34] pudori malui famæque cedere, quàm salutis meæ rationem ducere. At [35] si restitissem, & fuisset nobis in altera parte locus, idem fecissem, quod in Cinnæ dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus: quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem ceciderit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliter Thrasibulus, & fortasse meliùs. Sed est certa quædam illa Mucii ratio, atque sententia: est aliqua etiam Thrasibuli, &, cùm sit necesse, servire tempori, & non amittere tempus, cum sit datum. Sed hoc tamen ipso [36] nihil expediebam, nisi ut, aut ab hoc, tanquam Q. Mucius à Mario: aut ab illo, tanquam L. Scipio à Sylla: [37] nec ullum in his malis consilium periculo vacuum, inveniri potui. [38] Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus: *ad senatum tamen:* [39] in quo decem fuimus consulares: prætorii non pauci, quorum princeps M. Cato, idémque omnium gentium virtute princeps; plures ædilitii, tribunitii, quæstorii. quid multa? talis senatorum & dignitas, & multitudo fuit: ut magna excusatione opus iis sit, qui illa in castra non venerunt.

31 ep. 2. l. 4. fa.
32 ep. 7. l. 7. Att.
33 ep. 23. l. 8. Att.
34 ep. 3. l. 7. fa.
35 ep. 3. l. 8. Att.
An. DCLXVII.
36 ep. 19. l. 9. Att.
37 ep. 7. l. 10. Att.
38 ep. 6. l. 6. fa.
39 13. Phil.
An. DCCIV.

Quo-

QUOMODO SE GERERE *debeat Senator in rep. delata ad unum? quæ Cicero ſecutus ſit conſilia in dominatione Cæſaris?*

CAP. XXXII.

[1] POST has miſerias, id eſt, poſtquam armis diſceptari cœptum eſt de jure publico, cùm ferè nihil actum fuit cum dignitate, ſtatueram (non mehercule inertia, ſed deſiderio priſtinæ dignitatis) in perpetuum tacere. fregit hoc meum conſilium, & Cæſaris magnitudo animi, & ſenatus officium. Sed tamen, quando effugi ejus offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur me hanc remp. non putare, ſi perpetuò tacerem: modicè hoc feci, aut etiam intra modum: ut, & illius voluntati, & meis ſtudiis ſervirem. *Marcellum verò,* [2] qui hoc fortaſſe humilis animi duxerat, *litteris* [3] hortatus ſum, ut in rep. quæcunque eſſet, quàm primùm vellet eſſe: *idque his verbis:* Multa videbis fortaſſe, quæ nolis: non plura tamen, quàm audis quotidie. Non eſt porrò tuum, uno ſenſu ſolùm oculorum moveri: cùm idem illud auribus percipias, quod etiam majus videri ſolet, minus laborare. Et tibi ipſi dicendum erit aliquid, quod non ſentias, aut faciendum, quod non probes. Primùm tempori cedere, id eſt neceſſitati parere, ſemper ſapientis eſt habitum. Deinde non habet, ut nunc quidem eſt, id vitii res: dicere fortaſſe quæ ſentias, non licet, tacere planè licet. omnia enim delata ad unum ſunt. Is utitur conſilio, ne ſuorum quidem, ſed ſuo. Quod non multò ſecus fieret, ſi is remp. teneret, quem ſecuti ſumus. *hæc Marcello.* [4] Ego autem, ſi dignitas eſt benè de rep. ſentire, & bonis viris probare, quod ſentias, obtinui tum dignitatem meam. ſin autem in eo dignitas eſt, quod ſentias, aut re efficere, ſi poſſis, aut denique libera oratione defendere,

[1] ep. 4. l. 4. fa.

An. DCCVI.

[2] ep. 7. d. l. 4.

[3] ep. 9. d. l. 4.

[4] ep. 14. d. l. 4.

ne veſtigium quidem ullum erat reliquum nobis dignitatis:
agebatúrque præclarè, ſi noſmetipſos regere potuimus: ut
ea, quæ partim tunc aderant, partim impendebant mode-
[5] ep. 6. l. 9. fa. ratè ferremus. [5] Non enim eſt idem ferre, ſi quid fer-
[6] 5. Phil. endum eſt, & probare, ſi quid probandum non eſt. [6] Quid
populi Ro. majeſtas, quid ſenatus ſeveritas poſtulet, *in*
[7] pro Sext. ap. *turbata à nefariis civibus rep. video:* [7] ago auctoritate,
ago conſilio, ago per ſummum ordinem, ago exemplo bo-
[8] Ib. ap. norum ac fortium civium: [8] mihi licere volo, tutò eſſe in
[9] Ib. foro, in templo, in curia: & [9] vinci turpe puto, & de-
terreri. *At ereptis ſenatui gubernaculis, & poſita in unius*
voluntate ſumma rerum, non improbo conſilium Aſinii Polli-
[10] ep. 31. l. 10. fa. *onis: qui in bello civili* [10] compulſus eò, quò minimè vo-
lebat: Cæſarem, inquit, quòd me in tanta fortuna, modò
cognitum vetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi
ſumma cum pietate & fide: quæ mea ſententia gerere mihi
licuit, ita geſſi, ut optimus quiſque maximè probârit,
quod juſſus ſum eo tempore, id ita feci, ut appareret in-
vito imperatum eſſe. Cujus facti injuſtiſſima invidia eru-
dire me potuit, quàm jucunda libertas, & quàm miſera ſub
dominatione vita eſſet. *Habeo etiam quos ſequar alios: vi-*
[11] ep. 16. l. 9. fa. *deo* [11] philoſophis placuiſſe iis, qui mihi ſoli videntur vim
virtutis tenere: nihil eſſe ſapientis præſtare, niſi culpam.
Qua videor mihi dupliciter carere, & quòd ea cenſuerim,
quæ rectiſſima fuerunt: & quòd, cùm viderem præſidii non
ſatis eſſe ad ea obtinenda, viribus certandum cum valenti-
oribus non putârim. Ergo in officio boni civis, *& ſenatoris,*
certè non ſum reprehendendus. Ita fit, ut, & ſuperiorum
conſiliorum conſcientia, & ſecuti temporis moderatione me
conſoler: & illa, quæ acciderunt, ad fortunam transferam:
quam exiſtimo levem, imbecillam, ab animo firmo & gra-
vi, tanquam fluctum à ſaxo frangi oportere. Etenim, cùm
plena ſint monumenta Græcorum, quemadmodum ſapi-
entiſſimi viri regna tulerint, vel Athenis, vel Syracuſis:
cùm

cùm ſervientibus ſuis civitatibus fuerint ipſi quodammodo liberi : ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, ut neque offendam animum cujuſquam, nec frangam dignitatem meam. [12] *Honeſtè ſervit, qui ſuccumbit tempori.*

[12] Publius.

DE RELATIONIBUS, *et non enunciandis arcanis patrum conſiliis.*

CAP. XXXIII.

CONSUL *cujus* [1] vox debet eſſe in rep. princeps, *aut ultrò refert, aut* [2] flagitante *his* ſenatu *verbis, ut referat : Conſul* [3] refer ad ſenatum. *Non deſunt exempla.* [4] Nobis ſenatus frequens flagitavit triumphum. Sed Lentulus Conſul, quò magis ſuum beneficium faceret, ſimul atque expediſſet, quæ eſſent neceſſaria de rep. dixit ſe relaturum. Nos agimus nihil cupidè : eóque fuit noſtra pluris auctoritas. *Habe aliud :* [5] Planci litteræ redditæ ſunt frequente ſenatu Cornuto, cùm is frigidas ſanè & inconſtantes recitâſſet litteras Lepidi : ſub eas ſtatim recitatæ ſunt Planci, non ſine magnis quidem clamoribus. cùm enim rebus ipſis eſſent, & ſtudiis beneficiíſque in remp. gratiſſimæ : tum erant graviſſimis verbis, & ſententiis perſcriptæ. Flagitare ſenatus inſtituit Cornutum, ut referret ſtatim de Planci litteris. Ille ſe conſiderare ait velle : cùm ei magnum convicium fieret cuncto à ſenatu, quinque tribuni pleb. retulerunt. *Interdum etiam ſenatus, ne mora ſit in referendo, de aliis agi non patitur, donec de iis, quæ referri cupit, fiat relatio. De meo reditu cùm agi vellet,* [6] omnia ſenatus rejiciebat, niſi de me conſules primùm retuliſſent. Nam, [7] quacunque de re verbum facere cœperant, aut referre ad ſenatum, cunctus ordo reclamabat : oſten-

[1] 4. Catil.
[2] infra nu. 5.
[3] 1. Catil.
[4] ep. 11. l. 16. fa. An. DCCIV.
[5] ep. 16. l. 10. fa. An. DCCX.
v. cap. 23. nu. 69.
[6] pro Sext.
[7] in Piſ.

ostendebátque nihil esse consules acturos, nisi prius de me retulissent. *Quibus verò licitum sit referre, & cum patribus agere in senatu, hac nostra scies lege:* [8] CUM POPULO PATRIBUSQUE AGENDI JUS ESTO CONSULI, PRÆTORI MAGISTRO POPULI, EQUITUMQUE, EIQUE, QUEM PRODUNT PATRES CONSULUM ROGANDORUM ERGO: TRIBUNISQUE, QUOS SIBI PLEBES ROGASSIT, JUS ESTO CUM PATRIBUS AGENDI: IIDEM AD PLEBEM, QUOD CENSUERINT, FERUNTO. *Jam sequitur, ut de relatis, actisque in senatu non evulgandis, agamus.* [9] Silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere, perfecti auguris est: *arcana silere digni senatoris: efferre foras, hominis est nihil de dignitate, nihil de periculo cogitantis. Nostri patrum memoria tanta* [10] *charitate patriæ tenebantur, ut arcana consilia Patrum conscriptorum multis seculis nemo senator enunciaverit. Q. Fabius Max. tantummodo, & is ipse per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, P. Crasso rus petens domum revertenti in itinere narravit: memor eum triennio antè quæstorem factum, ignarúsque nondum à censoribus in ordinem senatorium electum, quo uno modo etiam his, qui jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen à consulibus objurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Ergo cùm Asiæ rex Eumenes amantissimus nostræ urbis bellum à Perse adversus populum Ro. comparari senatui nuntiâsset, non antè sciri potuit quid, aut ille locutus esset, aut patres respondissent, quàm captum esse Persen cognitum est. fidum erat & altum reip. pectus curia, silentiique salubritate munitum & vallatum undique: cujus limen intrantes, abjecta privata charitate, publicam induebant. Itaque, non dicam unum, sed neminem au-* *disse*

[8] 3. de Leg.

[9] 2. de Divin.

[10] Val. lib. 2. cap. 1.

diſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum.

QUIBUS RETARDARI *ſolent effugiis relata ad ſenatum, ſententiæ,* S.C^a^.

CAP. XXXIV.

ILLUD *Planci negotium, alia in more poſita illuſtrat, atque oſtendit relata impediri moris injectis per auſpicia, plebiſcita, & interceſſiones.* [1] Cùm Munatius Planci dediſſet mihi litteras, placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum prætorem urbis ejus deferremus, qui, quòd conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum. Senatus eſt continuò convocatus, frequénſque convenit propter famam, atque expectationem litterarum Planci. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto eſt pullariorum admonitu, non ſatis diligenter eum auſpiciis operam dediſſe. Itaque res dilata eſt in poſterum. *Cùm in exilio eſſem, ex Attici litteris intellexi,* [2] quoddam caput legis Clodium in curiæ poſte fixiſſe, ne referri, néve dici liceret. [3] P. Lentulus, ut eſt deſignatus, nunquam dubitavit ſententiam de ſalute mea, ſe & rep. dignam dicere. Cùm à tribuno pl. vetaretur, cùm præclarum caput recitaretur, ne quis ad ſenatum referret, ne quis decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, neu ſcribendo adeſſet: totam illam clauſulam proſcriptionem, non legem putavit: qua civis optimè de rep. meritus nominatim, ſine judicio, unà cum ſenatu reip. eſſet ereptus: *Tritum etiam eſt, ſæpè moras afferri, & relatis, & ſententiis, & ſenatuſconſultis* [4] longa oratione tollendo diem: *aut* [5] noctem ad deliberandum poſtulando: item per metum. At [6] voluntas ſenatus pro auctoritate haberi debet, cùm auctoritas impeditur metu. *Intercedere cuivis rei licet:* *re-*

[1] ep. 12. l. 10. fa.
[2] ep. 15. l. 3. Att.
[3] poſt. Red. in ſen.
[4] 3 de Leg.
[5] ſupra cap. 25. nu. 9. & pro Sext.
[6] ep. 7. l. 11. fa.

[7] ep. 15. l. 1. Att.
[8] ep. 2. l. 1. fa. v. cap. 51.
[9] 2. Agr. v. cap. 12 nu. 7.
[10] in Vat.
[11] Ib.
[12] 2. de Or.
[13] 2. Phil.
[14] 3. de Leg. An. DCXX.
[15] 2. Phil.

relationi, [7] legi, etiam quæ ex S. C. fertur, [8] ſenatus auctoritati etiam perſcriptæ: *quamtumvis ſæpè* [9] interceſſio ſtultitiam interceſſoris ſignificatura ſit, non rem impeditura. *Attamen* [10] interceſſioni parere oportet. *qui enim* [11] interceſſorem vi dejicit, *aut* [12] pellit ex templo, cùm intercedere vult, *aut alio modo* [13] interceſſionem negligit, *populi majeſtatem minuit: cujus eſt de interceſſione cognoſcere.* [14] Quid enim Ti. Gracchum aliud perculit, niſi quòd poteſtatem intercedendi collegæ abrogavit? quin per ipſum non ſolùm nexus, ſed etiam ſublatus interceſſor fuerat. [15] Quid aliud Cæſar dicebat, quam cauſam ſui dementiſſimi conſilii & facti afferebat, niſi quòd interceſſio neglecta, jus tribunitium ſublatum, circumſcriptus à ſenatu eſſet Antonius? qui, ut in ſeminibus eſt cauſa arborum & ſtirpium, ſic hujus luctuoſiſſimi belli ſemen fuit. Dum genus hominum, dum populi Ro. nomen exſtabit, Antonii illa peſtifera interceſſio nominabitur. Quid cupidè à ſenatu, quid temerè fiebat? cùm is unus adoleſcens univerſum ordinem decernere de reip. ſalute prohibuit, neque id ſemel, ſed ſæpius: neque *ipſe* ſecum de ſenatus auctoritate agi paſſus eſt. Quid autem agebatur, niſi ne deleri & everti remp. funditus vellet? cùm illum, neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens ſenatus agendo, de vendita atque addicta ſententia movere potuit.

QUOMODO CONSULITUR *ſenatus, rogantúrque ſententiæ?*

CAP. XXXV.

[1] 4. Cat.
[2] 3. Cat.
[3] 5. Phil.

[1] CONSUL prædicit, quæ ſunt conſulis; *& re* [2] expoſita, ſenatum conſulit, quid fieri placeat, *quidve cenſeat. Poſteà rogantur, dicuntúrque ſententiæ.* [3] Ordo in ſententiis rogandis is ſervari ſolet: conſul deſignatus more majorum

poſt

poſt comitia conſularia primùm rogatur: poſt hunc princeps ſenatus: qui [4] omnibus in rebus ornatiſſimus, & paratiſſimus eſſe debet. *Deinceps* [5] ſuo quiſque loco, [6] conſulari, prætorio, *ædilitio, aut quem rogare velit, qui habet ſenatum. Non tenuit ordinem* [7] M. Piſo conſul parvo animo, & pravo: nihil agens in rep. ſejunctus ab optimatibus. Memini ab illo primùm me non eſſe rogatum ſententiam, præpoſitúmque eſſe nobis C. Piſonem, pacificatorem Allobrogum: idque admurmurante ſenatu, neque me invito eſſe factum. Fui enim ab obſervando homine perverſo liber; & ad dignitatem in rep. retinendam, contra illius voluntatem ſolutus: & ille ſecundus locus in dicendo habuit auctoritatem penè principis, & voluntatem non nimis devinctam beneficio conſulis. Tertius fuit Catulus, quartus Hortenſius. [8] L. Piſo cos. me affinem ſuum cal. Jan. tertio loco ſententiam rogavit: C. [9] Panſa cos. cùm retuliſſet de honoribus, & præmiis benè de rep. meritorum, [10] Calenum generum [11] ſententiam *primùm* rogavit: qui ea probavit, ea decrevit, ea ſenſit, quæ fuerunt inimica & otio communi, & dignitati ſuæ. *à quo ita diſſenſi,* ut [12] legatorum mentionem nullam cenſuerim faciendam: rem adminiſtrandam ſine ulla mora, & confeſtim gerendam; tumultum decerni, juſtitium edici, ſaga ſumi dixerim oportere: dilectum haberi ſublatis vacationibus in urbe & in Italia, præter Galliam togatam. *Senator ad dicendum* [13] *ſurgit, veluti orator: & ſententia dicta aſſedit. Ad aſſentiendum tamen, ut ſurgat non eſt neceſſe.* [14] Nulla eſt à me unquam ſententia dicta in Metellum, etſi animo in me inimiciſſimo eſſet: quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens iis aſſenſi, qui mihi leviſſimè ſentire viſi ſunt. *Interrogari verò ſenator poteſt, & interrogare, atque dicere quàm velit diu, de re qualibet.* [15] Meſſala cos. in ſenatu de Pompeio quæſivit, quid de religione & de promulgata rogatione contra Clodium ſentiret. locutus eſt ita in ſenatu: ut omnia illius

ordinis

[4] 1. Ver. ap.
[5] ep. 2. l. 4. Att.
[6] ep. 21. l. 12. Att.
[7] ep. 12. l. 1. Att. An. DCXCII.
[8] poſt Red. in ſen. & in Piſ. An. DCXCV.
[9] 5. Phil. An. DCCX.
[10] 8. Phil.
[11] 10. Phil.
[12] 5. Phil. An. DCCX.
[13] v. infra nu. 15. et 2. de ci.
[14] ep. 2. l. 5. fa.
[15] ep. 13. l. 1. Att. An. DCXCII.

° generaliter. ordinis consulta ° γενικῶς laudaret : mihíque, ut assedit, dixit se putare satis abs se etiam de nostris rebus responsum. Crassus posteaquam vidit illum accepisse laudem ex eo, quòd suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissiméque de meo consulatu locutus est : ut ita diceret, se, quòd esset senator, quòd civis, quòd liber, quòd viveret, mihi acceptum referre : quoties conjugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se benefici-
[16] ep. 4. l. 8. fa. um meum videre. [16] Cùm senatus habitus esset ad Apollinis a. d. XI. cal. Sextiles, & referretur de stipendio Cn. Pompeii : mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quo appellaretur, cùm ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem adducturum, sed non statim sub mentionem & convicium obtrectatorum. Inde interrogatus est de successione C. Cæsaris : de qua, hoc est de provinciis, placitum est, ut quàm primùm ad urbem reverteretur Cn.Pompeius: ut coram eo de successione provinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & statim iit. In disputando conjecit illam vocem Cn. Pompeius, omnes oportere senatus dicto audientes esse. *Ut alio tempore Pompeius interrogatus est in senatu, & acerbè responderit,*
v. cap. 51. [17] 1. Phil. *suo dicam loco. Potest etiam ipse consul interrogari.* [17] M. Antonius consul in æde Telluris summa constantia ad ea,
[18] 5. Phil. quæ quæsita erant, respondebat. *Posteà* [18] vehemens & vi-
[19] 1. Phil. olentus consuetudinem liberè dicendi exclusit : [19] Omnis eum, quæ habebatur contra voluntatem ejus oratio, graviter
[20] Ib. offendebat, etiamsi nulla inesset contumelia. [20] Irasci pro
[21] Ib. rep. dicenti non oportet. *Senatoris est suam* [21] consuetudinem tenere, id est liberè, quæ sentiat de rep. dicere.

QUÆ

QUÆ NOSSE SENATOR *debeat? duplex peritia, una à doctrina & uſu: altera ab ingenio, & varia rerum tractatione.*

CAP. XXXVI.

[1] AD conſilium de rep. dandum, caput eſt, noſſe remp. ac ſimul [2] tota mente, omníque animi impetu in remp. incumbere. Nihil eſt, quod *ſenatori* majori fructui, gloriæque eſſe poſſit, nec quidquam ex omnibus rebus humanis eſt præclarius, quàm de rep. benè mereri. Nam [3] ſi nos, id quod maximè debet, noſtra patria delectat, cujus tanta eſt vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam, ſapientiſſimus ille vir immortalitati anteponeret: quo tandem animo inflammati eſſe debemus in ejuſmodi patriam, quæ una omnibus in terris domus eſt virtutis, imperii, dignitatis? Cujus primùm nobis mens, mos, diſciplina nota eſſe debet: vel, quia eſt patria parens omnium noſtrûm: vel, quia [4] ſicut medico diligenti priuſquam conetur ægro adhibere medicinam, non ſolùm morbus ejus, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt: *ſic adhibitus ſenator ad ſananda vulnera, quæ ſunt impoſita reip.* [5] omni mente in ea cogitatione curáque verſari debet, ut ſciat quid ſit è rep. quid contra remp. ſalutemque bonorum, concordiámque civium. [6] Quod ergo noſtra lex addit: CAUSAS POPULI TENETO—eſt ſenatori neceſſarium noſſe remp. idque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios: qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum. Eſt quidem genus hoc omne ſcientiæ, diligentiæ, & memoriæ, ſine quo paratus eſſe

ſenator

[1] 2. de Or.
[2] ep. 5. l. 10. fa.
[3] 1. de Or.
[4] 2. de. Or. ap.
[5] Ib.
[6] 3. de Leg.

ſenator nullò pacto poteſt. [7] An quiſquam eum ſenatorem putet, qui ejus civitatis, in qua principum numero vult eſſe, non leges, non mores, non jura, non memoriam [8] antiquitatis, non ſenatoriam conſuetudinem, non diſciplinam reip. nec jura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſam imperii noverit. *Sic enim ſe res habet, ut licet qui magiſtratum geſſerint in ſenatum veniant, legíque poſſent, & in his ſint, qui ſententiæ jus ſic habeant, ut non rogentur, ſed in principum diſcedant ſententias: ſenatores tamen non ſunt, niſi à cenſoribus in ſenatum legantur.* [9] Virtus, probitas, integritas in candidato, non ſcientia requiri ſolet. Ut nos in mancipiis parandis, ſi emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo niſi frugalitatem, laborem, vigilantiam eſſe curamus: ſic populus Ro. deligit magiſtratus, quaſi reip. villicos: in quibus, ſi qua prætereà eſt ars, facilè patitur: ſin minùs, virtute eorum, & innocentia contentus eſt. Cenſores verò quærunt ſenatorem, [10] qui ad remp. moderandam uſum, & ſcientiam, & ſtudium ſuum contulit. *quod intuens noſter Craſſus, eum,* [11] qui quibus rebus utilitas reip. pareretur, augeretúrque, teneret, iíſque uteretur: reip. rectorem, & conſilii publici auctorem eſſe habendum duxit. [12] Equidem ſæpè hoc audivit de patre & ſocero *ſuo,* noſtros *ſenatores,* qui excellere ſapientiæ gloria vellent, omnia, quæ quidem tum hæc civitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant illi Sext. Ælium: M. verò Manilium ipſe etiam vidit tranſverſo ambulantem foro. quod erat inſigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus conſilii ſui copiam. ad quos olim, & ita ambulantes, & in ſolio ſedentes domi, ſic adibatur: non ſolùm, ut de jure civili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Hæc fuit P. Craſſi illius veteris, hæc T. Coruncanii prudentiſſimi hominis ſapientia, qui pontifices maximi fuerant,

[7] in Piſ.

[8] 1. de Or.

[9] pro Planc. v. cap. 22. nu. 28.

[10] 1 de Or. ap.

[11] Ib.

[12] 3. de Or.

erant, ut ad eos, de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidémque & in ſenatu, & apud populum, & in cauſis amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum, fidémque præſtabant. Quid enim M. Catoni præter hanc Politiſſimam doctrinam tranſmarinam atque adventitiam defuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior ſenator, idem facilè optimus imperator. Denique nihil in hac civitate temporibus illis ſciri, diſcíve potuit, quod ille non, cùm inveſtigârit, & ſciêrit, tum etiam conſcripſerit. Nunc contrà plerique ad honores adipiſcendos, & ad remp. gerendam nudi veniunt, atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Sin aliquis excellit unus è multis effert ſe, ſi unum aliquid effert, aut bellicam virtutem, aut uſum aliquem militarem (quæ ſanè nunc quidem obſoleverunt) aut juris ſcientiam (ne ejus quidem univerſi: nam pontificium, quod eſt conjunctum, nemo diſcit) aut eloquentiam, quam in clamore, aut in verborum curſu poſitam putant: omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocietatem cognationémque non norunt. *At certè, ſi quod conveniat exquirere volumus: ut in judiciis oratori juris civilis ſcientia neceſſaria eſt: ſic in ſenatu antiquitatis memoria, & publici juris auctoritas, & regendæ reip. ratio ac ſcientia iis, qui in rep. verſantur, nota eſſe debet. Ac, ne in his quidem hac ætate noſtri imperiti fuerunt, ne ii, qui bella geſſerunt. quorum ea fuerunt ingenia atque ſtudia, ut in quibuſdam* [13] liberalis & digna homine nobili percepta doctrina non deſideraverit indocilem uſus diſciplinam: *in aliis, peritia uſúſque rerum non quæſiêrit magnum optimarum artium ſtudium. Numero illo fuit L. Lucullus, qui* [14] tantus imperator in omni genere belli fuit, prœliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiúſque belli inſtrumentis & apparatu, ut rex poſt Alexandrum maximus Mithridates hunc à ſe majorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum, quos legiſſet fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in conſti-

[13] in Lucul.

[14] Ib.

tuendis temperandíſque civitatibus, tanta æquitas, ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis. *Eodem in genere fuit Cæſar nulli inferior* [15] ratione, ingenio, memoria, cura, cogitatione, diligentia, litteris: & his quidem [16] reconditis & exquiſitis: [17] rebus bello geſtis, quamvis reip. calamitoſis, attamen magnis. *Altero in genere Marius, Sylla, Pompeius fuit: & hi non tam doctrina, quàm uſu, ingenio & voluntate præſtantes: ſæpè in gravibus de rep. conſiliis, præcipuè in* [18] exquirendis conditionibus civitatum, atque cauſis: in fœderibus, & in toto jure pacis & belli, juris peritiſſimis anteferendi. *Scitè ad populum Marius,* [19] *plerumque evenit, ut quem vos imperare juſſiſtis, is ſibi imperatorem alium quærat. Atqui ego ſcio, qui poſtquam conſules facti ſunt, acta majorum, & Græcorum militaria præcepta legere cœperunt, præpoſteri homines. Nam gerere, quàm fieri tempore poſterius, re atque uſu prius eſt. Quæ illi audire, & legere ſolent, eorum partem vidi, alia geſſi: quæ illi litteris, ea ego didici militando.* [20] Quæ fuerit Cn. Pompeii gravitas in dicendo, *cùm Balbum defenderet,* quæ facultas, quæ copia non opinione tacita amicorum, ſed perſpicua admiratione declarari videbatur. Nihil enim unquam audivi, quod mihi de jure ſubtilius dici videretur, nihil de more majorum, de exemplis acutius, nihil peritius de fœderibus: nihil illuſtriori auctoritate de bellis, nihil de rep. gravius: nihil de ipſo modeſtius, nihil de cauſa & crimine ornatius. ut mihi tunc verum videretur illud eſſe, quod nonnulli litteris, ac ſtudiis doctrinæ dediti, quaſi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitùs comprehendiſſet, omnia, quæ facere vellet, facillimè tractare. *Initio belli civilis,* [21] cùm multum, & accuratum ſermonem mecum haberet de ſpe pacificationis: etſi mihi crebrò [o] ξυνὸς ἐνυάλιος occurrebat, tamen levabar cura, virum fortem, & peritum, & prima auctoritate valentem

[15] 2. Phil.
[16] in Br.
[17] 2 Phil.
[18] pro Bal.
[19] Salluſt. in Bel. Jugur.
[20] pro Bal.
[21] ep. 8. l. 7. Att.
[o] Communis mars.

lentem audiens [o] πολιτικῶς de pacis ſimulatæ periculis diſſerentem. [22] Aſſiduus uſus uni rei deditus, & ingenium, & artem ſæpè vincit. [o] Civiliter. [22] pro Bal.

De Deliberationibus: *cujusmodi ſoleant eſſe? Quem ſibi finem proponere conveniet ſenator in deliberando?*

CAP. XXXVII.

[1] DELIBERATIONES, quæ habentur in ſenatu, partim hujuſmodi ſunt, ut quæratur *quid faciendum?* *ut L. Paullo & C. Marcello Coſs. de provinciis conſularibus: partim hujuſmodi, ut quæratur, quemadmodum faciendum?* *ut cùm Cato* [2] ſenatui, non modò, quæ eſſent gerenda præſcriberet, ſed quo modo Carthagini reſiſteretur bellum cogitanti, denunciaret: *etſi* de [3] bello Punico, aliud L. Lentulo videretur: [4] partim hujuſmodi, ut quæratur, utrum potius faciendum ſit, *ut in ſenatu* de Carthagine delenda, an relinquenda? *Item in diſſenſione Cæſaris & Pompeii, an abſentis* [5] ratio habenda eſſet necne? *& in bello cœpto contra Cæſarem: an* [6] urbs retinenda necne? [7] partim hujuſmodi, ut quid potiſſimùm ſit conſideretur, *ut cùm deliberaretur de pœna ſumenda de traditis in cuſtodiam ſociis Catilinæ: utrum in exilium mittendi, an in vinculis retinendi, & ſola vita reliquenda, an morte multandi? Prætereà* [8] deliberationes partim ipſæ propter ſe conſultandæ ſunt: ut [o] *illa* ſenatus de captivis ab hoſte redimendis poſt Cannenſem pugnam: partim propter aliquam extraneam cauſam, ut [o] *illa* ſenatus bello Italico, ſolverétne legibus Scipionem, ut eum liceret ante tempus conſulem fieri: partim, & propter ſe ſunt deliberandæ, & magis propter extraneam cauſam: ut [o] *illa* ſenatus bello Italico, ſociis civitatem daret, an non? [9] Omnem intereà deliberationem eorum, qui ſententiam dicent,

[1] 3 ad Her. ap. An. DCCIII.
[2] in Cat. An. DCIII.
[3] 3. Tuſc.
[4] 3. ad Her.
[5] ep. 9. l. 7. Att.
[6] ep. 11. l. 7. fa. & ep. 2. & 15. l. 8. Att.
[7] d. l. 3. ad Her. An. DCXC.
[8] 3. ad Her.
[o] An. DXXXVII.
[o] An. DXLVII.
[o] An. DLXIII.
[9] Ib.

dicent, finem sibi conveniet utilitatis proponere: ut omnis eò totius orationis ratio conferatur *in consilio dando sententiáque dicenda:* [10] & illa prima sint videnda, quid aut fieri possit, aut non possit: & quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam & si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit: & si quid necesse est, [11] id pertinebit, aut ad honestatem, aut ad incolumitatem: aut ad commoditatem. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis: huic proxima incolumitatis: tertia ac levissima commoditatis: quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. [12] Si tamen necesse id est, sine quo salvi liberíve esse non possumus, id, est reliquis, & honestatibus in civili ratione, & commodis anteponendum. Cùm autem quæritur quid fieri possit, videndum etiam est, quàm facilè possit. Nam quæ perdifficilia sunt, proinde habenda sæpè sunt, ac si effici non possint. Et, cùm de necessitate attendemus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quàm sit magnum: quod enim permagnum est, pro necessario sæpè habetur. [o] *Faxis ut libeat, quod est necesse. Jam ut de utilitate dicamus, quæ in discernendis bonis, malisque versatur* [13] hæc in duas partes in civili consultatione dividitur: tutum & honestum. Tuta est, quæ conficit instantis, aut consequentis periculi vitationem qualibet ratione. Honesta res dividitur in rectum, & laudabile. rectum est, quod cum virtute & officio fit: laudabile est, quod conficit & præsentem & consequentem commemorationem. [14] Sed quia temporibus, quæ vim habent maximam, persæpè evenit, ut utilitas cum honestate certet, earúmque rerum contentio plerumque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem, relinquantur: *meminerit senator, se in* [15] senatu dicere, qui nunquam utilitatem à dignitate sejungit: *etsi peccandum sit, non in eam, ut* [16] bestiæ, peccet partem,

[10] in Part.
[11] 2. de Inv.
[12] in Part.
[o] Publius.
[13] 3. ad Her.
[14] in Part.
[15] 3. Off.
[16] pro R. Am.

partem, quæ est cautior, *sed quæ honestior: nec committat, ut videatur sentire, nedum dicere,*[17] faceréve, quod sciat non licere: vel omnino nescire, quid liceat.[18] Omnino etiam hoc deliberantium genus pellatur è medio (est enim totum sceleratum & impium) qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent? In ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt in quibus est turpis ipsa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione, celandi & occultandi spes, opinióque removenda est. satis enim nobis persuasum esse debet, si omnes deos, hominésque celare possimus, si ipsum Gygis annulum habeamus, nihilo plus nobis licere putandum peccare, quàm si non haberemus. honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur: iísque satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit.[19] Quamquam id quidem cùm sæpè aliàs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio consule iterum, & à senatu nostro judicatum est. Cùm enim rex Pyrrhus populo Ro. bellum ultrò intulisset, cúmque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, perfuga ab eo venit in castra Fabricii: eíque est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus laudatum à senatu est. Atqui si speciem utilitatis, opinionémque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus & gravem adversarium imperii sustulisset. sed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuisset: eum non virtute, sed scelere superatum. utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam *(ut dixi)* utilitatem à dignitate sejunxit, armis cum hoste certare, an venenis. Si gloriæ causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria:

[17] pro Bal.

[18] 3. Off.

[19] Ib. v. cap. 16. nu. 7.

ria: sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt esse utiles cum infamia. Malè Curio, quum causam Transpadanorum æquam esse dicebat: semper etiam addebat, VINCAT UTILITAS. potius diceret non esse æquam, quia non esset utilis reip. quàm, quum æquam esse diceret, non esse utilem fateretur.

DE LIBERTATE SENATORIS *Ro. in sententiis dicendis, & tuenda rep.*

CAP. XXXVIII.

[o] Sen. in Hip. act. 2.

[o] *Ingenia melius recta se in laudes ferunt,*
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

[1] 7. Phil. [2] Ib. [3] 2. de Or. [4] 10. Phil. [5] Ib. [6] pro Plan.

[1] TURPE est summo concilio orbis terræ, in re ulla consilium intelligi deesse. *Turpe senatori* [2] tanti honoris nomen nolle, aut non posse sustinere. [3] Nemo est præsertim in tam clara civitate, quin putet, & expetendam maximè, & retinendam dignitatem: sed vincit utilitas plerumque, cùm subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse sustineri. *At nemo,* [4] aut sapientior ad conjecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior, *aut in dicendo liberior, aut libertatem civium tuendam paratior esse debet senatore Ro.* [5] Omnes nationes servitutem ferre possunt: nostra civitas non potest: nullam ob causam, nisi, quòd illi laborem, dolorémque fugiunt: quibus ut careant, omnia perpeti possunt: nos ita à majoribus instituti atque imbuti sumus, ut omnia consilia ad dignitatem, gloriam, & virtutem referremus. *Hæc sunt illa veterum, quæ in plurimis desidero.* [6] Ubi est ille mos, illa consuetudo senatoria, illa æquitas juris, illa antiqua libertas: quæ malis oppressa civilibus extollere jam caput,

caput, & aliquando recreata ſe erigere deberet? Quid uſque eò oppreſſa arrogantia civitas eſt, ut quæ fuit olim præconi Grannio in ridendo, nunc ſenatori Ro. in plorando non ſit conceſſa libertas? [7] App. Claudius, quem cæcum & ſenem in ſenatum delatum memoriæ proditum eſt, [8] quum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho, fœdúſque faciendum, non dubitavit illa dicere, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius.

[7] 1. Tuſc. An. CCCCLXXIV.
[8] in Cat.

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementes, ſeſe flexêre viai?

Cæteráque graviſſimè. notum enim carmen eſt: & ipſius Appii exſtat oratio: *qua* [o] ſenatum jamjam inclinatum à Pyrrhi pace revocavit. *Magnus vir Appius: nec minor Q. Scævola augur.* [9] *Sylla occupata urbe ſenatum armatus coegerat, ac ſumma cupiditate ferebatur, ut C. Marius quàm celerrimè hoſtis judicaretur: cujus voluntati nullo obviam ire audente, ſolus Scævola interrogatus hac de re ſententiam dicere noluit: quando etiam truculentiùs ſibi minitanti Syllæ: licet, inquit, mihi agmina militum quibus curiam circumſediſti, oſtentes: licet mortem identidem miniſteris: unquam tamen efficies, ut propter exiguum ſenilémque ſanguinem meum, Marium, à quo urbs & Italia conſervata eſt, hoſtem judicem. Quæ fuerit etiam ſenatoris Ro. in dicendo libertas, quæ magnitudo animi, quæ gravitas, quæ ſapientia, cùm cauſam haberet, in qua & voluntatem poſſet ſuam, & virtutem declarare, oſtendit gravitas* [10] M. Scauri: quem nunquam ulla vis, ullæ minæ, ulla invidia labefecit: perſeverantia Q. Metelli, qui, cùm in eam legem, quam non jure rogatam judicârat, jurare unus noluiſſet, de civitate maluit, quàm de ſententia dimoveri: conſtantia Q. Catuli, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit unquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu demovere. [11] Is enim liberè reprehendere & accuſare populi nonnunquam temeritatem ſolebat, aut errorem ſenatus. *Sileo, quæ dici*

[o] in Brut.
[9] Val. cap. 8. lib. 3. An. DCLXV.
[10] pro Sext. An. DCLIII.
[11] Ib.

poſſent

poſſent de M. Antonio, Sulpicio, & aliis: quibus [12] ferro vita erepta eſt, & pœna *liberioris linguæ*, non ſine magno reip. malo conſtituta. Quid memorem Craſſum, quem cùm vitæ flore, tum mortis opportunitate, divino conſilio & ortum & extinctum eſſe arbitror. Nam ei, aut virtute animi, conſtantiáque ſua ſubeunda crudelitas: aut, ſi qua eum fortuna ab atrocitate mortis vindicâſſet, eadem eſſe illum funerum patriæ ſpectatorem coegiſſet. *Venio ad noſtra tempora, quibus ſi multi* [13] Catones eſſent in civitate noſtra, in qua unum exſtitiſſe mirabile eſt, quem ego cum eo conferrem: [14] qui in ſententiis dicendis, non modò iis, quos vidimus, ſed iis, de quibus audivimus omnibus anteferendus eſt. [15] Conſule me dixit eam ſententiam, cujus invidiam capitis periculo ſibi præſtandam videbat. At in tribunatu Clodii, cùm Cyprius miſer eſt publicatus, cur rogationi paruit? quaſi verò ille non in alias quoque leges, quas injuſtè rogatas putârat, jam antè jurârit. Non obtulit ſe ille iſtis temeritatibus, ut cùm reip. nihil prodeſſet, ſe cive remp. privaret. [16] Ille mihi unus fuit pro centum millibus: [17] *etſi* cum *eo* ſæpè diſſenſerim *(at ſine acerbitate, ſine invidia) quòd nolens ſervire tempori,* [18] noceret interdum reip. atque [19] à ſenatu & ordinem conjunctiſſimum, & hominem clariſſimum abalienaret. *Quid de aliis dicam ſenatoribus, qui me coſ. floruerunt. aut iis, qui in diſſenſione Cæſaris & Pompeii, non niſi ſe digna & ſentire & defendere voluerunt?* [20] qui, ſi omnes viverent, bellum omnino civile non fuiſſet: auctoritati ceſſiſſet audacia. ſed quantum præſidii fuerit in cæteris, hinc intelligi poteſt, quòd ego unus relictus è multis, contudi & fregi, adjuvantibus viris fortibus, exultantis prædonis audaciam.

> [21] *Ociùs ite viri, & naſcentem exſtinguite flammam:*
> *Ne ſeræ redeant poſt aucta pericula curæ.*

[12] 3. de Or. An. DCLXVI.
[13] ep. 6. l. 15. fa.
[14] ep. 4. d. l. 15.
[15] pro Sext. v. c. 41. nu. 2.
v. c. 24. nu. 49.
[16] ep. 5. l. 2. Att.
[17] 3. Off.
[18] ep. 1. l. 2. Att.
[19] ep. 8. l. 1. fa. v. cap. 39.
[20] 13. Phil.
[21] Silius lib. 1.

In

IN QUO EST POSITA *ſenatoria libertas?*

CAP. XXXIX.

OMNES, *quibus propoſitum eſt vigiles ſe præſtare* [1] propugnatores reip. & in ſenatu, [2] quæ ipſis viſa erunt dicere, *ſibi magna debent ſubſidia comparare: ut* [3] ſoluti à cupiditatibus, cauti in periculis, non timidi, *nec nimii* in contentionibus. [4] ab animi perturbatione liberi, nulla re impediti poſſint [5] ea probare, decernere, ſtatuere, quæ ſunt amica, & communi otio, & dignitati ſuæ. [6] Sudandum quippe eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro rep. tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum: *& contra eorum voluntatem de iis, quæ ad remp. pertinent ſtatuendum, decernendúmque liberè.* [7] Sed ad hujuſce verbi vim, & interpretationem vehementer opus eſt ſapientia. Verſatur enim magnus error propter nonnullorum pertinaciam, qui libertatem, quam in ſenatore requirimus, non in *moderatione & judicio, ſed in quadam vel ſeveritate morum, vel audacia, vel nimia perſeverantia, vel infinita licentia, bonis inimica moribus & conſiliis, poſitam exiſtimant: quaſi* [8] audacia pro ſapientia liceret uti: *aut libertatis* ea eſſet majeſtas (ut Sylla voluit) ut in quemvis impunè declamare liceret: *aut erudiendus foret ſenator* à [9] Stoicis in illa correctione veteris Philoſophiæ, quæ omnino aditum habere nullum poteſt in urbem, in forum, in curiam: *vel* [10] à Platone de fide & juſtitia diſputante, qui cùm hæc exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem (uſque eò illa, quæ dicenda de juſtitia putabat, à vitæ conſuetudine, & à civitatum moribus abhorre-

[1] ep. 10. ad Brut.
[2] 1. Phil.
[3] v. cap. 26. nu. 11.
[4] 1. Off.
[5] 10. Phil. ap.
[6] pro Sext.
[7] 2. Agr. ap. & pro Plan.
[8] ep. ult. l. 1. fa. & ep. 11. l. 3. fa.
[9] 1. de Fin.
[10] 1. de Or.

[11] 3. de Or. An. DCLXI. horrebant) vel à [11] magiſtris dicendi, quos *Craſſus* cenſor edicto ſuo ſuſtulerat: non quo (ut neſcio quos dicere aiebant) acui ingenia adoleſcentium nollet: ſed contrà ingenia obtundi noluit, corroborari impudentiam. Nam apud Græcos cujuſmodi eſſent, videbat tamen eſſe, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam, & humanitate dignam ſcientiam: hos verò novos magiſtros nihil intelligebat poſſe docere, niſi ut auderent. Hoc cùm unum traderetur, & cùm impudentiæ ludus eſſet, putavit eſſe cenſoris, ne longius id ſerperet, providere. *Jam, ut dicam de*
[12] 1. de Or. ap. *Romano ſenatore, ejúſque libertate:* [12] ſic ego ſtatuo, fortis & conſtantis ſenatoris moderatione & ſapientia, non ſolùm ipſius dignitatem: ſed & privatorum plurimorum, & uni-
[13] in Or. ap. verſæ reip. ſalutem maximè contineri. *Itaque* [13] magni judicii, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator hujus *libertatis*. Nam judicabit, quid opus ſit, *quid deceat, quid ſenatoria dignitas, quid res, quid tempora reip. poſtulabunt fieri, dicíve.* In omnibúſque rebus videndum erit quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimiùm, quàm parùm. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. Magnus eſt hic locus, cùm aliud totum ſit, utrum decere, an oportere dicas. oportere enim perfectionem declarat officii, quo & ſemper utendum eſt, & omnibus: decere, quaſi aptum eſſe, conſentaneúmque tempori & perſonæ: itémque contrà dedecere. Quod ſi poeta fugit, ut maximum vitium, *itémque* pictor: ſi hiſtrio quid deceat quærit, quid *ſenatori* faciendum putemus? *cui quæ conveniant, quæ incumbant,* magnum volumen deſide-
[14] pro Sext. rant: *cum hæc ei* [14] publicæ dignitatis fundamenta, hæc membra & tuenda, & vel capitis periculo defendenda ſint: Religiones, poteſtas magiſtratuum, ſenatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, juriſdictio, fides, provinciæ, ſocii, imperii laus, res militaris, ærarium. Harum rerum

tot

tot atque tantarum eſſe defenſorem & patronum, magni animi eſt, magni ingenii, magnæ conſtantiæ, *atque conſilii. Et verò non aliter* [15] hanc perſonam, & has partes, honoribus populi Ro. ſenatúſque plurimis ornamentis ſibi tributas, ſuſtinere poterit, quàm [16] ſi ſtatuat reip. dignitatem, & ſalutem provinciarum atque ſociorum, ſuis omnibus commodis & rationibus præferri oportere: *atque ita ſe gerat, ut* [17] ſua conſilia cuique probet, *in ſenatu liberè ſine ulla cupiditate ſententiam dicat:* [18] maneat in laudabili ſententia: nullius vim, aut minas pertimeſcat: magnitudinémque animi, ne unquam flectat cujuſquam injuria: *Denique* [19] ſuum eſſe putet, ita vivere, ut non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ulli ſerviat: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere: in ſenatu ſentire liberè: populi utilitati magis conſulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obſiſtere. [20] Hæc ego, ſi aut aſpera, atque ardua, aut plena eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar: præſertim, cùm id, non modò intellexerim ſemper, ſed etiam præter cæteros ſenſerim. Majoribus præſidiis & copiis oppugnatur reſp. quàm defenditur: propterea quòd audaces homines & perditi metu impellantur: & ipſi etiam ſua ſponte contra remp. incitentur: boni neſcio quo modo tardiores ſint, & principiis neglectis ad extremum ipſa denique neceſſitate excitentur: ita, ut nonnunquam cunctatione ac tarditate, dum otium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi utrumque amittant. Propugnatores autem reip. qui eſſe voluerunt, ſi leviores ſunt, deſciſcunt: ſi timidiores, deſunt: permanent illi ſoli, atque omnia reip. cauſa perferunt, qui ſunt tales, qualis fuit M. Scaurus, Q. Metellus, Q. Catulus, [o] & heros ille noſter Cato. Hos imitatur, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quærit: *cum his, &* [21] ſecum ipſe certat: [22] ſenſum in rep. rectum & confirmatum non deponit: [23] mercede ad officium non impellitur, *ſed deſiderio*

tuendæ

[15] de Har. R.
[16] pro Man. ap.
[17] pro Sext.
[18] pro Man.
[19] pro Sylla.
[20] pro Sext.
[o] ep. 16. l. 1. Att.
[21] ep. 19. l. 14. Att.
[22] ep. 8. l. 1. fa.
[23] 4. Ac. ap.

24 ep. 20. l. 11. fa. *tuendæ reip.* [24] Nunquam extimescit, nunquam perturbatur: neque metuit quicquam, & cavet omnia: *in sententia dicenda non paret dolori suo, nec iracundiæ servit: ne*
25 in Orat. *suis quidem utilitatibus, aut desiderio cujusquam* [25] in veritate
26 ep. 3. lib. ad Br. crimen arrogantiæ pertimescit: [26] quod nondum senatus censuit, nec populus Ro. jussit, id arroganter non præjudicat, neque revocat ad arbitrium suum: *semper meminit, uti*

27 Claud. in Manlii Theodori cons.

[27] peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit: mandatáque fortius urget.
Imperiosa quies.

28 1. Off. [28] Nihil studiosè de aliquo detrahendi causa, aut ridicu-
29 ep. 5. ad Br. ap. lum, aut severè, maledicè, contumelioséve dicit. [29] quod ego ad officium *& senatorium,* & privatarum *ejus* rerum
30 Or. in Sal. v. cap. 45. æquè, atque ullam rem pertinere arbitror. [30] sæpè enim gravius vidi offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia apertè dixerunt: quàm qui commiserunt. *Pertina-*
31 2. de Fin. ap. *ciam refugit: calumnia dicendi tempus non eximit:* [31] nihil fingit: nec ea dicit, quæ non sentit: ne ut vestitum, sententiam habeat aliam domesticam, aliam forensem: ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. *Senatori quidem gravi* eæ veræ videntur opiniones, quæ honestæ, quæ laudabiles, quæ gloriosæ, quæ in senatu, quæ apud populum, quæ in omni cœtu, consilióque proferendæ sunt.
32 2. Tusc. [32] Nullum theatrum virtuti conscientia majus est. [33] In
33 1. Off. contentionibus etiam illis, quæ cum inimicissimis fiunt, quantumvis indigna audiat, gravitatem retinet, iracundiam
34 2. de Or. ap. repellit. [34] In quo etiam illud assequitur, ut si quis ei
35 1. Off. malè dicat, petulans, aut planè insanus esse videatur. *In dicendo non commovetur.* [35] quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec iis, qui ad-
36 1. de Fin. sunt, probari. [36] Maledicta, contumeliæ, iracundiæ, contentiones, concertationésque in dicendo pertinaces, indignæ

mihi

mihi philosophia videri solent: *quid sapientia, & dignitate senatoria?* [37] cujus est non infinitis concertationúmque plenis disputationibus, sed auctoritate, ratione, consiliis *suadere, decernere. Siquidem in orbis terræ consilio* [38] suadere aliquid, aut dissuadere, non nisi gravissimæ est personæ. *Nam &* [39] intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid effugerit: [40] & sapientis est consilium explicare suum de maximis rebus: & honesti & diserti, ut mente prævidere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Atque hæc in senatu minore apparatu agenda sunt. Sapiens enim est consilium, multísque aliis dicendi relinquendus locus. *Huc pertinct illa* [41] gravis & præclara lex: QUÆ CUM POPULO; QUÆQUE CUM PATRIBUS AGENTUR, MODICA SUNTO. SENATORI, QUI NEC ADERIT, NEC LOCO, NEC MODO DIXERIT: AUT CAUSA, AUT CULPA ESTO. CAUSAS POPULI TENETO. [42] MODICA SUNTO: Id est modesta, atque sedata. auctor enìm moderatur & fingit, non modò mentes ac voluntates, sed penè vultus eorum, apud quos agit. Quod in senatu non difficile est. est enim ipse senator is, cujus non ad auctoritatem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic jussa tria sunt, ut adsit. nam gravitatem res habet, cùm frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus. Nam brevitas non modò senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia: nec est unquam longa oratione utendum, nisi aut cùm spectante senatu, quod fit ambitione sæpissimè, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est: aut cùm tanta causa est, ut opus sit oratoris copia, vel ad hortandum, vel ad docendum, quorum generum in utroque magnus noster Cato fuit.

[37] 1. de Or.
[38] 1. de Or.
[39] 4. Tusc.
[40] 2. de Or.
[41] 3. de Leg.
[42] Ib.

IN

In quo est posita *constantia senatoria?*

Cap. XL.

[o] *Surge age, & in duris haud unquam defice: cœlo*
Mox aderis, téque astra ferent.

[o] Val. Flaccus lib. 5.

[1] 1. Off.

[2] Ib.

[3] 2. de Inv.

[4] 1. Off.

[5] 12. Phil.

[1] NIHIL est, quod tam senatorem decet, quàm in omni re gerenda consilióque capiendo servare constantiam. *In quo plura sunt tenenda* : [2] primùm habenda ratio in deligendo, ut ad id, quod melius est, consilium omne conferat, in eóque constantiam teneat : id enim maximè decet, nisi fortè se intellexerit errare in deligendo. quod si acciderit, facienda consiliorum mutatio est : *ne si processerit, fallatur* [3] pertinacia, quæ *constantiam imitando progreditur in errore, uti* perseverantiæ finitima. *Hæc è contrario* in ratione benè considerata, stabilis, & perpetua permansio est: *altis nixa radicibus : fortitudinis, in rebus arduis : patientiæ, in acerbis : prudentiæ, in delectu habendo bonorum & malorum. Deinde sciendum plerúmque accidere, ut quamvis in eligendo erratum non sit, ab instituto tamen sit recedendum, parendúmque temporibus, rebus, personis. Ex quibus, cùm oporteat consilia & capere, & suscepta moderari, omnia momenta erunt ponderanda : ut, quæ fuerunt utiliter susceptæ rerum actiones, si hujusmodi permaneant, teneantur : sin cœperint obesse, vel esse* [4] periculosæ, aut iis, qui eas susceperunt, aut reip. dimittantur. [5] Omnino, si est erratum ulla spe, aut re falsa atque fallaci, redeundum in viam.

[o] Sen. in Hipp.

[o] *Obstare primum est velle, nec labi via :*
Pudor est secundus, nosse peccati modum.

Optimus

Optimus eſt portus pœnitenti mutatio conſilii. [6] Cu- [6] 12. Phil.
juſvis eſt hominis errare: nullius niſi inſipientis in errore perſeverare. Poſteriores enim cogitationes (ut aiunt) ſapientiores ſolent eſſe. *Quorum omnium norma ſit una: id utile eſſe, quod honeſtum eſt:* [7] qua ſervata, quæ, quaſi de cœlo [7] 1. de Fin. ap.
delapſa eſt ad *benè vivendum deliberandúmque* regula, *nunquam in conſilio dando, ſententiáve dicenda errabimus:* [8] nun- [8] Ib.
quam ullius oratione victi ſententia deſiſtemus. [9] Nam, [9] 1. Off.
cùm neque utilitas ad ſe rapere, neque honeſtas contrà, revocare ad ſe videbitur, *fiet, ut non diſtrahatur in deliberando, aut progrediendo* animus: nec *afferat ancipitem curam cogitandi, vel exequendi. Altera, quæ eodem eſt dirigenda norma, ſit illa legis:* [10] SALUS POPULI SUPREMA LEX [10] 3. de Leg.
ESTO: *quia* [11] Jupiter ipſe ſanxit: ut omnia, quæ reip. ſa- [11] 11. Phil. v. cap. 13. nu. 4.
lutaria eſſent, legitima & juſta haberentur. *Adde illam moris majorum:* [12] ad novos caſus temporum, novorum conſi- [12] pro Man.
liorum rationes accommodandas eſſe.

> [13] *Moribus antiquis res ſtat Romana, viríſque.* [13] 5. de Rep.
> *ſed ita, ut caſibus temperentur. Sic*
> [14] *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:* [14] in Cat.

augúrque quum eſſet, dicere auſus eſt, optimis auſpiciis ea geri, quæ pro reip. ſalute gererentur: quæ contra remp. ferrentur, contra auſpicia ferri. [15] In ſententia permaneat [15] pro Mur.
ſenator: enimverò, niſi ſententiam ſententia alia vicerit melior. *A ſuis non diſcrepet judiciis, niſi cauſis antegreſſis poſteriores obſtiterint, cum ratione conſpirantes: vel ſtatus reip. ſit hujuſmodi, ut omnia ſeditionibus, quaſi violentiſſimis tempeſtatibus, ſic concitentur, ut nec rationi, nec legibus locus relinquatur. Eſt quidem omnium domina rerum ratio: etiam earum, quæ* [16] cauſas alias ex aliis aptas, & neceſſi- [16] 5. Tuſc.
tate nexas habent. quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum, ratio tamen ménſque moderatur. *Sed plerumque evenit, ut res civiles ſint veluti* [17] ruſticæ: quas non ratio, [17] 5. Verr.
neque

neque labor, ſed res incertiſſimæ, venti, tempeſtatéſque moderantur. *& proinde ut cultura, necnon ſpes, ſæpenumerò fallit agricolas: ita non rarò conſilia decipiunt reip. rectores. Multa ſunt etiam,* [18] quæ ad diſciplinæ præcepta ſi perpendas, recta ſunt: ſin dirigere ad civitatis rationem velis, reperientur praviſſima. [19] Omnino, ſi quicquam eſt decorum, ſi quicquam conſtans, nihil eſt profectò magis, quàm æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum. *Hanc tamen, cùm omnibus in ſententiis conſiliiſque de rep. conſervare voluiſſet Cato, nec tantulùm diſcedere ab antiquis moribus, ſæpè in vita peccavit, & nocuit reip. in morte fato non reliquit locum. Nam cùm ei* [20] incredibilem natura tribuiſſet gravitatem, eámque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſempérque in propoſito ſuſceptóque conſilio permanſiſſet, *frangi aut flecti non potuit in ſenatu, cùm diceret ſententiam: & rep. ad unum delata,* [21] mori potius ſtatuit, quàm tyranni vultum aſpicere. *Nos Cæſarianis videbamur in libro, quem de Catonis laude ſcripſimus* [22] ψευδῶς gravitatem conſtantiámque ejus laudâſſe: *& Cæſar ipſe, qui* [23] conſtantiam ſolebat laudare, [24] vituperationem *ſcripſit* contra laudationem meam: in quo collegit vitia Catonis, ſed cum maximis laudibus meis. [25] Catonem *nemo* plus amavit, quàm ego: ſed tamen ille optimo animo utens, & ſumma fide, nocuit interdum reip. dixit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ non tanquam in Romuli fæce ſententiam. [26] Omnia publicanis negavit, multa ſociis: in ſenatu [27] vehementer in principes civitatis invectus eſt: eos tanquam reos accuſavit: [28] Archilochia edicta Bibuli probavit. [29] Sed illa ejus conſtantia, Bibuli iſta magnitudo animi, quid habuit, niſi ipſorum judicium ſine ulla correctione reip. [30] Ne erràſſent quidem, ſi cùm pares eſſe non potuiſſent, pugnare deſtitiſſent. Otium nobis exoptandum fuit: quod ii, qui potiebantur rerum, præſtaturi videbantur, ſi quidem iſti patientiùs eorum potentiam ferre potuiſſent.

quod,

[18] pro Mur.
[19] 1. Off.
[20] Ib.
[21] Ib.
[22] ep. 4. l. 12. Att. falsò.
[23] v. cap. 30. nu. 13.
[24] ep. 39. l. 12. Att. An. DCCVII.
[25] ep. 1. l. 2. Att.
[26] 3. Off.
[27] ep. 3. l. 2. ad Q. Fr.
[28] ep. 21. l. 2. Att.
[29] ep. 15. d. l. 2.
[30] ep. 8. l. 1. fa.

quod, cùm non facerent, [31] illi Catoni irati omnia perdiderunt. *ejúſque pertinacia, atque aliorum,* [32] ſtultitia & inconſtantia adverſariorum perfecerunt, ut & auctoritate plus valerent, [33] & commutata tota ratio eſſet ſenatus, judiciorum, rei totius publicæ, *atque etiam* [34] ſenſus bonorum. Itaque tota tunc ſapientium civium, & ſententia & voluntas mutata eſſe debuit: [35] ipſius etiam, qui peccavit, Catonis. [36] cum *quo* ſæpè diſſenſi, *atque prævidi,* [37] multa ejus ad nihil recaſura. [38] Ego mediocritate delector; & in adminiſtranda rep. non idem ſemper dicendum, ſed idem ſemper ſpectandum ſentio: nec reprehendendum puto ſenatorem, *qui* [39] ſine reip. detrimento reſpicit aliquando ſalutem, tum ſuam, tum ſuorum: [40] qui ea de rep. ſentit, ac dicit, quæ cùm ſibi maximè, tum etiam reip. rationibus putat conducere. *Sunt tamen nonnulli, qui, ſicut Cato, conſtantiam &* [41] libertatem ponunt in eo, ſi in una permaneant ſententia, & ſemper cum iis, quibuſcum aliquando contenderunt, depugnent: quod eſt longè ſecus. In natura & arte conſtantia eſt, in cæteris nulla: *unde* ° nemo doctus mutationem conſilii inconſtantiam dixit eſſe: ° nec vir clarus putat non judicium aliquod habendum de reip. utilitate, ſed hominibus amicum aut inimicum eſſe oportere. Stare omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reip. qui, quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas ſalúſque converterit. An, cùm videam navem ſecundis ventis curſum tenentem ſuum, ſi non ea, eum petat portum, quem ego aliquando probavi, ſed alium non minùs tutum atque tranquillum, cum tempeſtate pugnem periculoſè potiùs, quàm illi, ſalute præſertim propoſita, obtemperem, & parcam? Neque enim inconſtantis eſſe puto, ſententiam, tanquam aliquod navigium atque curſum, ex reip. tempeſtate moderari. Ego verò hæc didici, hæc vidi, hæc ſcripta legi, hæc de ſapientiſſimis & clariſſimis viris, & in hac rep. & in aliis civi-

[31] ep. 21. l. 2 Att.
[32] ep. 7. l. 1. fa.
[33] ep. 8. d. l. 1. fa.
[34] ep. 9. l. 1. fa.
[35] ep. 10. l. 2. Att.
[36] 3. Off.
[37] v. cap. 12. nu. 17.
[38] ep. 9. l. 1. fa.
[39] pro Plan.
[40] d. ep. 9. l. 1. fa.
[41] pro Plan.
° ep. 7. l. 16. Att.
° pro Plan.

tatibus monumenta nobis litteræ prodiderunt. non ſemper eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed quaſcunque reip. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtularet, eſſe defendendas. Quod ego, & facio, & ſemper faciam : libertatémque *& conſtantiam*, quam neque dimiſi unquam, neque dimittam, non in pertinacia, ſed in quadam moderatione poſitam putabo.

Hor. ep. 6. lib. 1. ep.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui :
Ultrà quàm ſatis eſt, virtutem ſi petet ipſam.

Monita quædam *de ſenatorio uſu, prudentia, atque moderatione in dicendis ſententiis, & vitæ rationibus temperandis.*

CAP. XLI.

¹ de Or. ap.

² poſt Red. ad Quir. ap.

³ de Har. reſp. ap.

⁴ de Pro. cons.

JAM verò, *ut viris clariſſimis ad remp. accedentibus*, [1] uſus *ſenatorii alia* quædam, quaſi monita tradamus : *quibus majores noſtri certos ſibi fines terminóſque conſtituerunt, extra quos egredi non poterant, maximè ſi voluiſſent : hoc mihi videor animadvertiſſe ſenatoribus Ro.* [2] in conſiliis de rep. capiendis diligentiam, in periculis à rep. propulſandis animum, in ſententia ſimpliciter dicenda fidem, in hominum voluntatibus pro rep. lædendis libertatem, in perferendo labore induſtriam, in civium commodis augendis grati animi benevolentiam nunquam defuiſſe. Atqui hæc cura fuit infixa noſtrorum animis ſempiterna, ut, cùm populo Ro. qui apud ipſos deorum immortalium vim & numen tenebat, tum poſteris, cunctíſque gentibus digniſſimi ea civitati viderentur, quæ omnibus gentibus imperaret. *Hos ego mihi ſemper propoſui ad imitandum :* [3] nec vereor, ne hæc de mea voluntate prædicatio, non libera potiùs, quàm arrogans videatur : præſertim, cùm [4] ego omnium

omnium meorum consiliorum atque factorum exempla, semper ex summorum hominum factis mihi censuerim petenda: *tametsi* [5] cogitationes & consilia mea, tum graves communium temporum, tum varii nostri casus perturbârunt. Nam prima ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ veteris: & in consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen: & hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus, qui in nosmetipsos redundârunt. Sed tamen in his, vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporum *senatui me semper addixi: & libertate, constantia, moderatione retinui dignitatem meam. Hic meus animus & in tuenda rep. voluntas,* [6] mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commovit: quæ si viginti quiessem dies, in aliorum jugulum consulum resedissent: *Pisone & Gabinio coss.* [7] in me flammam illorum temporum conjecit: [8] cùm alii (vide caliginem temporum illorum) me suspicione periculi sui non defenderent: alii vetere odio bonorum incitarentur: alii inviderent: alii obstare sibi me arbitrarentur, & [9] nisi me civitate expulissent, obtinere se putarent non posse licentiam cupiditatum suarum: [10] alii ulcisci dolorem aliquem suum vellent: alii rem ipsam publicam atque bonorum statum otiúmque odissent: & ob hasce causas tot, támque varias me unum deposcerent. [11] Vide quàm sit varia vitæ commutabilísque ratio, quàm vaga volubilísque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. *Hæc eadem meæ vitæ ratio in causa fuit, ut* [12] illi, qui mihi pennas inciderant, noluerint easdem renasci, cùm redieram. [13] Est enim hujus seculi labes quædam & macula, virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. [14] Ulta cùm se esset resp. non recuperâsset morte Cæsaris [15] patrium animum, morem virtutémque majorum capiendam censui: in senatu [16] veterem illam severitatem, in vita consulari rationem

[5] 1. de Or.
[6] pro Plan.
[7] de Har.
[8] pro Sext.
[9] ep. 4. l. 10. Att.
[10] pro Sext.
[11] pro Mil.
[12] ep. 2. lib. 4. Att.
[13] pro Bal.
[14] 2. Phil. v. pro Sext.
[15] 3. Phil.
[16] 5. & 7. Verr.

rationem summi officii desideravi. *Fuere, qui ridebant*
[17] 8. Phil. *scilicet nostram amentiam: qui* [17] invidebant meæ constantiæ, qui labori: meam perpetuam in rep. adjuvanda voluntatem, & à senatu, & à populo Ro. probari molestè ferebant. Omnes id quidem facere debebamus, eáque erat non modò apud majores nostros, sed etiam nuper summa laus consularium, vigilare, adesse animo, semper aliquid pro rep. aut cogitare, aut facere, aut dicere. Ego Q. Scævol m augurem memoria teneo, bello Marsico, cùm esset summa senectute & perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem: neque eum quisquam in illo bello vidit in lecto: senéxque & debilis primus veniebat in curiam. Hujus industriam maximè quidem vellem, ut imitarentur ii, quos oportebat: secundo autem loco, ne alterius labori inviderent. Etenim, cùm in hunc honoris gradum beneficio populi
[18] Ib. Ro. ascendimus, [18] quas vigilias, quas solicitudines, quos labores reip. tuendæ causa recusare debemus? Hæc dudum ego in magna atrocitate temporum dixi in senatu: [19] ut
[19] 14. Phil. quosdam nimis jejuno animo, & angusto monerem, id, quod semper ipse fecissem, uti excellentium civium virtutem, imitatione dignam, non invidia putarent: *eodémque tempore*
[20] 10. Phil. *maximas* [20] gratias Pansæ habendas censui, quòd declarâsset verum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius,
[21] 14. Phil. qui suæ confideret, virtuti invidere. [21] Magnus est in rep. campus, ut sapienter dicere Crassus solebat: multis apertus cursus ad laudem: [22] nemo civis, qualis sit vir, potest latere.
[22] Or. in Sal.

[23] 3. de Or. [23] *Sapiens virtuti honorem præmium, haud prædam petit.*

[24] 14. Phil. [24] Quòd, si quis de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet, stultissimè facit, si vitiis cum virtute contendit. Ut enim cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Tu, si ego de rep. optimè sentiam: ut me vincas, ipse pessimè senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis?

nollem,

nollem, primùm reip. cauſa: deinde etiam, dignitatis tuæ. Sed ſi principatus ageretur, quem nunquam expetivi: quid tandem mihi eſſet optatius? ego enim malis ſententiis vinci non poſſum, bonis forſitan poſſum, & libenter. Hæc populum Ro. videre, animadvertere, judicare quidam moleſtè ferunt? poterátne fieri, ut non proinde homines de quoque, ut quiſque mereretur, judicarent? ut enim de univerſo ſenatu populus Ro. veriſſimè judicat, nullis reip. temporibus hunc ordinem firmiorem, atque fortiorem fuiſſe: ſic de unoquoque noſtrûm, & maximè, qui hoc loco ſententias dicimus, ſciſcitantur omnes: avent audire, quid quiſque ſenſerit: ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, exiſtimant. Sin verò acta tua non probem, quòd noceant reip. vide, ſi mihi eam ob rem ſuccenſeas, quàm à dignitate tua receſſeris. *Hoc genus offenſionis Appius Claudius arripuit:* [25] quòd quædam à ſe conſtituta reſcinderem. Ut ſi medicus, cùm ægrotus alii medico traditus ſit, iraſci velit ei medico, qui ſibi ſucceſſerit, ſi quæ ipſe in curando conſtituerit, immutet ille: ſic Appius, cùm ° ἐξ ἀφερέσεως provinciam curâſſet, ſanguinem miſiſſet, quicquid poterat detraxiſſet, mihi tradidiſſet enectam: ° προσανατρεφομένην eam à me non libenter vidit, ſed modò ſuccenſuit, modò gratias egit. Nihil à me factum erat cum ulla illius contumelia: diſſimilitudo tantum meæ rationis offenderat hominem *non animadvertentem, quomodò meis de reip.* [26] ſex libris tanquam prædibus me obſtrinxerim. *In omnibus, quæ ad remp. pertinent, prudens ſenator cavet, ne alicujus aut ſententiam improbet, aut iniquè conſtituta tollat cum acerbitate: ne ipſe* [27] idcircò putetur benè audire velle, ut alter malè audeat: & rectè facere, non ſuæ laudis, ſed illius contumeliæ cauſa. [28] Non præcerpit fructum officii alterius: non alienam ſibi laudem appetit: *nec plus tribuit, quàm oporteat.* [29] C. Fimbriam conſularem audiebam de patre noſtro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe equiti Ro. ſanè honeſto, quum is

[25] ep. 1. l. 6 Att. An. DCCII.

° per extractionem.

° recreatam.

[26] Ib.

[27] Ib.

[28] 6. Verr.

[29] 3. Off.

ſponſionem feciſſet. NI VIR BONUS ESSET. itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam judicaturum: ne, aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contrà judicaviſſet: aut ſtatuiſſe videretur virum bonum eſſe aliquem, quum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. *Providet etiam ſapiens, ne quos ob* [30] benefacta diligi volet, eorum laudem atque gloriam, cui maximè invideri ſolet, nimis efferre videatur. *Omnia circumſpicit, ne excitetur odii aut invidiæ offenſio:* [31] non laceſſit: non invehitur: non maledicit. conſiderat quantum ſit mali, ſi iratum, ſi non levem hominem læſerit. habet enim & voluntatem nocendi in iracundia, & vim in ingenio, & pondus in vita. [32] Præſtare in primis hoc ſenator debet, quantum poteſt, ne quis vir clarus, aut potens huic ordini jure iraſci poſſe videatur, atque hoc, ſi inimiciſſimus eſſet alicui, ſentire tamen oportet reip. cauſa. [33] Habet *ergo* rationem hominum, rerum, temporum, [34] ne quid offendat, ne quo irruat: *ne quid, aut motus animi, aut oratio de dignitate, vel* [35] gravitate decerpat. quod quidem in primis à Craſſo obſervari ſolebat. *Ita* [36] dolore non effertur, nec iracundia longiùs progreditur, quàm ſapientis hominis cogitata ratio poſtulat. Nihil facit iratus, nihil impotenti animo: nihil in re gravi non diu conſideratum, ac multò antè meditatum. *Nunquam committit, ut videatur, aut aliud de ſumma reip. quàm ſenatus ſentire, uti Calenus,* [37] eos, quos omnes penè venerari debemus, ſolus oppugnans: *aut quæ ſenatus decrevit infringere, ut Piſo & Gabinius,* [38] non dicam conſules, ſed proditores noſtræ dignitatis: *aut* [39] properare, quod ſenatus dederit, auferre, *velut is, qui ulteriorem Galliam decrevit cum Syria Lentulo & Philippo conſulibus. Nihil prudens arbitratur expedire, niſi quod rectum honeſtúmque ſit: neque ſolùm ea expendit, quæ geruntur, quæque geſta ſunt: ſed etiam qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit.* [40] Quæ quoniam in temporum inclinationibus ſæpè parvis poſita ſunt:

[30] 2. de Or. ap.
[31] Ib. ap.
[32] de Pro. conſ.
[33] 2. de Or. ap.
[34] Ib.
[35] Ib.
[36] de Har.
[37] 10. Phil. An. DCCX.
[38] pro. Sext.
[39] de Pro. conſ. An. DCXCVII.
[40] ep. 11. l. 6. fa. & ep. 13. l. 5.

ſunt: omnia momenta obſervat *temporum, atque rerum:* circumſpicit omnia membra reip. [41] nullum prætermittit ejus juvandæ locum. [42] neque arbitratur permanendum in una ſententia, univerſis rebus ac bonorum voluntatibus mutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in rep. gubernanda viris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio: ſed, ut in navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis potiùs, quàm eo commutato, quò velis tamen pervenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda rep. propoſitum eſſe debet id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cum dignitate otium: non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus. Tempora autem reip. quæ futura ſint, quis ſcit? ergo ſufficiat [43] in officio boni ſenatoris non reprehendi. [44] Nam neque pugnandum arbitror contra magnas opes, neque delendum, etiamſi id fieri poſſet ſummorum civium principatum: [45] niſi plus legibus ac ſenatu poſſe *concupiſcant. quod cùm faciendum erit,* [46] reip. tribuendum hoc muneris: cujus inimicos ulciſci, non eſt reprehendendum. *Eſt enim ſenatus magiſtratuúmque* [47] audaciæ reſiſtere: & hominum perniciofam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exſtinguere, atque opprimere. *Ita tamen, ut prius omninò illuſtrentur pateántque conſilia, à potentibus ſuſcepta: quum res eſt* [48] tanta, tam atrox, támque incredibilis, ut tentari non poſſe videatur. *Erant* in noſtro numero, in hoc orbis terræ ſanctiſſimo, graviſſimóque conſilio, qui de meo noſtrúmque omnium, qui de hujus urbis atque adeò orbis terrarum exitio cogitarent. Hoſce ego vidi conſul, & de rep. ſententiam rogavi: & quos ferro trucidare oportebat, eos non voce vulneravi. Nonnulli *etiam* fuerunt in hoc ordine, qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, conjurationémque naſcentem non credendo corroboraverunt: quorum

[41] Ib. ap.
[42] ep. 9. l. 1. fa.
[43] ep. 16. l. 9. fa.
[44] ep. 9. l. 1. fa.
[45] ep. 15. Brut.
[46] 2. Off. ap.
[47] pro. R. Am.
[48] 1. Catil. An. DCXC.

quorum auctoritatem ſecuti multi non ſolùm improbi, verùm etiam imperiti, ſi in hunc animadvertiſſem, crudeliter & regiè factum eſſe dicerent. Intellexi, ſi iſte, quò intenderat, in Manliana caſtra perveniret, neminem tam ſtultum fore, qui non videret conjurationem eſſe factam: neminem tam improbum, qui non fateretur. Hoc autem interfecto, intellexi hanc reip. peſtem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi potuiſſe. Quòd, ſi ſe ejiceret, ſecúmque ſuos educeret, & eodem cæteros undique collectos naufragos aggregaret: exſtingueretur atque deleretur, non modò hæc tam adulta reip. peſtis, verùm etiam ſtirps, ac ſemen malorum omnium. *Itaque* [o] multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore in noſtri ordinis timore ſanavi. [o] Mea lenitas, ſi cui ſolutior viſa eſt, hoc expectavit, ut id, quod latebat, erumperet: [o] & quoniam auribus populi Ro. propter incredibilem magnitudinem ſceleris minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis ſaluti ſuæ provideret, cùm oculis maleficium ipſum videret.

[o] 4. Catil.

[o] 2. Catil.

[o] 3. Catil.

[o] Non intellecti nulla eſt curatio morbi:
Ut magis incluſis ignibus antra fremunt.

[o] Corn. Gallus.

[o] Quod expectavi ſum aſſecutus, ut omnes factam eſſe apertè conjurationem contra remp. viderent: niſi verò ſi quis eſſet, qui Catilinæ ſimiles cum Catilina ſentire non putaret. Non fuit tum lenitati locus: ſeveritatem res ipſa flagitavit. *Sed hac de re ſatis.* In omnibus [49] cavendum, ne aut diligentia alicui moleſta, aut veritas acerba ſit. *Ego ſenatorem,* [50] ut ad certam laudem adhortor, ſic à dimicatione deterreo: admoneóque quod ipſe litteris omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen magis, quàm diſcendo cognovi, ut is rebus ſuis integris diſcat, neque ſalutis rationem habendam eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute. *Inimicitias autem non ſuſcipiat, niſi reip. cauſa: quæ ſuis ejus cauſa ponat.* [51] M. ille Lepidus, qui bis conſul

[o] 2. Catil.

[49] ep. 17. l. 3. Att.

[50] ep. 7. l. 1. fa.

[51] de Pro. conſ. An. DLXXIV.

ſul & pontifex maximus fuit, non ſolùm memoriæ teſtimonio, ſed etiam annalium litteris, & ſummi poëtæ voce laudatus eſt, quòd cum M. Fulvio collega, quo die cenſor eſt factus, homine inimiciſſimo, in campo ſtatim rediit in gratiam: ut commune officium cenſuræ communi animo ac voluntate defenderent. *Etenim is fuit noſtrorum in patriam amor, ut reip. cauſa* [52] juſtiſſimas inimicitias cum benè meritis civibus deponerent, *aut intermitterent.* [53] Tiberius Gracchus (patrem dico, cujus utinam filii ne degeneràſſent à gravitate paterna) tantam laudem eſt adeptus, quòd tribunus pl. ſolus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimiciſſimus & ipſius, & fratris ejus Africani: juravítque in concione ſe in gratiam non rediiſſe, ſed alienum ſibi videri dignitate imperii, quo duces eſſent hoſtium triumphante ducti, eodem ipſum duci, qui triumphâſſet. *Hæc, quæ ſummorum ſunt virorum, ſimiles qui eſſe volunt ſuſpiciunt, & imitantur: Fabiúmque in cœlum ferunt, quòd* [54] *dictator, cùm ei magiſtrum equitum Minutium jure imperii ſenatus æquâſſet, ſilentium egit: compluribus prætereà injuria laceſſitus in eodem animi habitu permanſit: nec unquam ſibi permiſit reip. iraſci: tam fuit perſeverans in amore civium. At, Minutii temerè cum Annibale confligentis acie inclinante,* [55] *victoriam hoſti extorſit, confeſſionem erroris civibus, Minutio & fuſo ejus exercitui ſaluti fuit: palàm ferente Annibale abs ſe Minutium, ſe à Fabio victum. Deinde ad dictatoris caſtra Minutius cum exercitu incedens, ut conſtituta ſunt ante tribunal ſigna: Parentibus, inquit, meis dictator, quibus te modò nomine, quo fando poſſum, æquavi, vitam tantùm debeo: tibi, cùm meam ſalutem, tum omnium horum. Itaque plebiſcitum, quo oneratus magis, quàm honoratus ſum, primus antiquo, abrogóque: & quod tibi, mihíque, quod meo exercitui tuóque conſervato ac conſervatori ſit felix, ſub imperium auſpiciúmque tuum redeo, & ſigna hæc legionéſque reſtituo. tu quæſo placatus magiſtrum equitem, hos ordinibus*

[52] pro. Flac.

[53] de Proconſ. An. DLXVI.

[54] Val. cap. 3. lib. 3.

[55] Liv. lib. 22.

ſuis

ſuis quemque teneri jubeas. Hæc cùm reip. cauſa fecerint
56 ep. 11. l. 10. fa. *imperantes, annon eo animo eſſe debet ſenator, ut eum* [56] non
impediant privatæ offenſiones, quò minùs pro reip. ſalute
57 1. Catil. etiam cum inimiciſſimo conſentiat : [57] nec propter invidiam, aut alicujus periculi metum, ſalutem civium ſuorum
negligat? *Nunquam tamen (ſi me audièrit, & dignum ali-*
58 ep. 8 l. 10. fa. *quid tanti honoris nomine aggrediendum putaverit)* [58] ad auxilium patriæ nudus cum bona voluntate, ſed cum facul-
59 ep. 6. l. 15. Att. ap. tatibus accedat : [59] tantùm, ſi quid in motu timet, caveat : nihil prætereà moliatur. non mediusfidius acerrimis conſiliis, plus quàm etiam inertiſſimis, dummodo diligentibus conſequetur. quæ enim fluunt, per ſe diuturna non ſunt : in contentione præſentes ad nocendum habent vires. *Id-*
60 ep. ult. l. 2. ad Q. fr. *circò omninò* [60] ſtatuat ad nullam medicinam reip. ſine mag-
61 pro Domo. no præſidio accedere : [61] neque publicam cauſam contra vim armatam ſine populi præſidio ſumere. *In his tamen*
62 pro Mil. *Pompeii ſequatur conſilia, qui* [62] ſapientiæ non putavit eſſe ſuæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare : *neque contra armatum ducem populi, ſine auc-*
63 3. de Leg. *toritate ſenatus arma capere.* [63] In noſtra cauſa, quæ incidit in tribunitiam poteſtatem & ſervitia incitata, adjuncto
64 in Piſ. terrore etiam militari : [64] cùm L. Lentulus, qui tum erat præt. Q. Sanga, L. Torquatus pater, M. Lucullus ad Pompeium, multíque mortales oratum in Albanum, obſecratúmque veniſſent, ne meas fortunas desereret cum reip. ſalute conjunctas : eos ille ad conſules remiſit, ut cauſam publicam ſuſciperent, ut ad ſenatum referrent. ſe contra armatum tribunum pleb. ſine conſilio publico decertare nolle: conſulibus ex SC. remp. defendentibus ſe arma ſuſcepturum. *Et verò* conſulem ego tum requirebam, conſulem inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam reip. cauſam gravitate, & conſilio ſuo tueretur, ſed qui tanquam truncus atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modò, poſſet ſuſtinere tamen titulum conſulatus.

Cùm

Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea conſularis & ſenatoria, auxilio mihi opus fuerat, & conſulis, & ſenatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à conſulibus converſum, alterum reip. penitùs ereptum. Ac tamen cùm vim omnium ſceleratorum acerbitas mei caſus excepiſſet, eorúmque omnium crudelitati ſcelerique ceſſiſſem, ne ſervorum, & egentium civium, & facinoroſorum armis, meos cives meis conſiliis periculiſque ſervatos pro me objicerem: [o] videtis me in meam priſtinam dignitatem brevi dolore interjecto reip. voce eſſe reſtitutum. *Porrò ſenator, ſapientis, cujus ipſe locum tenet, putet eſſe,* [65] proprium, nihil cujus pœnitere poſſit facere, nihil invitum: graviter omnia: nihil ita expectare, quaſi certè futurum: nihil, cùm acciderit admirari, ut inopinatum ac novum accidiſſe videatur. *Ejus quidem partes ſunt,* [66] omnia quæ homini accidunt, intra ſe judicare: *in acerbis caſibus reip.* [67] optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt: *in ſuis ſe colligere: erroris &* [68] ſtultitiæ ſuæ pœnam ferre graviùs, quàm eventi: *pati, ut eum* [69] inimici interpellent, quò minùs remp. commodè adminiſtrare poſſit. [70] Sic honores præmiaque expectet, ac ſuſcipiat, ut ſine his nihil de ſuo ſtudio perſeverantiáque ſit remiſſurus: concupiſcat autem nihil immoderatè: ſed & temporis, & rei viros principes moderatores facilè patiatur eſſe. Nihil aut ſerò, aut exiguè à patria civi tributum poteſt videri. *Cavendum, ne hæreat ſuſpicio animi obſcurè iniqui, aut alienati: ſi quæ verò ſit, omnibus erit ſtudiis tollenda. Hoc in genere tua, Lentule,* [71] mihi humanitas, vel ſumma potiùs ſapientia, non injucunda ſolùm, ſed etiam admirabilis viſa eſt: virum enim excellentem, & tibi tua præſtanti in eum liberalitate devinctum Cn. Pompeium, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum opinionem ſuæ cupiditatis *in rege Alexandrino reducendo,* [72] te abs ſe alienatum, epiſtola retinuiſti. Fuit eodem tempore incredibilis hominum perverſitas (graviore

eum

[o] pro Sext.
[65] 5. Tuſc.
[66] 2. de Fin.
[67] ep. 17. l. 9. fa.
[68] ep. 8. l. 3. & 4. l. 9. Att. & 4. l. 6. fa.
[69] ep. 10. l. 11. fa. ap.
[70] ep. 9. l. 10. fa.
[71] ep. 7. l. 1. fa.
[72] Ib.

enim verbo uti non licet) qui nos, quos favendo in communi causa retinere potuerunt, invidendo abalienârunt. tanta erant in plerisque levitas, ut eos non tam constantia in rep. nostra delectaret, quàm splendor offenderet.

° Lucret. lib. 5.

° *Invidia quoniam, ceu fulmina summa vaporant*
Plerumque : & quæ sunt aliis magis edita.

[73] ep. 19. l. 2. Att. v. cap. 43. nu. 17. [74] ep. 10. l. 3. fa. [75] ep. ult. l. 2. ad Q. fr. [76] ep. 18. l. 1. Att. [77] ep. 16. d. l. 1. [78] ep. ult. d. l. 1. [79] ep. 1. l. 2. Att.

Sed in hujusmodi, [73] utendum via. [74] in obscuris odiis apertæ inimicitiæ non ostendendæ: [75] danda opera, ne cujus animum offendamus: ab æquis amemur: [76] odia mitigemus comitate: [77] muniamus quandam ad nos tuendos per eos, qui potiuntur rerum, tutam viam: [78] homines amplissima fortuna, auctoritate, gratia, fluctuantes confirmemus, & à spe malorum ad laudem convertamus, *uti ego Pompeium.* [79] Quod à me ita præcautum, atque provisum est, non, ut ego de optimati illa mea ratione decederem: sed, ut ille esset melior, & aliquid de populari levitate deponeret. Quid si etiam Cæsarem, cujus venti erant valdè secundi reddidissem, *uti conabar,* meliorem? non tamen obfuissem reip. quinetiam, si mihi nemo invidisset, si omnes, ut erat æquum, favissent: tamen non minùs esset probanda medicina, quæ sanaret vitiosas partes reip. quàm quæ exsecaret. *Sed, ne de hujusmodi usus nostri observationibus plura :* [80] ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta percipiant, quicquam magna laude dignum sine usu, & exercitatione consequi possunt: sic officii *senatorii* præcepta traduntur illa quidem, uti faciamus ipsi: sed rei magnitudo usum quoque, exercitationémque desiderat.

[80] 1. Off. ap.

[81] Teren. in Adel.

[81] *Nunquam ita quisquam benè subducta ratione ad vitam fuit,*
Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat : ut illa, quæ te scire credas, nescias :
Et quæ tibi putâris prima, in experiundo repudies.

De quibus potissimum *liberè dicuntur ſententiæ, & contenditur in ſenatu.*

CAP. XLII.

SENATOR Ro. in variis exercetur, & de omnibus decernit liberè: præcipuè de ſumma reip. de amplitudine, utilitate, ſplendore ejuſdem: de auctoritate ſenatus, libertate populi: de vi, de religione, de judiciis: de regibus, de ſociis, de clientibus tuendis: de dignitate retinenda ſua: de honore parentum & amicorum. Illuſtria ſunt de ſingulis exempla. Me conſule [1] de ſumma ſalute ſenatus populíque Ro., de noſtris conjugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac ſedibus, de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, déque univerſa rep. decernendum fuit contra eos, qui hæc delere conati ſunt. [2] Cato obtulit in diſcrimen vitam ſuam: dixit eam ſententiam, cujus invidiam capitis periculo ſibi præſtandum videbat: dixit vehementer: egit acriter: ea, quæ ſenſit, præ ſe tulit: dux, auctor, actor, rerum illarum fuit: non quò periculum ſuum non videret: ſed in tanta reip. tempeſtate nihil ſibi, nihil de patriæ periculis cogitandum putabat. Conſecutus eſt ipſius tribunatus. Quid ego de ſingulari magnitudine animi ejus, ac de incredibili virtute dicam? Meminiſtis illum diem, cùm templo à collega occupato, nobis omnibus de vita ejus viri & civis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum: & clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute ſedavit. Adiit tum periculum, ſed adiit ob cauſam, quæ quanta fuerit, jam mihi dicere non eſt neceſſe.

[1] 4. Catil.

[2] pro Sext. v. cap. 37. nu. 15.

° Hi

o Lucan. lib. 2:

o Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit: servare modum, finémque tenere,
Naturámque sequi, patriæque impendere vitam:
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo:
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti,
In commune bonus: nullósque Catonis in actus
Surrepsit, partémque tulit sibi nata voluptas.

Multa ille posteà in senatu liberè, ut instituta majorum & remp. tueretur, dixit: nos non pauciora. Equidem cùm [3] judicio & absolutione Clodii religio, pudicitia, judiciorum fides, senatus auctoritas concidisse putaretur: ego recreavi afflictos animos bonorum: unumquemque confirmans & excitans. insectandis verò, exagitandísque nummariis judicibus, omnem omnibus studiis ac fautoribus illius victoriæ [o] παῤῥησίαν eripui. Pisonem consulem nulla in re consistere unquam sum passus: desponsam homini jam Syriam ademi: senatum ad pristinam suam severitatem revocavi, atque abjectum excitavi: Clodium præsentem fregi in senatu, cùm oratione perpetua, plenissima humanitatis, tum altercatione. *Ego tamen non sine causa verebar,* [4] ne hæc neglecta à bonis, defensa ab improbis, magnorum reip. malorum causa forent. *Antonio consule,* [5] cùm res in discrimen adducta esset, utrum ille pœnas reip. lueret, an nos serviremus: [6] nec ille armis solùm, sed etiam nostris decretis urgendus esset, nullum tempus demisi, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi Ro. de dignitate senatus, quod cogitandum esset, cogitarem. [7] Dixi igitur sententias in Antonium severas, [8] nec solùm in ipsum, sed in ejus socios facinorum. *Ego tum liberè & sæpè anteà pro rep. dixi. At pro senatu, séque ipso, nemo olim in Curia liberiùs* [9] L. Crasso, qui vehementer commotus ea oratione, quæ ferebatur habita esse in concione à Philippo: quem dixisse constabat, videndum sibi esse aliud consilium: illo senatu se remp. gerere non posse. Manè Idibus septembribus,

3 ep. 15. l. 1. Att. An. DCXII.
o loquendi licentiam.
v. cap. 44. nu. 18.
4 ep. 12. l. 1. Att.
5 3. Phil. An. DCCIX.
6 Ib.
7 ep. 14. ad Brut. An. DCCX.
8 12. Phil.
9 3. de Or. An. DCLXII.

bribus, & ille, & senatus frequens vocatu Drusi in Curiam venit. Ibi cùm Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quòd consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. Hic sæpè inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, cùm aliquid accuratiùs dixisset, semper ferè contigisset, ut nunquam meliùs dixisse putaretur: tamen omnium consensu, sic esse tum judicatum, cæteros à Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum à se superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus, cujus ordinis à consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: neque verò esse mirandum, si, cùm suis consiliis remp. profligâsset, consilium senatus à rep. repudiaret. Hic, cùm homini & vehementi, & diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, & graviter exarsit: pignoribúsque ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa à Crasso divinitùs dicta esse ferebantur, cùm sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. An tu, cùm omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putares, eámque in conspectu populi Ro. concideres, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cedenda, si Crassum vis coercere: hæc tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat, sententiámque eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis & gravissimis verbis, ut populo Ro. satisfieret, nunquam senatus neque consilium reip. neque fidem defuisse, ab eo dictam: & eundem, id quod in auctoritatibus perscriptis exstat, scribendo adfuisse. *Hæc in senatu. Ad populum etiam* [10] in suasione legis Serviliæ summis ornat senatum laudibus: & multa

[10] pro Clu. & 5. Parad. & 1. de Or. An. DCXLVII.

& multa in equites Ro. aſperiùs dicit. ſed, quis illi concederet clariſſimo viro, & ampliſſimo civitatis principi, ut illa diceret, in maxima concione ſuorum civium, quæ dixit: Eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas noſtro ſanguine non poteſt expleri. Nolite ſinere nos cuiquam ſervire, niſi vobis univerſis, quibus & poſſimus & debeamus. Omitto miſerias, in quibus vir fortis eſſe non poteſt: omitto fauces, ex quibus ſe eripi vult, ne judicio iniquo exſorbeatur ſanguis ſuus: quod ſapienti negamus accidere poſſe: ſervire verò, non modò ſe, ſed univerſum ſenatum, cujus tum cauſam agebat, auſus eſt dicere? Potéſtne virtus ſervire? quæ etiam ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debet. Quæ verò addidit, non modò ſenatum ſervire poſſe populo ſed etiam debere, quis hoc probare poſſet ſenatum ſervire populo, cui populus ipſe moderandi & regendi ſui poteſtatem, quaſi quaſdam habenas tradidit? Itaque hæc P. Rutilius Rufus homo doctus, & Philoſophiæ deditus, non modò parùm commodè, ſed etiam turpiter, & flagitioſè dicta eſſe dicebat: neque verò hoc ſolùm dixit: ſed ipſe, & ſenſit, & fecit.

[11] in Bruto. [11] Mihi à pueritia quaſi magiſtra fuit Craſſi in legem Cæpionis oratio: in qua, & auctoritas ornatur ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur: & invidia concitatur in judicum & in accuſatorum factionem, quorum contra potentiam populariter tum dicendum fuit. *Eſt etiam libera* cenſoris oratio, qua anno duo de quinquageſimo uſus eſt.

[12] 3. de Or. An. DCLXI. [12] In illius orationis ſuæ, quam contra collegam cenſor habuit, principio dixit: quæ natura, aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus vinci ſe poſſe animo æquo pati: quæ ipſi ſibi homines parare poſſent: in iis rebus ſe pati non poſſe vinci.

[13] in Br. [13] Nulla eſt altercatio clamoribus unquam habita majoribus.

[14] ep. 9. l. 1. fa. *Fuit tempus, quo* [14] quamquam & Pompeio plurimùm debebam, & eum non ſolùm beneficio, ſed amore etiam, & perpetuo

perpetuo quodam judicio meo diligebam: tamen non reputans quid ille vellet, in omnibus meis sententiis de rep. pristinis permanebam. Ego sedente Cn. Pompeio, cùm, ut laudaret P. Sextium Pompeius introiisset in urbem, dixi *summa* libertate, animóque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum: neque verò hac in causa modò, sed constanter sæpè in senatu. Quinetiam Marcellino & Philippo coss. Nonis Aprilis mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur: num potui magis in arcem illius causæ invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, meminisse actionum? Hac à me sententia dicta, magnus animorum motus est factus, cùm eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putâram. Nam hoc S. C. in meam sententiam facto, Pompeius, cùm mihi nihil ostendisset se esse offensum, in Sardiniam & Africam profectus est: eóque itinere Lucam ad Cæsarem venit, ubi multa de mea sententia questus est Cæsar. Hæc, cùm ad me frater pertulisset, collegi ipse me: [15] ne si inter nos esset aliqua dissensio, maximas in rep. discordias versari esset necesse. [o] Neque errâssent, ne adversarii quidem ejus, si cùm pares esse non potuerant, pugnare destitissent, *nec* hominem clarissimum abalienâssent. *Cato propter ea, quæ facta sunt Lentulo & Philippo Coss.* [16] vehementer est in Pompeium invectus, & eum oratione perpetua tanquam reum accusavit in senatu; de me multa, me invito, cum mea summa laude dixit, cùm illius in me perfidiam increparet. Auditus est magno silentio malevolorum. Respondit ei vehementer Pompeius, Crassúmque descripsit, dixítque apertè se munitiorem ad custodiendam vitam suam fore, quàm Africanus fuisset, quem C. Carbo interemisset. *Sequuntur* [17] clientelæ & hospitia provincialia, quæ senatores nostri urbanis opibus non minore labore tuentur, quàm comparant. [18] Clarissimi viri nostræ civitatis, temporibus optimis,

[15] ep. 1. l. 2. Att. v. cap. 24. nu. 12.
[o] ep. 8. l. 1. fa.
[16] ep. 3. l. 2. ad Q. fr. An. DCXCVII. v. cap. 29. nu. 20.
[17] 4. Catil.
[18] 1. Ver.

mis, hoc sibi amplissimum pulcherrimúmque ducebant, ab hospitibus clientibúsque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Ro. ditionémque issent, injurias propulsare, eorúmque fortunas defendere. M. Catonem illum sapientem clarissimum virum & prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, injurias. Nuper Cn. Domitium scimus M. Syllano diem dixisse, propter unius hominis Egritomari paterni amici, atque hospitis injurias:
[19] pro Mur. ap. *& ne videretur vir ejusmodi* [19] in ea civitate defensorem non habere, in qua nemini unquam infimo majores nostri pa-
[20] 1. Ver. tronum deesse voluerunt. [20] Neque enim magis animos hominum nocentium res unquam illa commovit, quàm hæc majorum consuetudo longo intervallo repetita, ac relata: sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum: susceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiâque posse defendere. *Quæ omnia à consuetudine manâ-*
[21] 1. Off. *runt, qua apud nostros receptum est: ut ii* [21] qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum pa-
[22] 1. Ver. troni essent more majorum. [22] Cujus consuetudinis, atque instituti patres majorésque nostros non pœnitebat tum, cùm P. Lentulus is, qui princeps senatus fuit, accusabat M. Aquilium subscriptore C. Rutilio Rufo: aut cùm P. Africanus homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimis, posteaquam bis consul & censor fuerat, L. Cottam in judicium vocabat. Jure tum florebat populi Ro. nomen: jure auctoritas hujus imperii, civitatísque majestas gravis
[23] 2. Off. habebatur. [23] Nostri magistratus imperatorésque, ex hac una re maximam laudem capere studebant, si socios æquitate & fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ veriùs, quàm imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam jam antè minuebamus: post verò Syllæ victoriam penitùs amisimus. desitum est enim videri quicquam in socios iniquum, quum exstitisset

in

in cives tanta crudelitas. *At quotus quisque nunc invenitur tanta virtute vir, qui optimam causam reip. & sociorum amplectatur :* [24] qui se compareret ita, ut sit contra hæc, quæ civitatis statum pervertunt semper armatus : *qui nihil, aut de majestate populi Ro. aut de senatus auctoritate minui patiatur.* [25] difficilis est cura rerum alienarum : &, quia magis ea percipimus, atque sentimus, quæ nobis ipsis, aut prospera, aut adversa eveniunt, quàm illa, quæ cæteris quasi longo intervallo interjecto videmus : aliter de illis, ac de nobis judicamus. *Omninò est amans sui quisque : & omnes trahuntur studio gloriæ. quod respectum si habeat ad remp. probandum est : eóque incendi illos est laudabile, quos populus Ro. in tanto honoris gradu collocavit, ut eis* [26] remp. & fortunas suas commiserit. *Senator auctoritatem senatus refert, majestatem populi. Itaque in omnibus* [27] habere debet rationem suæ dignitatis : Nemo unquam me, ne tenuissima quidem suspicione perstrinxit, quem non perverterim : etsi non iis libentissimè soleam respondere, quos mihi videor facillimè posse superare : quòd statuam eos virium non satis habere, ut ego cum iis luctari, & congredi debeam. Qui non ignorant consuetudinem dicendi meam, cavere debent hac lenitate abuti mea : aculeos orationis meæ, qui reconditi sunt, excussos arbitrari. [28] Ego Metello præsenti restiti. Nam in senatu Cal. Ian. sic cum eo de rep. disputavi, ut sentiret sibi cum viro forti & constanti esse pugnandum. Ad iii. Nonas Januarias, cùm agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat, mihi minabatur. neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me quacunque ratione posset, neque judicio, neque disputatione, sed vi atque impressione evertere. Hujus ego temeritati, si virtute atque animo non restitissem : quis esset, qui me in consulatu non casu potiùs existimaret, quàm consilio fortem fuisse ? [29] Ego etiam, cùm mihi cum Crasso magna jam gratia esset, quòd ejus omnes gravissimas injurias communis concordiæ causa vo-

[24] v. cap. 30. nu. 1.
[25] 1. Off.
[26] pro Clu.
[27] pro Sylla.
[28] ep. 2. l. 5. fa.
[29] ep. 9. l. 1. fa.

luntaria quadam oblivione contriveram, repentinam ejus defenſionem Gabinii, quem proximis ſuperioribus diebus acerrimè oppugnâſſet, tamen ſi ſine ulla mea contumelia ſuſcepiſſet, tuliſſem: ſed cùm me diſputantem, non laceſſentem læſiſſet: exarſi non præſente (credo) iracundia (nam ea tam vehemens fortaſſe non fuiſſet) ſed cùm incluſum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, reſiduum tamen inſciente me fuiſſet, omne repentè apparuit. Quo quidem tempore ipſo quidam homines, & iidem illi, quos ſæpè nutu ſignificationéque appello, cùm ſe maximum fructum cepiſſe dicerent ex libertate mea: méque tum denique ſibi eſſe viſum reip. qualis fuiſſem: cúmque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tuliſſet: gaudere ſe dicebant, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem cauſa eſſent, nunquam amicos futuros. quorum iniqui ſermones, cùm ad me per honeſtiſſimos homines perferrentur: cúmque Pompeius ita contendiſſet, ut nihil unquam magis, ut cum Craſſo redirem in gratiam: Cæſárque per litteras maxima ſe eſſe moleſtia ex illa contentione affectum oſtenderet: habui non temporum ſolùm rationem meorum: ſed etiam naturæ: Craſſúſque, ut quaſi teſtata populo Ro. eſſet noſtra gratia, An. DCXCVIII. penè à meis laribus in provinciam eſt profectus. Nam cùm mihi condixiſſet, cœnavit apud me in mei generi Craſſipedis hortis. *Sequitur, ut de parentum amicorúmve honore tuendo exempla ponamus.* 30 Bello Antiocheno magno & gravi, cùm L. Scipioni provincia Aſia obveniſſet, parúmque in eo putaretur eſſe animi, parùm roboris: ſenatúſque ad collegam ejus C. Lælium, hujus ſapientis patrem, negotium deferret: ſurrexit P. Africanus frater major L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus eſt: dixítque & in fratre ſuo ſummam virtutem eſſe, ſummúmque conſilium: neque ſe ei legatum id ætatis, iíſque rebus geſtis defuturum: quod cùm ab eo eſſet dictum, nihil eſt de

(margin: 5c 11. Phil. An. DLXIII.)

Scipionis

Scipionis provincia commutatum, nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quæsitum, quàm duobus anteà maximis Punicis bellis, quæ à consulibus, aut à dictatoribus gesta & confecta sunt: aut quàm Pyrrhi, quàm Philippi, quàm pòst Achaico bello, quàm Punico tertio. [31] fructus ingenii & virtutis, omnísque præstantiæ, tum maximè capitur, quum in proximum quemque confertur. [32] Ego non multùm pridem cum homine furioso satis habui negotii Servilio, quem tuli diutiùs, quàm dignitas mea patiebatur: sed tuli reip. causa, ne darem perditis civibus hominem, parùm sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quò concurrerent: quod faciebant nihilominùs: sed eum alienandum à rep. non putabam. Finem feci ejus ferendi. cœperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci verò causa exarsit incredibili dolore, mecúmque per biduum ita contendit, & à me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore. *Ad hæc non omittendum, quòd ipse etiam senatus tueri soleat senatorum dignitatem.* [33] Gabinius in senatu undique actus, cùm à me maximè vulneraretur, non tulit, & me trementi voce exulem appellavit. Hìc ò dii, nihil unquam honorificentius nobis accidit: consurrexit senatus cum clamore ad unum, sic, ut ad corpus ejus accederet: pari clamore atque impetu publicani. Nihil hominum sermone foris charius. *Piso etiam* [34] ausus est meum discessum illum, testem sceleris & crudelitatis suæ, maledicti & contumeliæ loco ponere. Quo quidem tempore accepi fructum immortalem senatus in me amoris, & judicii: qui non admurmuratione, sed voce & clamore, abjecti hominis & semivivi furorem fregit. Cùm tantis ergo à senatu beneficiis affectus sim, tantis honoribus, non modò illam calamitatem esse non duco, sed si quid mihi potest à rep. esse sejunctum, quod vix potest, privatim ad meum nomen augendum, optandam duco fuisse illam, expetendámque fortunam.

[31] In Læl.

[32] ep. 2. rep. ad Br. An. DCCX.

[33] ep. 2. l. 3. ad Q. fr. An. DCXCIV.

[34] In Pis. An. DCXCVIII.

[35] Ovid. 3. Am. 10

[35] *Perfer, & obdura: dolor hic tibi proderit olim:*
Sæpè tulit laſſis ſuccus amarus opem.

VITANDA STUDIA DISSENSIONUM *in ſenatu: enumeratio contentionum, quæ prima civilium bellorum incendia excitârunt.*

CAP. XLIII.

Ovid 1. Faſt.

Nunc benè proſpicies Latiam Concordia turbam:
Nunc te ſacratæ conſtituere manus.
Furius antiquus populi ſuperator Hetruſci.
Voverat, & voti ſolverat ille fidem.
AN. CCCLXXXVII. *Cauſa, quòd à patribus ſumtis ſeceſſerat armis*
Vulgus: & ipſa ſuas Roma timebat opes.

[1] pro Dom. An. DLXXXIX. An. DXCIX.

[1] Q. MARCIUS cenſor *annis plus centum poſt Furium Camillum* ſignum Concordiæ fecit, idque in publico collocavit. Hoc ſignum C. Caſſius cenſor cùm in curiam tranſtuliſſet, collegium pontificum conſulit, num quid eſſe cauſæ videretur, quin id ſignum, curiámque Concordiæ dedicaret? Ille erat ſumma modeſtia & gravitate cenſor. Tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione poſitum ſenatus: res illa plena juſtitiæ, ſapientiæ, dignitatis. Cenſor enim penes quem majores noſtri judicium ſenatus de dignitate eſſe voluerunt, Concordiæ ſignum volebat in curia, arámque ei dedicare. Præclara voluntas, atque omni laude digna. præſcribere enim ſe arbitrabatur, ut ſine ſtudiis diſſenſionum ſententiæ dicerentur, ſi ſedem ipſam, ac templum publici conſilii
[2] 3. Phil. religione Concordiæ devinxiſſet. [2] Magna vis, magnum
[3] in Læl. numen eſt, unum & idem ſentientis ſenatus. [3] Quanta vis amicitiæ, concordiæque ſit, ex diſſenſionibus, atque ex diſcordiis percipi poteſt. quæ enim domus tam ſtabilis, tam firma

firma civitas eſt, quæ non odiis, atque diſſidiis funditùs poſſit everti? ex quo quantum boni ſit in amicitia, judicari poteſt. Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totóque mundo conſtarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam. Atque hoc quidam omnes mortales intelligunt, & re probant. *tum iſta*, [4] concordiam, arctiſſimum, atque optimum omni in rep. vinculum incolumitatis eſſe: facillimam autem in ea rep. eſſe concordiam, in qua idem conducat omnibus. [5] Reſpublica enim eſt res populi, populus autem non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus. *Sapientes* [6] rerum varietate, atque uſu ipſo perdocti, à diſcordiis avocare *debent* [7] claros, & potentes viros. Neque enim ullus alius diſcordiarum ſolet eſſe exitus inter ipſos, niſi aut univerſus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. [8] Nam hoc natura eſt inſitum, ut quem timeas, quicum de vita fortuníſque contenderis, cujus ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis, tollíque volueris. [9] Recordamini omnes civiles diſſenſiones. [10] Conſul nobiliſſimus & fortiſſimus L. Sylla diſſenſit cum Mario clariſſimo cive [11] & Sulpicio. *Trib. pl.* de jure legum, quas per vim latas eſſe Sylla dicebat. *Sulpicius enim legem tulerat, qua Mario commiſſum eſt bellum Mithridaticum*, quod ſortitus erat Sylla. Inde [12] civile bellum conſul Sylla geſſit: legionibus in urbem adductis, quos voluit, expulit: quos potuit, occidit: [13] P. Sulpicium oppreſſit. C. Marium cuſtodem hujus urbis, multóſque viros fortes partim ejecit ex civitate, partim interemit. [14] Q. Rubrius Varro à ſenatu hoſtis cum C. Mario judicatus eſt. [15] Sulpicium, cui paulò antè omnia concedebant, eum brevi ſpatio non modò vivere, ſed etiam ſepeliri prohibuerunt. *Hæc origo fuit* [16] bellorum civilium, quibus contentionem reip. cauſa faciebat. [17] Civile bellum Syllæ grave

[4] in Frag. 1. & 2. de Rep.
[5] 3. de Rep.
[6] pro Bal.
[7] de Har.
[8] pro Syl.
[9] 3. Catil.
[10] de Har. An. DCLXV.
[11] 8. Phil. v. Val. c. 7. l. 9.
[12] 14. Phil.
[13] 3. Catil.
[14] in Br. v. c. 23. nu. 140. 141.
[15] 4. ad Her.
[16] 8. Phil.
[17] 14. Phil. An. DCLXVI.

18 8. Phil. grave bellum Octavianum insecutum est, *dissentiente* [18] Cinna
19 3. Catil. cum Octavio de novorum civium suffragiis. [19] Cn. Octavius consul armis collegam suam expulit. Omnis hic locus acervis corporum, & civium sanguine redundavit. Superavit posteà Cinna cum Mario. tum verò clarissimis viris
20 5. Tusc. interfectis lumina civitatis exstincta sunt. [20] Cinna collegæ sui consulis Cn. Octavii præcidi caput jussit, P. Crassi,
21 3. de Or. L. Cæsaris, M. Antonii: cujus [21] in his ipsis Rostris, in quibus ille remp. constantissimè consul defenderat, quæque censor imperatoriis manubiis ornârat, positum caput illud fuit, à quo erant multorum civium capita servata. Neque verò longè ab eo C. Julii caput hospitis Etrusci scelere pro-
22 Ib. ditum, cum L. Julii fratris capite jacuit. [22] Tenemus memoria, tum Q. Catulum virum omni laude præstantem, cùm sibi non incolumem fortunam, sed exilium & fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. *Ma-*
23 5. Tusc. *rius enim* [23] victor, iratus necessariis Catuli deprecantibus, non semel respondit, sed sæpè, moriatur. Quod sceleratè imperans, talis viri interitu sex suos obruit consulatus, &
24 in Br. contaminavit extremum tempus ætatis. [24] Triennium ferè fuit urbs sine armis: sed oratorum, aut interitu, aut dis-
25 3. de Nat. cessu, aut fuga. [25] Marius *intereà* feliciter septimùm con-
An. DCLXVII. sul domi suæ senex est mortuus. Antè nemo septies hunc magistratum consecutus est. *Id etiam in eo singulare, quòd*
26 2. Tusc. [26] rusticanus vir, sed planè vir, cùm secaretur, principio vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo posteà alii? valuit auctoritas.
27 8. Phil. [27] Rursus cum Mario C. Filio & Carbone Sylla contendens,
An. DCLXXI. ne dominarentur indigni, &, ut clarissimorum virorum
28 14. Phil. puniretur necem, *superavit:* [28] *ac* Cinnæ victoriam impe-
29 de Har. rator ultus est. [29] tum sine dubio habuit regalem potes-
30 pro Ro. Am. tatem, quamquam remp. recuperârit: [30] cùm intereà cædes indignissimæ, maximæque factæ sunt. [31] C. Marii sitas re-
31 2. de Leg. liquias apud Anienem dissipari jussit Sylla victor acerbo

odio

odio incitatus: cui paruiſſet nunquam, ſi tam ſapiens fuiſſet, quàm vehemens. quod haud ſcio an timens ne ſuo corpori poſſit accidere, primus è patriciis Corneliis igni voluit cremari. [32] Poſt Marium & Carbonem coſs. [33] Sylla effecit ab interrege, ut dictator nominaretur. *Ad firmandum* [34] illud Syllanum regnum, [35] legem interrex noſter tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta cauſa impunè poſſet occidere. [36] Is omnes, quos oderat, morte multabat: ipſe jubebat occidi nullo poſtulante: præmiis etiam invitabat. quæ tamen crudelitas aliquot annis pòſt *à Cæſare*, quem crudelem eſſe voluerunt, vindicata eſt. [37] Erat tum multitudo ſicariorum, & homines impunè occidebantur: ea multitudo erat, opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent: quos, qui leniore nomine appellant, percuſſores vocant. *In eo numero fuit Catilina, qui* [38] non ſolùm ad negligendas leges & quæſtiones, verùm etiam ad evertendas perfringendáſque valuit. [39] Unus fuit poſt Romam conditam *ante Cæſarem*, cui reſp. ſe totam tradidit, temporibus coacta, & malis domeſticis L. Sylla. Hic tantum potuit, ut nemo illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poſſet. Tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium Romanorum cùm venderet, ſe prædam ſuam vendere. *Ab his verò dici illi potuit.* [40] FER MANSUETE FORTUNAM: NOS QUOQUE FUIMUS BEATI: NOSCE TE ESSE HOMINEM. *Si quis eorum,* [41] in quibus ſumma auctoritas fuit atque amplitudo, verbum de rep. feciſſet, multa plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur. [42] Omnium poſſeſſiones erant incertæ. [43] omnia ſine ulla religione, quibus voluit, eſt dilargitus. [44] Ergo in illo, ſecuta eſt honeſtam cauſam non honeſta victoria. [45] *Sylla mortuo Q. Catulus ejus* rationes vehementer defendit *contrà M. Lepidum* collegam: qui de proſcriptis reſtituendis legem promulgavit. quæ, ne in ſeditione ferretur

[32] 3. Agr.
[33] ep. 19. l. 9. Att.
[34] ep. 11. d. l. 9.
[35] 1. de Leg.
[36] pro Lig.
An. DCLXXI.
[37] pro R. Am.
[38] 1. Catil.
[39] 5. Verr.
[40] 4. ad Her.
[41] pro R. Am.
[42] pro R. Com.
[43] 2. Agr.
[44] 2. Off.
[45] 3. Agr.

Lutatia

[46] pro Cœl. Lutatia de vi lata est: [46] quæ de seditiosis sceleratísque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, remp. oppugnârint, quotidie quæri jubet. [47] Lepidus manum ex intermortuis Marianorum reliquiis concitavit. quæ illius morte exstinctæ sunt. [48] Atque illæ dissensiones omnes erant hujusmodi, quæ non ad delendam, sed ad commutandam remp. pertinerent: non illi nullam esse remp. sed in ea, quæ esset, se esse principes neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reip. quæsivit, ejusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, sed internecione civium dijudicatæ sunt. In hac autem *extrema, ita se Q. Catulus gessit cum Pompeio, ut finem attulerit malorum civilium. Me consule* [49] nova quædam immanitas exorta est: incredibilis fuit ac singularis furor: ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vitiis, repentè extrema importunitas inauditi sceleris exarsit. [50] Muræna enim consule designato, Catilina à consulatu depulsus [51] apertè remp. universam petebat, templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium & vastitatem vocabat. [52] Ego patefeci conjurationem: [53] vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc, cædem omnium nostrûm, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi.

[47] in Pis.
[48] 3. Catil.
An. DCLXXVI.
[49] pro Syl.
[50] pro Dom.
[51] 8. Catil.
[52] pro Syl.
[53] Ib.

Diis proximus ille est,
[54] *Quem ratio non ira movet: qui facta rependens*
Consilio, punire potest mucrone cruento.

[54] Claud. in Manl. Theod. Cons.

De

De Statu Reip. *poſt conſulatum Ciceronis: ſignis & cauſis reip. concidendis: ſublata ſenatoria in ſententiis dicendis libertate per potentiam tranſlatam, primùm ad paucos, deinde ad unum, poſteà ad armatos.*

CAP. XLIV.

[1] TENEO memoria nobis conſulibus ea fundamenta jacta ex Cal. Jan. confirmandi ſenatus, ut neminem mirari oporteret Nonis Decembribus, tantum vel animi fuiſſe in illo ordine, vel auctoritatis. idémque memini, nobis privatis uſque ad Cæſarem & Bibulum coſs. cùm ſententiæ noſtræ magnum in ſenatu pondus haberent, unum ferè ſenſum fuiſſe bonorum omnium. *Conſecuta ſunt tempora, in quibus* [2] reſp. erat infirma, miſera, commutabilis: [3] dignitas illa conſularis fortis & conſtantis ſenatoris amiſſa: [4] homines per ſe afflicti ac jacentes perniciofis optimatium diſcordiis excitabantur: πολιτικὸς ἀνὴρ ȣδ' ὄναρ quiſquam inveniri potuit: qui poterat familiaris noſter (ſic erat enim) Pompeius, togulam illam pictam ſilentio tuebatur ſuam, *veluti is,* [6] qui, tanquam cochlea abſcondens retentat ſe tacitus, quò ſit tutiùs, cum domo ſua comeditur, & aufertur. [7] Craſſus verbum nullum contra gratiam: cæteri ita erant ſtulti, ut amiſſa rep. piſcinas ſuas ſalvas ſperare poſſe viderentur. Unus erat, qui curabat heros ille noſter Cato. [8] ſed tamen ille optimo, *ut dixi,* animo utens nocuit interdum reip. Quid verius, quàm in judicium vocare, qui ob rem judicandam præmium acceperit? cenſuit hoc Cato, & aſſenſit ſenatus: equites curiæ bellum, non mihi: nam ego diſſenſi. Quod impudentius Publicanis conductionem renuntiantibus? [a] invidioſa res, turpis poſtulatio, & confeſſio temeritatis. [c] fuit tamen retinendi ordinis cauſa facienda jactura:

[1] ep. 9. l. 1. fa.

An. DCXCIV.

[2] ep. 16. l. 1. Att.

[3] ep. 8. l 1. fa.

[4] de Har.

[5] ep. 17. l. 1. Att. Civilis vir, ne in ſomnio quidem.

[6] 4. ad Her. ap.

[7] d. ep. 17.

[8] ep. 1. l. 2. Att.

[a] ep. 16. l. 1. Att.

[c] d. ep. 1. l. 2.

jactura: reſtitit & pervicit Cato. *Itaque plagis injectis gravibus reip. judicio Clodiano,*[9] portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diviſo, *nullo relicto* vectigale domeſtico, præter viceſimam, [10] effuſâ pecuniâ *publicâ,* [11] conſule in carcere incluſo, ſæpè etiam ſeditione commota, aſpiravit nemo eorum, quorum ego concurſu, itémque ii conſules, qui poſt me fuerunt, remp. defendere ſolebant. *Proinde illa ab iis, à quibus tuenda fuerat, derelicta,* [12] iracundiam, atque intemperantiam illorum ſumus experti, qui Catoni irati omnia perdiderunt. Sed ita lenibus uti videbantur venenis, ut poſſe videremur ſine dolore interire. *Magna fuit eo tempore conjunctio inter Pompeium & Cæſarem: qui tum* [13] conſul plus valuit, quàm tota reſp. [14] Tenebamur igitur undique, neque, quò minùs ſerviremus, recuſavimus: ſed mortem & ejectionem, quaſi majora, timebamus: quæ multò fuêre minora, atque *ille* ſtatus: qui una voce omnium gemebatur, neque verbo cujuſquam ſublevabatur. Unus loquebatur, & palam adverſabatur adoleſcens Curio. Ac ne fortè quæras [o] κατὰ λεπτὸν de ſingulis rebus, univerſa res eò fuit deducta, ſpes ut nulla eſſet, aliquando, non modò privatos, verùm etiam magiſtratus liberos fore. Attamen in oppreſſione ſermo in circulis duntaxat, & in conviviis *cæperat* eſſe liberior, & vincere timorem dolor: ſed ita, ut omnia eſſent plena deſperationis. [15] Una ſpes ſalutis fuit *illorum* inter *ipſos* diſſenſio: *quæ tamen poſteà perdidit Remp.* [16] Diſplicebam mihi: me tuebar, ut oppreſſis omnibus, non demiſsè: ut tantis rebus geſtis, parùm fortiter. [17] neque pugnavi cum illa cauſa propter illam amicitiam: neque approbavi, ne omnia improbarem, quæ anteà geſſi. utebar via. Populi ſenſus maximè in theatro, & ſpectaculis perſpectus eſt. Nam gladiatoribus, quà dominus, quà advocati, ſibilis conſciſſi: ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompeium petulanter invectus eſt. NOSTRA MISERIA TU ES MAGNUS: millies coactus eſt dicere. VIRTUTEM

[9] ep. 16. l. 2. Att.
[10] ep. 17. d. l. 2.
[11] d. ep. 1. l. 2. Att.
An. DCXCIII.
[12] ep. 21. d. l. 2.
[13] ep. 9. l. 7. Att.
An. DCXCIV
[14] ep. 18. l. 2. Att.
[o] minutatim.
[15] ep. 7. d. l. 2.
[16] ep. 18. d. l. 2.
[17] ep. 19. d. l. 2. v. cap. 40. nu. 73.

TUTEM ISTAM VENIET TEMPUS, CUM GRAVITER GEMES: toties theatri clamore dixit, itémque cætera. Nam ejuſmodi ſunt ii verſus, uti in tempus ab inimico Pompeii ſcripti eſſe videantur. SI NEQUE LEGES, NEQUE MORES COGUNT, &c. magno cum fremitu, & clamore ſunt dicta. Non tulerunt homines, quod videbatur eſſe tamen ferendum. Sed erat *tunc* una vox omnium, magis odio firmata, quàm præſidio. *Intereà meam & Pompeii* [18] conjunctionem, conſpirationem in rep. benè gerenda, jucundiſſimam vitæ atque officiorum omnium ſocietatem certi homines fictis ſermonibus, & falſis criminibus diremerunt: cùm iidem illum, ut me metueret, ſibi à me caveret, monerent: iidem apud me, mihi illum eſſe uni inimiciſſimum dicerent: ut neque ego ab illo, quæ mihi petenda eſſent ſatis audaciter petere poſſem: neque ille tot ſuſpicionibus certorum hominum, & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixè mihi polliceretur. Data merces eſt erroris mei magna, ut me non ſolùm pigeat ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudeat: qui, cùm me, non repentinum aliquod meum tempus, ſed veteres multò antè ſuſcepti, & proviſi labores cum viro fortiſſimo & clariſſimo conjunxiſſent, paſſus ſum me à tali amicitia diſtrahi: neque intellexerim quibus, aut, ut apertis amicis obſiſterem, aut, ut inſidioſis amicis non crederem. *Exinde* [19] cùm reſp. non conſules haberet, ſed mercatores provinciarum, & ſeditionum ſervos ac miniſtros: jecit quidam caſus caput meum, quaſi certaminis cauſa, in mediam contentionem diſſenſionémque civilem. Quo in diſcrimine, ut jam ſit in iis culpa, qui non me defenderunt: non minor eſt in iis, qui reliquerunt: magis etiam reprehendendi ſunt, ſi qui ſe timere ſimulârunt: noſtrum conſilium jure laudandum, qui meos cives & à me conſervatos, & me ſervare cupientes, ſpoliatos ducibus, ſervis armatis objici noluerim: declararíque maluerim, quanta vis eſſe potuiſſet in conſenſu bonorum,

[18] pro Do.

[19] ep. 9. l. 1. fa.

rum, si iis pro me stante pugnare licuisset, cùm afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum *Lentulus* non perspexit solùm, cùm de me ageret, sed etiam confirmavit, & recreavit. Qua in causa usus est quibusdam nobilissimis hominibus fortioribus in me restituendo, quàm fuerant iidem in tenendo. Qua in sententia, si constare voluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperâssent. *Posteà non* [20] integra re mihi ad consulendum, capesserémne remp. implicatus tenebar. *Nam* [21] non offendi eundem bonorum sensum, quem reliqui: *& postquam Pompeius cum Crasso redierat in gratiam,* [22] commutata iterùm tota ratio est senatus, judiciorum, rei totius publicæ. *Itaque ego* [23] circumrodebam, quod devorandum fuit. [24] Quid fœdius tum nostra vita, præcipuè mea? qui, si locutus essem de rep. quod oporteret, insanus: si, quod opus esset, servus existimabar: si tacerem, oppressus & captus: quo dolore esse debui? quo fui scilicet: hoc etiam acriore, quòd ne dolere quidem poteram, ut non ingratus viderer: [25] *neque in mea pristina sententia permanere,* nisi ea, quæ mutare non potui, convellere mallem, quàm tueri: & [26] cùm par esse non possem, pugnare. [27] Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit. [28] Amisimus omnem, non modò succum & sanguinem, sed etiam colorem, & speciem pristinam civitatis. Nulla fuit resp. qua delectarer, in qua acquiescerem. Igitur [29] quæ proposita fuerant nobis, cùm & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententiis dicendis, libertas in rep. capessenda, ea sublata tota: sed nec mihi magis, quàm omnibus. Nam, aut assentiendum erat nulla cum gravitate paucis, aut frustrà dissentiendum, [30] cùm senatus potentia ad tres homines immoderatos *Pompeium, Cæsarem, & Crassum* translata fuisset. *Posteà* Crassus interfecto P. filio exercitúque deleto, trans Euphratem cum ignominia, & dedecore periit. *Pompeius, ut unus in urbe*

[20] Ib.
[21] Ib.
[22] ep. 8. d. l. 1.
An. DCXCVIII.
[23] ep. 5. l. 4. Att.
[24] ep. 6. d. l. 4.
[25] pro Bal. v. c. 44. nu. 8.
[26] ep. 8. l. 1. fa. ap.
[27] ep. 6. l. 4. Att.
[28] ep. 17. d. l. 4.
[29] ep. 8. l. 1. fa.
[30] ep. 10. l. 2. Att.
An. DCC.

urbe omnia poſſet, [31] tertio conſulatu, poſtquam eſſe defenſor reip. cœpit, contendit, ut decem tribuni pl. ferrent, ut Cæſaris abſentis ratio haberetur. quod idem ipſe ſanxit lege quadam ſua, ne liceret. *Hæc ejus cum Cæſare conjunctio, ſic utrumque auxit, ut hic* [32] ſibi opinionis errore finxerit principatum : *ille tantùm in rep. valuit, ut* [33] rectè facienti gratia fuerit habenda. eſſe enim quamvis vellet juſtus, iniquus poterat impunè. *Quæ cùm ego antè multò proſpicerem* [34] M. Bibulo præſtantiſſimo cive conſule, nihil prætermiſi, quantum facere enitíque potui, quin Pompeium à Cæſaris conjunctione avocarem : in quo Cæſar fuit felicior. ipſe enim Pompeium à mea familiaritate diſjunxit. Poſteà verò, cùm ſe totum Pompeius Cæſari tradidit, quid ego illum à Cæſare diſtrahere conarer ? ſtulti erat ſperare, ſuadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæſarem Pompeio ſuaſerim : unum, ne quinquennii imperium Cæſari propagaret : alterum, ne pateretur ferri, ut abſentis ejus ratio haberetur. quorum, ſi utrumvis perſuaſiſſem, in has miſerias nunquam incidiſſemus. Atque idem cùm jam opes, & ſuas, & populi Ro. ad Cæſarem detuliſſet, *& apertè non vellet cum provinciam tenere cum exercitu, & conſulem eſſe :* ſeróque ea ſentire cœpiſſet, quæ multò antè prævideram, inferríque patriæ bellum nefarium viderem : pacis, concordiæ, compoſitionis auctor eſſe non deſtiti ([35] Cato enim, ipſe, *qui peccavit tum* ſervire, quàm pugnare maluit) [36] meáque illa vox eſt nota multis, UTINAM CN. POMPEII CUM C. CÆSARE SOCIETATEM, AUT NUNQUAM COIISSES, AUT NUNQUAM DIREMISSES. FUIT ALTERUM GRAVITATIS, ALTERUM PRUDENTIÆ TUÆ. Hæc mea ſemper & de Pompeio, & de rep. conſilia fuerunt, quæ ſi valuiſſent, reſp. ſtaret. [37] horum igitur omnium fons unus : imbecillo reſiſtendum fuit : & id erat facile. [38] Pompeius Cæſarem ſerò cœpit timere : [39] cui mallem tantas vires non dediſſet, quàm

[31] ep. 3. l. 8. Att. An. DCCI.
[32] 1. Off.
[33] 2. de Fin.
[34] 2. Phil. An. DXCIV.
[35] ep. 15. l. 7. Att.
[36] d. 2. Phil.
[37] ep. 7. l. 7. Att.
[38] ep. 11. l. 16. fa.
[39] ep. 3. l. 7. Att.

[40] ep. 3. l. 7. fa. quàm poſteà tam valenti reſtitiſſet. [40] Signa tirone & collectitio exercitu cum legionibus robuſtiſſimis contulit: victus turpiſſimè, amiſſis etiam caſtris, ſolus fugit. Hunc ego belli mihi finem feci, nec putavi cùm integri pares non

[41] ep. 7. l. 4. fa. fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. [41] Neque enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, conſilio, auctoritate, cauſa, quæ erant in nobis ſuperiora. Victi ſumus igitur, aut ſi vinci dignitas non poteſt, fracti certè & ab-

[52] ep. 24. l. 7. Att. jecti. [42] O rem miſeram! malas cauſas ſemper obtinuit, in optima concidit. *Ne plura.* Omninò converſa res eſt

[43] ep. 6. l. 10. ap. Pharſalico prœlio: [43] nomen populi Ro. deletum: *omnia*

[44] 2. Off. *delata ad unum ſunt.* [44] jure plectebamur. niſi enim multorum ſcelera tuliſſemus, nunquam ad unum tanta perveniſſet

[45] pro Mar. licentia. Attamen, [45] quia omnis fracta diſſenſio fuit armis, & exſtincta æquitate victoris: reſtabat, ut unum omnes vellent, qui modò haberent aliquid, non ſolùm ſa-

[46] ep. 16. l. 9. fa. pientiæ, ſed etiam ſanitatis. [46] Reliquum etiam tunc fuit, ne quid ſtultè, ne quid temerè dicerem, facerémve contra

[47] Ib. potentes. [47] Ut enim olim arbitrabar eſſe meum liberè loqui, cujus opera eſſet in civitate libertas: ſic ea amiſſa, nihil loqui, quod offenderet aut Cæſaris, aut eorum, qui

[48] ep. 18. l. 12. fa. ab illo diligebantur, voluntatem. [48] Bellorum enim civilium ii ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolùm fiant, quæ velit victor: ſed etiam, ut iis mos gerendus ſit, quibus ad-

[49] 2. Phil. jutoribus parta ſit victoria. [49] Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, cura, cogitatio, diligentia. multos annos regnare meditatus, magno labore, magnis periculis, quod cogitârat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam deliniebat: ſuos præmiis, adverſarios clementiæ ſpecie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati partim metu, partim potentia conſuetudinem ſerviendi. *Hæc cùm illo dominante cogita-*

[50] in Br. *rem,* [50] fortunatus *mihi* exitus *Hortenſii* videbatur, qui ea

[51] Ib. non vidit cùm fierent, quæ prævidit futura: [51] angebárque animo,

animo, non conſilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere remp. quæ didiceram tractare, quibúſque me aſſuefeceram, quæque erant propria, cùm præſtantis in rep. viri, tum benè moratæ & benè conſtitutæ civitatis: & quòd, quo tempore ætas noſtra perfuncta rebus ampliſſimis, tanquam in portum confugere deberet, non inertiæ, neque deſidiæ, ſed otii moderati, atque honeſti: cúmque ipſa oratio jam noſtra caneſceret, haberétque ſuam quandam maturitatem & quaſi ſenectutem, tum arma ſunt ea ſumta, quibus illi ipſi, qui didicerant eis uti glorioſè, quemadmodum ſalutariter uterentur, non reperiebant. [52] Sed, etſi doleo, me in vitam paulò ſeriùs, tanquam in viam ingreſſum, priuſquam confectum iter ſit, in hanc reip. noctem incidiſſe: tamen ea conſolatione ſuſtentor, quam *tunc* mihi Brutus adhibuit *ſuis* litteris ſuaviſſimis: quibus me forti animo eſſe oportere cenſebat: quòd ea egiſſem, quæ de me etiam tacente ipſa loquerentur, mortuóque viverent: quæ, ſi rectè eſſet, ſalute reip. ſin ſecus, interitu ipſo teſtimonium meorum de rep. conſiliorum darent. Quorum memoria & recordatio, in maximis noſtris graviſſimíſque curis, jucunda ſanè fuit, etiam [53] quum dominatu unius omnia tenerentur: neque eſſet uſquam conſilio, aut auctoritati locus: ſocios denique tuendæ reip. ſummos viros amiſiſſem. *At nova, & major ſecuta cura eſt. Interfecto Cæſare* [54] liberati dominatu regio videbamur: multò poſt graviùs urgebamur: [55] ut noſtræ ætati, quoniam cæſo domino liberi non fuimus, non fuerit dominus ille fugiendus. [56] Inſtrumentum regni delatum ad Lepidum & Antonium: quorum alter inconſtantior, alter impurior: uterque pacem metuens, inimicus otio: paulò plures in ſenatu malevoli, quàm grati: [57] unus modò conſularis dignus illo honore, dignus rep. inventus. [58] Quare ſenatum cogebar, quem laudavi ſemper, reprehendere: *& ſimul cohortari*, ut retineret conſtantiam, gravitatem, perſeverantiam:

[52] Ib.

[53] 2. Off.

[54] 7. Phil.

[55] ep. 4. l. 15. Att.

[56] ep. 14. ad Br.

[57] 1. Phil.

[58] 7. Phil.

rantiam: repeteret veterem illam ſeveritatem: ſiquidem auctoritas ſenatus, decus, honeſtatem, laudem, dignitatémque deſiderat: quibus rebus hic ordo caruit nimiùm diu. Sed erat excuſatio oppreſſis, miſera illa quidem, ſed
[59] 1. Phil. tamen juſta: pòſt nulla, [59] regni timore ſublato, & *depulſo*
[60] 3. Phil. *Antonio: qui quamdiu in urbe fuit*, [60] populo Ro. leges impoſuit: armis & præſidiis, & populum, & magiſtratus
[61] 13. Phil. foro excluſit: ſenatum ſtipavit armatis. [61] Cæſare dominante veniebamus in ſenatum, ſi non liberè, attamen tutè. Hoc archipirata (quid enim dicam tyranno?) ſenatorum
[62] 5. Phil. ſubſellia Ithyreis occupabantur. [62] An illa non graviſſimis ignominiis monumentíſque hujus ordinis ad poſteritatis memoriam ſunt notanda, quòd unus M. Antonius in hac urbe poſt urbem conditam, palàm ſecum habuerit armatos: quod neque reges noſtri fecerunt, neque ii, qui regibus exactis regnum occupare voluerunt? Cinnam memini, vidi Syllam, modò Cæſarem. hi enim tres poſt civitatem à L. Bruto liberatam plus potuerunt, quàm univerſa reſp. Non poſſum affirmare nullis telis eos ſtipatos fuiſſe: hoc dico,
[63] 2. Phil. nec multis, & occultis. [63] Iſta verò, quæ, & quanta barbaria fuit? agmine quadrato cum gladiis ſequebantur ſcutati milites: ſcutorum lecticas portari videbamus. Cal. Jan. cùm in ſenatum, ut erat conſtitutum, venire vellemus, metu perterriti repentè diffugimus. *Antonius tandem*
[64] 14. Phil. *urbem reliquit, & nos in libertatem pedem poſuimus.* [64] Ego, in tanta inopia conſtantium & fortium conſularium, magno dolore afficiebar. cùm alios malè ſentire, alios nihil omninò curare viderem, alios parùm conſtanter in ſuſcepta cauſa permanere, ſententiámque ſuam, non ſemper utilitate reip.
[65] ep. 28. l. 10. fa. ſed, cùm ſpe, tum timore moderari. [65] Quamobrem, ut primùm poſt illum Antonii fœdiſſimum diſceſſum ſenatus haberi liberè potuit, ad animum meum reverti priſtinum. Nam cùm ſenatum tribuni pl. vocaviſſent, déque alia re referrent, totam remp. ſum complexus, egíque acerrimè:

ſenatúmque

ſenatúmque tum languentem & defeſſum, ad priſtinam virtutem, conſuetudinémque revocavi, magis animi, quàm ingenii viribus. Hic dies, meáque contentio, atque actio ſpem primùm populo Ro. attulit libertatis recuperandæ. neque verò ipſe poſteà tempus ullum intermiſi de rep. non cogitandi ſolùm, ſed etiam agendi. Quàm volui ad illas epulas me Idib. Martiis invitâſſent? reliquiarum nihil habuiſſemus. Habuimus fortem ſenatum, conſulares partim timidos, partim malè ſentientes, populum querentem [65] de bello, non modò, non reſtincto, ſed etiam inflammato. Omninò eſt hoc populi maximéque noſtri in eo potiſſimùm abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. Sed tamen providendum fuit, ne qua juſta querela eſſet. [66] Bellum ad Mutinam gerebatur: nihil ut in Cæſare tunc reprehenderes, nonnulla in Hirtio. Hujus belli fortuna, ut in ſecundis fluxa: ut in adverſis, bona: erat victrix reſp. cæſis Antonii copiis, ipſo expulſo à Bruto. Deinde ita multa pacata, ut quodammodò victoria excideret è manibus: perterritos, inermes, ſaucios non ſunt noſtri duces perſecuti: datúmque Lepido tempus eſt, in quo levitatem ejus ſæpè perſpectam, majoribus in malis experiremur. Erat ſolicita civitas. illudebamur enim cùm militum deliciis, tum imperatoris inſolentia: tantum quiſque in rep. poſſe poſtulabat, quantum habuit virium: non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valuit, non judicium, non exiſtimatio civium, non poſteritatis verecundia, *non majeſtas populi, non ſenatus auctoritas. In quo* [67] animadverti dici à quibuſdam: Vide ne veteranos offendas. *Tum ego*, Quouſque P. C. dicimus ſententias veteranorum arbitratu? quod eorum tantum faſtidium eſt, quæ tanta arrogantia, ut ad arbitrium eorum imperatores etiam deligamus? [68] Quæ (malum!) eſt iſta ratio, ſemper optimis cauſis veteranorum nomen opponere? quorum etiam ſi amplecterer virtutem, ut facio: tamen, ſi eſſent arrogantes, faſtidium

[65] ep. 12. l. 11. fa.

[66] ep. 9. ad Br.

[67] 11. Phil. v. c. 12. nu. 13.

[68] 10. Phil.

ferre non possem. An nos conantes servitutis vincula rumpere impediet, si quis veteranos id nolle dixerit? non sunt enim (credo) innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant. nemo est præter veteranos milites vir, qui ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitetur? Potest igitur stare resp. freta veteranis sine magno subsidio juventutis? quos quidem vos libertatis adjutores complecti debetis: servitutis auctores sequi non debetis. Postremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) si veteranorum nutu mentes hujus ordinis gubernantur, omniáque ad eorum voluntatem nostro dicta, facta referuntur; optanda mors est, quæ civibus Ro. semper fuit potior servitute. [69] *Lucius Martius tribunus militum, cùm reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionum, quos arma Pœnorum in Hispania absumserant, dispersas mira virtute collegisset, earúmque suffragiis dux esset creatus: senatui de rebus actis à se scribens, in hunc modum orsus est: L. Martius Propr. cujus honoris usurpatione uti eum, patribus conscriptis non placuit: quia duces à populo, non à militibus creari solerent. quo tempore tam angusto, támque gravi, propter immane Reip. damnum, etiam trib. militum adulandus erat: quoniam quidem ad statum totius civitatis corrigendum unus suffecerat. sed nulla clades, nullum meritum valentius militari disciplina apud senatum fuit.*

69 Val. cap. 7. l. 2. v. cap. 18. nu. 7.

v. c. 23. nu. 23.

De Disputatione *et altercatione*

C A P. XLV.

[o] *Tutius esse puta gravibus contendere verbis,*
Quàm pugnare manu.

o Ovid. lib. 13. Met.

[1] MIHI & eorum casus, de quibus antè dixi, & ea, quæ ipsi ob amorem in remp. incredibilem & singularem pertulimus, ac sensimus cogitanti, sententia sæpè Q. fra-

1 3. de Or. v. cap. 42.

Q. fratris vera ac ſapiens videri ſolet: qui propter tot, tantos, támque præcipites caſus clariſſimorum atque optimorum virorum, me ſemper ab omni contentione, ac dimicatione revocavit. Sed quoniam hæc jam neque integra nobis eſſe poſſunt, & ſummi labores noſtri magna compenſati gloria mitigantur, pergamus ad ea ſolatia, quæ non modò ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam hærentibus ſalutaria eſſe poſſunt: *& nos ad noſtrum penſum revocemus, ac diſſenſiones principum civitatis, & exinde* [2] contentionem, [2] 1. Off. *quæ* diſputationibus tribuitur ſenatus, qualis eſſe ſoleat videamus. *Ea autem duplex eſt: una* [3] quum veritas ipſa [3] 2. Off. limatur in diſputatione: *& hæc ſæpè neceſſaria eſt: verùm ita temperanda, ut abſit* [4] concertatio captatióque verborum: [4] in Part. [5] nec contendatur quidquam contra æquitatem, neque pro [5] 1. Off. injuria: *patiatur ſenator facilè ſe vinci bonis ſententiis, eáque ſe* [6] de rep. ſentire ac dicere, quæ cùm ſibi maximè, tum [6] ep. 9. l. 1. fa. etiam reip. rationibus putet conducere. *quod niſi fecerit,* non ſine *perjurio faciet id,* [7] quod, cùm de rep. diſceptatur, [7] 4. Acad. fieri interdum ſolet, jurabit per Jovem, deóſque penates, ſe ea ſentire, quæ dicit. [8] Ita contendere mihi videtur è [8] pro Bal. v. cap. 43. nu. 25. rep. cùm id defendas, quod eſſe optimum ſentias: & id fortium virorum, & magnorum hominum ſemper putavi: neque huic unquam labori, officio, muneri defui: ſed contentio tam diu ſapiens eſt, quamdiu aut proficit aliquid, aut ſi non proficit, non obeſt civitati. Voluimus quædam, contendimus, experti ſumus: obtenta non ſunt: dolorem alii, nos luctum, mœrorémque ſuſcepimus: cur ea, quæ mutare non poſſumus, convellere maluimus, quàm tueri? [9] Id enim jubet Plato, quem ego auctorem vehementer ſe- [9] ep. 9. l. 1. fa. quor, tantum contendere in rep. quantum probare tuis civibus poſſis, vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingenda reip. fuiſſe: quòd cùm offendiſſet populum Athenienſem propè jam deſipientem ſenectute, tum eum nec per-

suadendo, nec cogendo regi posse vidisset, cùm persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd neque desipiente populo, neque integra re
v. cap. 43. nu. 20. mihi ad consulendum, capesserémne remp. implicatus te-
[10] 1. Off. bebar, *ut paulò antè dixi.* [10] Miserrima est omninò ambitio honorúmque contentio: de qua præclarè apud eundem est Platonem, similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potiùs remp. administraret, ut, si nautæ certarent, quis eorum potissimùm gubernaret. Idémque præcepit, ut eos adversarios existimemus, qui arma contrà ferunt: non eos, qui suo judicio tueri remp. velint: qualis fuit inter P. Africanum, & Q. Metellum sine acerbitate dissensio:
[11] ep. 17. l. 1. Att. *itémque inter me, & Catonem, quum ille* [11] miseros Publica-
[12] ep. 8. l. 2. fa. nos, quos habuit amicissimos sui, vexaret: *quum* [12] à senatu,
v. c. 41. nu. 15. 16. & ordinem conjunctissimum, & hominem clarissimum *Cn. Pompeium* abalienaret. *Et licet in omnibus non fuerit eadem*
[13] 2. Phil. *mea, & ipsius Pompeii sententia,* [13] an ille tamen quenquam plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpiùs? quod quidem erat magnum de summa re dissidentes, in eadem consuetudine amicitiæ permanere. Sed & ego quid ille, & contrà ille quid ego & sentirem, & spectarem videbat. ego incolumitati civium primùm, ut posteà dignitati possemus: ille præsenti potiùs consulebat. quod autem habebat uterque quod sequeretur, idcircò tolerabilior erat nostra dissensio. Quid verò ille singularis vir, ac penè divinus de me senserit, sciunt, qui eum de Pharsalica fuga Paphum persecuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, cùm me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. *De me non*
[14] ep. 14. l. 14. Att. *verebor etiam dicere,* [14] nihil unquam, non modò acerbum in me fuisse, sed ne paulò quidem tristius, aut severius, quàm necessitas reip. postulârit: ut, ne in ipsum quidem Clodium, meum insigne odium fuerit unquam. Contendi cum *illo,* cùm ego publicam causam, ille suam defenderet:

fenderet: noſtras contentiones reſp. dijudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio jam maneret. [15] ex quo judicari *poteſt*, me non cum homine, ſed cum cauſa diffidere *ſolere. Habes ea, quæ de contentionibus primi generis ſentio, è quibus, tanquam è ſcrupuloſis cotibus enavigavit oratio. reliquæ diſputationis curſum teneamus. Altera contentio in altercationibus conſumitur: quæ interdum inutiles non ſunt.* [16] plerumque enim reſp. privatis creſcit inimicitiis: ubi nemo civis qualis ſit vir poteſt latere. *Hæ tamen non tam ſenatori, quàm oratori conveniunt. decenter his Craſſus uſus,* [17] in altercando invenit parem neminem. *Hujus generis fuit illa mea cum Clodio, quem* [18] præſentem fregi in ſenatu, cùm oratione perpetua, pleniſſima gravitatis, tum altercatione hujuſmodi, ex qua licet pauca deguſtes. nam cætera non poſſunt habere eandem neque vim, neque venuſtatem, reſtincto illo ſtudio contentionis, quem ἀγῶνα *Græci* appellant. Nam, ut Id. Maii in ſenatum convenimus, rogatus ego ſententiam, multa dixi de ſumma rep. atque ille locus inductus à me eſt divinitùs: Ne una plaga accepta P. C. conciderent: vulnus eſſe ejuſmodi, quod mihi nec diſſimulandum, nec pertimeſcendum videretur, ne aut ignorando ſtultiſſimi, aut metuendo ignaviſſimi judicaremur. Bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium jam eſſe à judicibus in remp. immiſſum. Erras, Clodi, non te judices urbi, ſed carceri reſervârunt: neque retinere in civitate, ſed exilio privare voluerunt. Quamobrem P. C. erigite animos, retinete veſtram dignitatem, manet illa in Repub. bonorum conſenſio, dolor acceſſit bonis viris, virtus non eſt imminuta, nihil eſt damni factum novi: ſed, quod erat inventum eſt: in unius hominis perditi judicio plures ſimiles reperti ſunt. Sed quid ago? Redeo ad altercationem: ſurgit pulchellus puer, objicit mihi me ad Baias fuiſſe. Salſum: ſed tamen quid huic ſimile eſt, inquam? dicas quaſi in operto fuiſſe. Quid, inquit, homini

[15] 11. Phil.

[16] Orat. in Sall.

[17] in Br.

[18] ep. 15. l. 1. Att.

Arpinati cum aquis calidis? Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinateis aquas concupivit: nôſti enim Marianas. Quouſque, inquit, hunc regem feremus? Regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem regis hæreditatem ſpe devorârat. Domum, inquit, emiſti. Putas, inquam, dicere, judices emiſti? Juranti, inquit, tibi non crediderunt. Mihi verò, inquam, XXV. judices crediderunt: XXXI. quoniam nummos antè acceperunt, tibi nil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. [19] Illum ego periiſſe duco, cui quidem periit pudor. *Hæc & alia in more poſita, cùm non niſi per acta ſenatus facile percipiantur, non erat inutile acta quædam hic adſcribere, & ſimul ſententiarum ac ſenatuſconſultorum formulas: ut notatione eliciatur, atque illuſtretur exemplis conſuetudo ſenatoria.*

[19] Plaut. in Bacchid.

Acta unius diei.

CAP. XLVI.

Ep. 1. l. 2. ad Q. fr. An. DCXCVI.

SENATUS fuit frequentior, quàm putabamus eſſe poſſe menſe Decembri ſub dies feſtos. conſulares nos fuimus, & duo conſules deſignati: P. Servilius, M. Lucullus: Lupus, Volcatius, Glabrio præt. ſanè frequentes fuimus, omninò ad ducentos. Commôrat expectationem Lupus: egit cauſam agri Campani ſanè accuratè: auditus eſt magno ſilentio: nihil ex noſtris actionibus prætermiſit. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæſarem, contumeliæ in Gellium, expoſtulationes cum abſente Pompeio. Cauſa ſerò perorata ſententias ſe rogaturum negavit, ne quod onus ſimultatis nobis imponeret: ex ſuperiorum temporum conviciis, & ex præſenti ſilentio, quid ſenatus ſentiret ſe intelligere dixit. In illo cœpit dimittere. Tum Marcellinus: Noli, inquit, ex taciturnitate noſtra, Lupe, quid aut probemus

bemus hoc tempore, aut improbemus judicare. ego quod ad me attinet, idémque arbitror cæteros, idcircò taceo, quòd non exiſtimo, cùm Pompeius abſit, cauſam agri Campani agi convenire. Tum ille ſe ſenatum negavit tenere. Racilius ſurrexit, & de judiciis referre cœpit. Marcellinum quidem primùm rogavit. is, cùm graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus queſtus eſſet, ſententiam dixit, ut ipſe judices prætor urbanis ſortiretur: judicum ſortione facta, comitia haberentur: qui judicia impediviſſet, eum contra remp. eſſe facturum. Approbata valdè ſententia, C. Cato contrà dixit & Caſſius maxima acclamatione ſenatus, cùm comitia judiciis anteferret. Philippus aſſenſit Lentulo. Poſteà Racilius de privatis me primùm ſententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore, latrociniόque P. Clodii. eum tanquam reum accuſavi multis & ſecundis admurmurationibus cuncti ſenatus. Orationem meam collaudavit ſatis multis verbis, non mehercule indiſertè vetus Antiſtius: iſque judiciorum cauſam ſuſcepit, antiquiſſimámque ſe habiturum dixit. Ibatur in eam ſententiam. tum Clodius rogatus, diem dicendo eximere cœpit. furebat à Racilio ſe contumaciter, inurbanéque vexatum: deinde ejus operæ repentè à Græcoſtaſi & Gradibus clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt, opinor, in Q. Sextilium, & amicos Milonis incitatæ. Eo metu injecto repentè magna querimonia omnium diſceſſimus. habes acta unius diei.

ACTA ALTERIUS DIEI: *quæ monſtrant ſenatoriam libertatem in monendo, & objurgando etiam ſenatu: nedum in dicendo, quæ ſenator velit, & quàm velit diu.*

CAP. XLVII.

EQUITES valdè graviter tulerunt promulgatum ex S. C. fuiſſe, ut de iis, qui ob judicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur: qua in re decernenda, cùm ego

Ep. 16. l. 1. Att. An. DCXCII.

ego casu non adfuissem, sensissémque id equestrem ordinem ferre molestè, neque apertè dicere, objurgavi senatum, ut mihi visus sum summa cum auctoritate, & in causa non verecunda, admodum gravis & copiosus fui. Ecce aliæ
v. c. 23. nu. 32 deliciæ equitum vix ferendæ, quas ego non solùm tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimiùm magno conduxisse: &, ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adjutoribus, atque adeò secundus. Nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne si nihil impetrâssent, planè alienarentur à senatu. Huic quoque rei subventum est maximè à nobis, perfectúmque, ut frequentissimo senatu & liberalissimo uterentur: multáque à me de ordinum dignitate & concordia dicta sunt Cal. Decembribus, & postridie: neque tum res confecta est, sed voluntas senatus perspecta. unus enim contradixerat Metellus cos. des. Diu erat dicturus (ad quem propter diei brevitatem perventum non est) heros ille noster Cato.

RES ACTÆ IN SENATU: *ex quibus sciri potest S. Ca. fieri, vel per discessionem, vel sententiis dictis voce, aut de scripto.*

CAP. XLVIII.

[1] ep. 21. l. 12. Att. An. DCXC. [1] IN sententiam Catonis contra Cethegum & socios, quia verbis luculentioribus & pluribus rem eandem comprehenderat, est facta discessio. [2] Cùm de intercessione, de
[2] ep. 13. l. 8. fa. provinciis referretur, quæ relatio fiebat ex S. C. primáque M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum Tribunis pl. censebat, frequens senatus in alia omnia iit. Transierant illuc, ut ratio esset ejus habenda, qui neque
[3] pro Sext. An. DCXCVI. exercitum, neque provincias tradere vellet. [3] Quid ego

illud de me divinum S. C. commemorem? quod in templo Jovis optimi Max. factum est, cùm vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras, atque regiones tribus triumphis adjunctis huic imperio notavit, de scripto sententia dicta, mihi uni testimonium patriæ conservatæ dedit. Cujus sententiam ita frequentissimus senatus secutus est, cùm CCCCX. senatores essent, magistratúsque omnes adessent, ut unus dissentiret hostis, idque ipsum tabulis publicis mandaretur ad memoriam posteri temporis sempiternam.

RES ACTÆ IN SENATU: *ex quibus intelligi poterit sententias, cùm variæ sunt, pronuntiari: sententiam, quæ res plures complectitur, dividi: ut de singulis fiat relatio.*

CAP. XLIX.

IDIBUS Jan. in senatu nihil est confectum. propterea, quòd dies magna ex parte consumtus est altercatione Lentuli cos. & Caninii tribuni pl. Eo die nos quoque multa verba fecimus, maximéque visi sumus senatum, commemoratione tuæ voluntatis erga illum ordinem, commovere. Itaque postridie placuit, ut breviter sententias diceremus: videbatur enim reconciliata nobis voluntas senatus esse, quod tum dicendo, tum singulis appellandis, rogandísque perspexeram. Itaque cùm sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres legati regem reducerent: secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur, quatenùs de religione dicebat, cui quidem rei jam obsisti non poterat, Bibulo assensum est. De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cùm Lupus tribunus pl. quod ipse de Pompeio retulisset, intendere cœpit, antè se oportere discess-

Ep. 2. l. 1. fa. ad Lent. An. DCXCVII.

discessionem facere, quàm consules. Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim, & iniqua, & nova: consules neque concedebant, neque valdè repugnabant: diem consumi volebant: id quod est factum. perspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros: quamquam apertè Volcatio assentirentur. Multi rogabantur, atque id ipsum consulibus invitis. Nam & Bibuli sententiam valere cupiêrunt. Hâc controversiâ usque ad noctem ductâ, senatus est dimissus.

ACTA, QUIBUS PATET S. C[a]. *etiam fieri sine varietate: interdum non dictis sententiis.*

CAP. L.

[1] 3. Phil. v. c. 42. [2] 3. Catil.

[1] MAGNA vis est, magnum numen, unum & idem sententiis senatus. [2] Indiciis expositis atque editis *de conjuratione Catilinæ*, senatum consului de summa rep. quid fieri placeret. Dictæ sunt à principibus acerrimæ ac fortissimæ sententiæ, quas senatus sine ulla varietate est secutus; atque ea lenitate est usus, ut ex tanta conjuratione, tantáque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum pœna rep. conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitrarentur. [3] In æde Telluris post mortem Cæsaris, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Atheniensiúmque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa: atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Præclara tum oratio M. Antonii: dictaturam, quæ vim jam regiæ potestatis obsederat funditùs ex rep. sustulit: de qua ne sententias quidem diximus: scriptum S. C. quod fieri vellet, attulit: quo recitato auctoritatem ejus summo studio secuti sumus, eíque amplissimis verbis per S. C. gratias egimus.

[3] 1. Phil. An. DCCIX.

SENTENTIARUM

SENTENTIARUM *formulæ.*

CAP. LI.

[1] QUÆ cùm ita sint: quòd C. Pansa cos. verba fecit de litteris, quæ à Q. Cæpione Bruto procos. allatæ, & in hoc ordine recitatæ sunt: de ea re ita censeo: cùm Q. Cæpionis Bruti procos. opera, consilio, industria, difficillimo reip. tempore provincia Macedonia, Illyricum, & cuncta Græcia, & legiones, exercitus, equitatus in consulum, senatus, populíque Romani potestate sint: id Q. Cæpionem Brutum procos. benè & è rep. & pro sua majorúmque suorum dignitate, consuetudinéque reip. benè gerendæ fecisse: eámque rem senatui, populóque Ro. gratam esse, & fore. Utique Q. Cæpio Brutus procos. provinciam Macedoniam, Illyricum, cunctámque Græciam tueatur, defendat, custodiat, incolumémque conservet. eíque exercitui, quem ipse constituit, comparavit, præsit: pecuniámque ad rem militarem, si qua opus sit, quæ publica sit, & exigi possit, exigat, utatur: pecuniásque, à quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, imperet frumentúmque: operam det, ut cum suis copiis quàm proximè Italiam sit: cúmque ex litteris Q. Cæpionis Bruti procos. intellectum sit Q. Hortensii procos. opera & virtute vehementer remp. adjutam, omniáque ejus consilia cum consiliis Q. Cæpionis Bruti procos. conjuncta fuisse, eámque rem magno usui reip. fuisse, Q. Hortensium procos. rectè & ordine, exque rep. fecisse: senatuíque placere Q. Hortensium procos. cum quæstoribus, próve quæstoribus, & legatis suis provinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex S. C. successum sit. ALIA. [2] Censeo: cùm P. Dolabella, quique ejus crudelissimi, & teterrimi facinoris ministri, socii, adjutores fuerunt, hostes populi Ro. à senatu judicati sint: cúmque senatus P. Dolabellam bello persequendum censuerit, ut is, qui omnia deorum, hominúmque jura

[1] 10. Phil. An. DCCX.

v. c. 24. nu. 59.

[2] 11. Phil.

jura novo, inaudito, inexpiabili scelere polluerit, nefarióque patriæ se patricidio obstrinxerit, pœnas diis, hominibúsque meritas debitásque persolvat: senatui placere C. Cassium procos. provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure provinciam obtinuerit, eúmque à Q. Martio Crispo procos. L. Statio Murco procos. A. Alieno legato exercitus accipere, eósque ei tradere: cúmque his copiis, & si quas præthereà paraverit bello P. Dolabellam terrâ, maríque persequi: ejus belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, cæteráque omnia, quæ ad id bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto, jus potestatémque habeat: utque quamcunque in provinciam ejus belli gerendi causa advenerit, ibi majus imperium C. Cassii procos. sit, quàm ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cùm C. Cassius in eam provinciam venerit: regem Deiotarum patrem, & regem Deiotarum filium, si, ut multis bellis sæpenumerò imperium populi Ro. juverint, item C. Cassium pro consule copiis suis, opibúsque juvissent, senatui, populóque Ro. gratum esse facturos: itémque si cæteri reges, tetrarchæ, dinastæque fecissent, S. P. Q. R. eorum officii non immemorem futurum: utique C. Pansa, A. Hirtius consules, alter, ambóve, si eis videretur, rep. recuperata de provinciis consularibus, prætoriis ad hunc ordinem primo quoque tempore referant: intereà provinciæ ab iis, à quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex S. C. successum sit.

FORMULÆ S. C. ET AUCTORITATUM.

CAP. LII.

Ep. 8. l. 8. fa. An. DCCII. QUOD M. Marcellus cos. V. F. de provinciis consularibus D. E. R. I. C. uti L. Paullus, C. Marcellus coss. cùm magistratum inissent Cal. a. d. Mar. quæ in suo

magistratu

magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus provinciis ad ſenatum referrent, néve quid prius ex a. d. Cal. Martiis néve quid conjunctim de ea re referretur à conſulibus: utique ejus rei cauſa per dies comitiales ſenatum haberent, S. Q. C. facerent: & cùm de ea re ad ſenatum referretur à conſulibus, eorum, qui in ccc. judicibus eſſent, ſex adducere liceret: ſi quid de ea re ad populum plebémve lato opus eſſet, ut Servius Sulpicius, M. Marcellus conſules, prætores, trib. pl. quibus eorum videretur ad populum plebémve ferrent: quod ii non tuliſſent, uti quicunque deinceps eſſent, ad Po. plebémve ferrent. S. C. Auctoritas. Prid. Cal. Octobris in æde Apollinis, ſcribendo adfuerunt, L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius, Scipio, L. Villius L. F. Pomt. Annalis, C. Septimius, T. F. Quir. C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius, L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terent. Quod M. Marcel. cos. V. F. de provinciis, D. E. R. I. C. ſenatum exiſtimare, neminem eorum, qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, quò minùs de rep. quamprimùm ad ſenatum referri, S. C. Q. fieri poſſet qui impediêrit, eum ſenatum exiſtimare contra remp. feciſſe. Si quis huic ſenatus-conſulto interceſſerit, ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & ea de re ad ſenatum, populúmque referri. Huic S. C. interceſſit. C. Cælius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Vibius Panſa. Item ſenatui placere de militibus, qui in exercitu C. Cæſaris ſunt, qui eorum ſtipendia emerita, cauſas, quibus de cauſis miſſi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, cauſæque cognoſcantur. Si quis huic S. C. interceſſiſſet, ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populúmque ferri. Huic S. C. interceſſiſſet, C. Cælius C. Panſa, trib. pl. Itémque ſenatui placere in Ciliciam provinciam, ínque octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætore

obtinerent,

obtinerent, eos qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro prætore mitti oporteret, eos sortitò in provincias mitti placere. Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum prætorium fuisset, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. Si ad numerum ii non essent, tunc deinceps proximi cujusque collegii, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti fuissent in sortem conjicerentur, quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret. Si quis huic S. C. intercessisset auctoritas perscriberetur. Huic S. C. intercessit C. Cælius, C. Pansa trib. pl. Illa tunc Cn. Pompeii sunt animadversa, quæ maximè confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret ante Cal. Mar. se non posse sine injuria de provinciis Cæsaris statuere: post Cal. Mar. se non dubitaturum. Cùm interrogaretur, si qui tum intercederent: dixit hoc nihil interesse, utrùm Cæsar senatus dicto audiens futurus non esset, an pararet, qui senatum decernere non pateretur. Quid si, inquit alius, & consul esse, & exercitum habere volet: at ille quàm clementer! quid si filius meus fustem mihi impingere volet? his vocibus, ut existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negotium, effecit.

QUID SIT S. C. TACITUM: *quid differat auctoritas à* S. C.

CAP. LIII.

[1] Capitol in Gord. adConstant.

[1] *SENATUSCONSULTUM tacitum quale sit, aut quare sic appellatum brevi exponam. Omninò exemplum senatusconsulti taciti, non aliud est hodie, quàm quo vestra clementia convocatis ad interiora majoribus, ea disponit, quæ non sunt*

ſunt omnibus publicanda: de quibus adjurare etiam ſoletis, ne quis ante rem completam quicquam, vel audiat, vel intelligat. Hunc autem morem apud veteres neceſſitates publicæ repererunt, ut ſi fortè aliqua vis ab hoſtibus immineret, quæ vel cogeret humilia captare conſilia: vel aliqua conſtituere, quæ non priùs oporteret dici, quàm effici: vel ſi nollent ad amicos aliqua permanare, S. C. tacitum fieret: ita, ut non ſcribæ, non ſervi publici, non cenſuales illis actibus intereſſent, ſenatores omnium officia cenſualium ſcribarúmque complerent, ne quid fortè proderetur. Hæc de S. C. tacito.

Sin accideret, ut tot non adeſſent ſenatores, quot opus erat, conſilium qui aderant capiebant: quod ſtatuerant perſcribebatur: non tamen vim S. C. obtinuit, ſed auctoritas ſenatus dicebatur, quæ oſtenderet, ſententia quæ fuiſſet eorum, qui conſilio aderant. quod etiam obſervatum eſt, cùm aut loco, aut tempore alieno, aut nullo legitimo edicto vocati coiiſſent: aut tribuni pl. intercceſſiſſent. Nam cùm S. C. fieri tunc nequiret, ſententiam tamen ſuam ſenatus volebat eſſe occultam, quæ deinde more Romano rata foret, ac nomen obtineret S. C. Idque ab antiquis diu retentum noſtro tempore ferè exolevit. Dio lib. 5.

OBSERVATIO SINGULARIS *de adhibitis interdum ad excipiendum acta ſenatoribus.*

CAP. LIV.

IN rebus gravioribus adhibentur interdum ad excipiendum non S. Cᵃ· modò, ſed etiam acta ſenatores, ut ea ſint certiſſimis teſtata monumentis. Vidi ego hoc conſul: niſi recenti memoria ſenatus, auctoritatem indicii conjurationis Catilinæ, ejúſque ſociorum monumentis publicis teſtatus eſſem, fore, ut aliquando aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hoſtis, aliter indicata hæc eſſe diceret, quò faciliùs vento aliquo in optimum quemque excitato, poſſet in malis reip. portum ſuorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in ſenatum indicibus, conſtitui ſenatores, pro Syl.

qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa perſcriberent. At quos viros? non ſolùm ſumma virtute & fide, cujus generis eſt in ſenatu facultas maxima: ſed etiam quos ſciebam memoria, ſcientia, conſuetudine & celeritate ſcribendi facillimè, quæ dicerentur, perſequi poſſe: C. Coſconium, qui tunc erat prætor; M. Meſſalam, qui tum præturam petebat: P. Nigidium, Ap. Claudium. Credo eſſe neminem, qui his omnibus aut verè referendis, aut ſcribendis putet fidem, diligentiam, ingenium defuiſſe. Quid deinde? quid feci? cùm ſcirem ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illæ tabulæ privata tamen cuſtodia more majorum continerentur: non occultavi, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis, dividi paſſim & pervulgari, atque edi populo Ro. imperavi: diviſi toti Italiæ, diviſi in omnes provincias: ejus indicii, è quo ſalus oblata eſſet omnibus, expertem eſſe neminem volui. Itaque dico locum in orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco populi Ro. nomen ſit, quin eodem perſcriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam ſubito, & exiguo, & turbido tempore multa divinitùs, ita ut dixi, non mea ſponte, providi: primùm, ne quis poſſet tantum aut de reip. aut de alicujus periculo meminiſſe, quantum vellet: deinde, ne cui liceret unquam reprehendere illud indicium, aut temerè creditum criminari: poſtremò, ne quid jam à me, ne quid ex meis commentariis quæreretur: ne aut oblivio mea, aut memoria videretur nimia: ne denique aut negligentia turpis, aut diligentia crudelis putaretur.

ACTA, QUÆ MONSTRANT *S. C^a. nonnunquam infringi, ſententias abrumpi per calumnias & contentiones principum in Repub. aut per improbitatem, & diſſimulationem conſulum.*

CAP. LV.

[1] S. C. *Lentulo* referente factum eſt, *ut qui Ciliciam ſortiretur* regem *Alexandrinum* reduceret: [2] ita ſenatus

[1] ep. 1. l. 1. fa.
[2] ep. 7. d. l. 1.

natus initio cenſuit. *Sed planè* [3] res multò antequam *Lentulus, cui Cilicia obtigerat* profectus eſt, ab ipſo rege, & ab intimis ac domeſticis Pompeii clam exulceratæ ſunt: deinde palàm à conſularibus exagitatæ, & in ſummam invidiam adductæ. *Per Catonem quidem tribunum pl. objecta ſenatui religio eſt, prolato è Sibyllinis libris oraculo, ne rex cum* [4] multitudine reduceretur : *ſi fieret, malo publico futurum. Inde* [5] res ab adverſariis Lentuli extracta eſt variis calumniis. [6] Senatus religionis calumniam, non religione, ſed malevolentia, & illius regis largitionis invidia comprobavit. [7] Opinio populi Ro. fuit à Lentuli invidis atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam, ut *eum* impedirent, quàm, ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam vellet ire. *Hinc aliud* [8] de rege Alexandrino factum eſt S. C. cum multitudine reduci periculoſum reip. videri. Reliqua cùm eſſet in ſenatu contentio, Lentulúſne an Pompeius reduceret, obtinere cauſam Lentulus videbatur. Attamen res ab eo remota eſt: licet [9] S. C. nullum exſtet, quo reductio regis Alexandrini illi ademta ſit: eáque, quæ de ea ſcripta eſt auctoritas, cui interceſſum eſt, ut ne quis omninò regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, quàm conſtantis ſenatus conſilium eſſe videatur. [10] Quæ cùm gravia ſunt, tum nihil gravius illo, quòd decretam provinciam non habere, aut multari imperatorem diminutione provinciæ contumelioſum eſt: neque ſolùm ſummo in viro, ſed etiam in mediocri homine ne accidat, providendum. [11] Cn. Pompeio Magno & M. Licinio Craſſo coſs. ad tertium idus Maii S. C. factum eſt de ambitu in Afranii ſententiam : ſed magno cum gemitu ſenatus conſules non ſunt perſecuti eorum ſententiam: qui Afranio cùm eſſent aſſenſi addiderunt, ut prætores ita crearentur, ut dies LX. privati eſſent. eo die Catonem planè repudiârunt. Quid multa? tenuerunt omnia : idque ita omnes intelligere volebant.

[3] d. ep. 1.

[4] d. ep. 7.

[5] ep. 4. d. l. 1.

[6] d. ep. 1.

[7] d. ep. 4.

[8] ep. 2. l. 2. ad Q. fr.

[9] ep. 7. l. 1. fa.

[10] de Pro. cons. ap.

[11] ep. 8. l. 2. ad Q. fr. DCXCVII.

DE

De senatorio consilio, *& judiciaria senatorum dignitate imminuta paucorum improbitate: & translatis offensione judiciorum ad alios judiciis.*

CAP. LVI.

[1] v. cap. 1. nu. 14. HACTENUS *de* [1] summo consilio, *quod à* senibus majores nostri appellârunt senatum, *& de patribus,*
[2] pro R. Am. [2] qui ex civitate in senatum propter dignitatem *lecti, patres conscripti nominantur, ab ætate senatores diximus. Reliqua de iisdem erit oratio, ut* ex senatu in consilium judiciarium
[3] 3. Ver. deligantur propter severitatem. [3] Splendor *horum* facit, ut peccare sine summo reip. detrimento, ac periculo non
[4] Ib. possint. [4] Neque enim salus ulla major reip. reperiri potest, quàm populum Ro. intelligere optimis latis judiciis socios, leges, remp. senatorio consilio maximè posse defendi. neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere, quàm opinione populi Ro. rationem veritatis, inte-
[5] Ib. gritatis, fidei, religionis ab hoc ordine abjudicari. [5] Non potest sperare populus Ro. esse alios, qui rectè possint ju-
[6] 4. ad Her. dicare, *senatores* si non potuerint, *aut noluerint.* [6] Nam si canes fungantur officio luporum, cuinam præsidio pecuaria
[7] pro R. Am. credemus? [7] dii prohibeant, ut hoc, quod majores consilium publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum ex-
[8] 3. Ver. ap. istimetur. *C. Gracchus patribus infensus* [8] aliud genus hominum atque etiam rationem judiciorum requisivit: *& senatoribus judicandi potestatem eripuit. Tulit enim legem,*
[9] 2. Ver. ap. [9] ut equester ordo judicaret. *Secuta est lex Plotia, qua*
An. DCXXXI. [10] senatores cum equitibus Ro. judicaverunt [11] *M. Plotius*
[10] Or. 1. pro Corn. *trib. pl. legem tulit adjuvantibus nobilibus, ut tribus singulæ*
[11] Asc. lib. *quinos denos suffragio crearent, qui eo anno judicarent. Unde factum est, ut senatores in eo numero essent, & quidam ex plebe. Tribus autem XXXV. fuerunt. Ita judicium numerus DXXV. fuit. Sapienter actum est lege Plotia, quia judicia communicata cum cæteris civibus constituta sunt, ut in judi-*

P 2 *cum*

cum [12] conſiliis omnibus, non modò aures hominum: ſed etiam oculi populi Ro. intereſſe viderentur, & *equites in moderata vitæ ratione permanerent.* [13] Anteà cùm equeſter ordo ſolus judicaret, improbi & rapaces magiſtratus in provinciis inſerviebant publicanis: ornabant eos, qui in operis erant: quemcunque equitem Ro. in provincia viderant, beneficiis ac liberalitate proſequebantur: neque tantùm illa res nocentibus proderat, quantùm obfuit multis, cùm aliquid contra utilitatem ejus ordinis, voluntatémque feciſſent. Retinebatur hoc tum, neſcio quo modo, quaſi communi conſilio ab illis diligenter, ut qui unum equitem Ro. contumelia dignum putáſſet, ab univerſo ordine malo dignus judicaretur. *L. Sylla* [14] pro illo odio, quod habuit in equeſtrem ordinem *judicia ad ſenatum tranſtulit: & judicavit hic ordo per annos decem turpiter. Unde ſenatores ſic in invidiam vocabantur, ut videretur honoris ampliſſimi nomen, plus invidiæ, quàm dignitatis afferre.* [15] O commemoranda judicia, præclarámque exiſtimationem noſtri ordinis! cùm [16] omnia non modò commemorarentur, ſed etiam expoſitis certis rebus agerentur, quæ inter decem annos, poſteaquam judicia ad ſenatum tranſlata ſunt, in rebus nefariè, flagitioſéque facta ſunt. *Agnovit inde* populus Ro. quid eſſet quamobrem cùm equeſter ordo judicaret annos propè quinquaginta continuos, nullo judice equite Romano judicante, ne tenuiſſima quidem ſuſpicio ob rem judicandam conſtituta ſit: quòd judiciis ad ſenatorium ordinem tranſlatis, ſublatáque populi Ro. in unumquemque judicem poteſtate Q. Calidius damnatus dixerit minoris tricies prætorium hominem honeſtè non poſſe damnari: quòd P. Septimio ſenatore damnato, Q. Hortenſio prætore, de pecuniis repetundis, lis æſtimata ſit eo nomine, quòd ille ob rem judicandam pecuniam accepiſſet: quòd in C. Herennio, quòd in C. Popilio ſenatoribus, qui ambo peculatus damnati ſunt: quòd in M. Atilio, qui de majeſtate damnatus eſt, hoc planum factum eſt, eos pecuniam ob rem judicandam

[12] 2. Ver. ap.
[13] 5. Ver.
[14] pro Clu. ap.
[15] 2. Ver.
[16] Ib.

dam accepisse: quòd inventi sunt senatores, qui C. Verre præt. urbano sortiente exirent in eum reum, quem incognita causa condemnarent: quòd inventus est senator, qui cùm judex esset, in eodem judicio & ab reo pecuniam acciperet, quam judicibus divideret, & ab accusatore, ut reum condemnaret. Jam verò quomodo ego illam labem, ignominiam, calamitatémque totius ordinis conquerar, hoc factum esse in hac civitate, cùm senatorius ordo judicaret, ut discoloribus signis juratorum hominum sententiæ notarentur? *Hæc & similia in causa fuere*, ut [17] totus ordo paucorum improbitate & audacia premeretur, & urgeretur infamia judiciorum: [18] nulla in judiciis severitas, nulla religio, nulla denique existimarentur judicia. Itaque à populo Rom. contemnebamur, despiciebamur: gravi, diuturnáque flagravimus infamia judiciorum. Neque enim ullam aliam ob causam populus Ro. tribunitiam potestatem tanto studio requisivit: quam cùm poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera judicia poscebat. Neque hoc Q. Catulum hominem sapientissimum, atque amplissimum fugit: qui Cn. Pompeio viro fortissimo & clarissimo de tribunitia potestate referente, cùm esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctoritate usus: Patres conscriptos judicia malè & flagitiosè tueri: quòd si in rebus judicandis populi Ro. existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse tribunitiam potestatem desideraturos. Ipse denique Cn. Pompeius, cùm primùm concionem ad urbem consul designatus habuit, ubi id, quod maximè exspectari debebatur, ostendit se tribunitiam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione cùm dixisset populatas vexatásque esse provincias, judicia autem turpia, ac flagitiosa fieri: ei rei se providere, ac consulere velle: tum verò non strepitu, sed maximo clamore suam populus Ro. significavit voluntatem. [19] Nihil est enim quod minùs ferendum sit, quàm rationem ab altero vitæ, reposcere eum, qui non possit suæ reddere. O mi-

[17] Ib.

[18] 2. Ver.

[19] 1. Ver.

[20] O miſerum, atque invidioſum offenſúmque paucorum [20] 5. Ver.
culpa atque indignitate ordinem ſenatorium! [21] Inveteravit [21] 2. Ver.
tum opinio pernicioſa reip. nobíſque periculoſa, quæ non
modò Romæ, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone
percrebruit, judiciis, quæ tunc erant, pecunioſum hominem,
quamvis eſſet nocens, neminem potu iſſe damnari. Itaque [22] 3. Ver.
[22] omnes homines alium omninò ordinem ad res judicandas
quærendum arbitrabantur. [23] Populus Ro. aliud genus [23] 7. Ver.
hominum, alium ordinem requiſivit. *L. Aurelius Cotta*
[24] legem de judiciis judicibúſque novis promulgavit, [25] & [24] Ib.
remp. ſiſtere negavit poſſe, nî ad equeſtrem ordinem judicia [25] 5. Ver.
referrentur: [26] plebs legem Aureliam non modò accepit, [26] 1. Corn.
ſed etiam efflagitavit, *qua à ſenatoribus, equitibus, tribunis
ærariis, item centurionibus judicia exercentur.* [27] Antonius [27] 5. Phil.
homo caſtus, atque integer, judiciorum & juris auctor, le-
gem etiam judiciariam tulit [28] de tertia judicum, quæ eſt [28] 1. Phil.
centurionum. Iſti ordini judicatus lege Julia, etiam antè
Pompeia, Aurelia patebat: Cenſus præfiniebatur, non cen-
turioni quidem ſolùm, ſed equiti etiam Romano. Itaque
viri fortiſſimi atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res
& judicant, & judicaverunt. Non quæro, inquit, iſtos:
quicunque ordinem duxit, judicet. At in judice ſpectari,
& fortuna debet & dignitas, [29] in quo nos fefellit: Ante- [29] 5. Phil.
ſignanos, & manipulares, & alaudas judices ſe conſtituiſſe
dicebat. At ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos,
[30] ſaltatores, cithariſtas, totum denique comiſſationis Anto- [30] Ib.
nianæ chorum in tertiam decuriam judicum ſcitote eſſe con-
jectum. En cauſam, cur lex tam egregia, tâmque pre-
clara maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbini-
bus, inter fulmina, & tonitrua ferretur: ut eos judices
haberemus, quos hoſpites habere nemo velit. Scelerum
magnitudo, conſcientia maleficiorum, direptio ejus pecuniæ,
cujus ratio in æde Opis confecta eſt, hanc tertiam decuriam
excogitavit: nec antè turpes judices quæſiti, quàm ho-
neſtis judicibus nocentium ſalus deſperata eſt.

[31] Lucan. lib. 2.

[31] Imminet armorum rabies, ferríque potestas
Confundet jus omne manu: sceleríque nefando
Nomen erit virtus, multósque exibit in annos.

Reliqua de judicibus judiciísque separatum volumen desiderant: & cum civili prudentia atque legibus expectant Ciceronis Prætorem, Judicémque Romanum.

Varia sunt scripta auctorum, qui longè à Ciceronis aberant ætate, hic aspersa, ut suppleant quæ in Cicerone desiderantur, aut levent fastidium. Et quidem consultò, & cogitatè: ne quis putet errata memoriæ, & in ratione temporum sic me lapsum, ut [32] quidam Poeta homo perlitteratus, qui facit Euripidem & Menandrum inter se, & in alio loco Socratem & Epicurum differentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disjunctas. *Quid sim secutus conjicient experti: in quo elaboraverim discent alii, qui vigiliis experiri volent litteratis, quàm deceat, quàm sit arduum confusis dare ordinem, jejunis varietatem, lucem abditis, fastiditis gratiam, integritatem mutilis, sparsis concinnitatem, ornamenta disjectis.*

[32] pro Q. Gallio.

ERRATA:

P. 3. l. 6. Pr. Or. *lege*, cunctabitur
P. 17. l. 27. —— *lege*, Intravit
P. 18. l. 9. —— *lege*, emersit
P. 19. l. 15. —— *lege*, cum
P. 27. *post* quæsitum, *lege*, comma

P. 15. l. 3. Cic. Prin. *lege*, cùm
P. 16. l. 5. — — *lege*, igitur-ne
P. 18. l. 6. — — *lege*, Multum
Ib. l. 10. — — *lege*, ipse te
P. 22. l. 3. — — *lege*, facile
P. 25. l. 27. — — *lege*, commemorari
P. 47. l. 34. — — *lege*, injuriosiùs

P. 47. l. 16. Cic. Cons. *lege*, *cervice*
P. 91. l. 8. — — *lege*, intercessisset
P. 93. l. 10. — — *lege*, *Perse*
P. 125. l. 7. — — *lege*, patiatur
P. 133. l. 1. — — *lege*, bis

Ad Marginem.

P. 4. n. 25. *lege*, ep. 18.
P. 17. n. 6. *lege*, DXC.
P. 22. n. 12. *lege*, c. 26. & 24. nu. 58.
P. 24. n. 2. *lege*, nu. 82.
P. 27. n. 2. *lege*, cap. 23.
P. 29. n. 6. *lege*, Ib.
P. 30. n. 12. *lege*, nu. 11.
P. 89. n. 106. *lege*, Liv. 30.
P. 121. n. 8. *lege*, ep. 25.

